UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De Numero Prædestinatorum, Ac Reproborum

Recupito, Giulio Cesare

Lvgdvni, 1681

urn:nbn:de:hbz:466:1-44272

Visual Library

Th. 2525.

J. XI
69

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

P

PR

selten!

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE SIGNIS PRÆDESTINATIONIS, ET REPROBATIONIS. ET DE NUMERO PRÆDESTINATORUM, AC REPROBORUM. *TRACTATUS DUO,*

MATERIAM UBERRIMAM VERBI DEI præconibus ad plurimas Conciones de præcipuis vitiis & virtutibus ſuppeditantes.

Authore JULIO CÆSARE RECUPITO, *Neapolitano, è Societate JESU, Theologo.*

Poſterior Editio à mendis quæ in aliis irrepſerant purgata.

Collegii Societatis Jesu Paderb. 1691

LUGDUNI,

Apud { FRANCISCUM ROUX, ET CAROLUM AMY, } Typographos.

M. DC. LXXXI.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FRANCISCO
S·R·E·CARDINALI
EMINENTISSIMO
BARBERINO.

AVDEO jam quartò, Franciſce Cardinalis Eminentiſſime, nomen tuum ampliſſimum opellis meis præfigere. De Veſuviano incendio nuncium, poſtea in univerſæ Calabriæ terræ motu congeminatum duplici libello, ſub tui patrocinii umbra, in lucem edidi. Illi tu in tenebricoſa flamma ſplendorem, huic in ſoli concuſſione ſtabilitatem, poſteris tranſmittendam ſeculis, peperiſti. Conciones panegyricas cum tibi poſtmodum conſecraſſem,

effeciſti ut encomia ipſa non nihil haberent encomii. Ter expertus tuum mihi nomen auſpicatiſſimum, nunc denuò ejuſdem publicam felicitatem uſurpo. Neque verò metus à propoſito me conſilio revocat, ne dum toties me, meáque, tuum ſub aſpectum exhibeo, mentem, oculoſque faſtidiam intentos imperio orbis terrarum. Capit animi tui amplitudo & negotiorum molem, & nobiliorem negotio quolibet otii litterarii Majeſtatem: Regenda tibi ſe offert à Sanctiſſimo Patruo demandata Chriſtiani orbis immenſitas: ſed interim Muſæi illius tui, quo nullum in univerſo terrarum orbe vel concinnius eſt, vel auguſtius, in tanto rerum molimine, cura non ſpernitur. Illinc tumultus te bellici, armorum fragor, & tubarum clangor exſuſcitat. Hinc te Lycæi palæſtra, diſputationum conflictus, & adverſantium ſibi ſententiarum veluti togata bella ad amorem, ſtudiumque ſapientiæ revocant. Illinc te æmulationes procerum, Legatorum diſſidia, & Principum poſtulata ſollicitant. Hinc te Poëtarum carmina, Hiſtoricorum annales, Iuriſtarum ſcita, Philoſophorum acumina, Theologorum oracula à ſeverioribus te curis ad amœniores, ſacratioreſque traducunt. Dum ad negotia incumbis, nonnun-

quam exeris, quamquam invitus, aculeum: dum sapientiæ vacas, & semper, & libentissimè mel rependis. Hac ego dulcedine prægustata, ad eandem regustandam allectus opus hoc, quod de signis Prædestinationis, ac numero Prædestinatorum inscripsi, tibi dico, sacroque. Tu humanitate illa tua, qua evehens supra homines, exiguum munusculum excipere non gravaberis. Quippe summi Numinis imitatus exemplar, in tanto dignitatum apice humillima quæque non despicis. Enimverò modestia tibi purpurascit in vultu, dum nitet morum candor in purpura.

EMINENTIÆ TUÆ

Servus humillimus

IULIUS CÆSAR RECUPITUS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EGo Nicolaus Berzettus Societatis Iesu Provincialis in Regno Neapolitano, potestate mihi ad hoc facta ab Admodum R.P.N. Mutio Vitellesco Præposito Generali, facultatem concedo, ut Opus de Signis Prædestinationis, & Reprobationis, & de Numero Prædestinatorum, & Reproborum, à Patre Iulio Cæsare Recupito ejusdem Societatis Theologo scriptum, Typis mandetur: si iis, ad quos editio librorum spectat, videbitur. In cujus rei fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Neapoli die Februarij 1643.

NICOLAVS BERZETTVS.

IMPRIMATVR
GREGORIVS PECCERILLVS Vic. Gen.
IO. DOMINICVS AVLISIVS Can. Dep. vid.
SILVANVS DE VICO Dep. vid.

IMPRIMATVR
TAP. Reg. BRANC. Reg. ZVF. Reg. SANFEL. Reg.
AZCON. Reg. GAP. LAT. Reg.

Provisum per Suam Excellentiam die 15. *Ianuarij* 1643.

JE consens pour le Roy qu'il soit permis à FRANÇOIS ROVX, Maître Imprimeur, d'imprimer le Livre intitulé, *de signis prædestinationis, & reprobationis, &c. Authore Iulio Cæsare Recupito*, cy-devant imprimé à Paris en 1664. sans Privilege. A Lyon le 17. Avril 1681.

VAGINAY.

SOit fait suivant les Conclusions du Procureur du Roy, l'an & jour cy-dessus.

DE SEVE.

Ledit François Roux a fait part des susdites Permissions à lui accordées, à Charles Amy, aussi Maître Imprimeur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX CAPITUM.

Tractatus primus de signis Prædestinationis, & reprobationis.

CAPUT I. *Primum prædestinationis signum, Timor peccati.* pag. 3

CAP. II. *Primum reprobationis signum, Peccandi facilitas.* 12

CAP. III. *Secundum prædestinationis signum, Post peccatum pœnitentiæ celeritas.* 19

CAP. IV. *Secundum reprobationis signum, Post peccatum pœnitentiæ dilatio.* 23

CAP. V. *Tertium prædestinationis signum, Pœnitentia fructuosa.* 51

CAP. VI. *Tertium reprobationis signum, Pœnitentia aut ficta, aut infructuosa.* 93

CAP. VII. *Quartum prædestinationis signum, Tribulatio.* 96

CAP. VIII. *Quartum reprobationis signum, Prosperitas temporalis.* 182

CAP. IX. *Quintum prædestinationis signum, Humilitas: Reprobationis, superbia.* 208

CAP. X. *Sextum prædestinationis signum, Misericordia in pauperes.* 221

CAP. XI. *Sextum reprobationis signum, Avaritia, & immisericordia in pauperes.* 239

CAP. XII. *Septimum prædestinationis signum, Dilectio inimicorum.* 248

CAP. XIII. *Septimum reprobationis signum, Affectus vindictæ.* 253

CAP. XIV. *Octavum prædestinationis signum, Continentia.* 256

CAP. XV. *Octavum reprobationis signum, Luxuria.* 262

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAP. XVI. *Nonum prædestinationis signum, Passionis Christi grata memoria: Reprobationis, oblivio.* 267
CAP. XVII. *Decimum prædestinationis signum, Frequens & devotus usus Eucharistiæ.* 278
CAP. XVIII. *Decimum reprobationis signum, Eucharistiæ usus infrequens aut sacrilegus.* 319
CAP. XIX. *Undecimum prædestinationis signum, Religio erga Deum, & Sanctos: Reprobationis, irreligio.* 334
CAPUT ULTIMUM. *Duodecimum prædestinationis signum, Devotio erga Deiparam: Reprobationis indevotio.* 342

Tractatus secundus de numero Prædestinatorum, & Reproborum.

CAPUT I. *Explicatur sensus controversiæ. Statuitur utrorumque certum esse numerum tam materialem, quam formalem.* pag. 1
CAP. II. *Fundamenta affirmantium, prædestinatorum numerum non excedi à numero reproborum.* 4
CAP. III. *Prædestinatorum numerum inter adultos fideles excedi à numero reproborum ostenditur.* 8
CAP IV. *Suadetur idem ex Patribus.* 26
CAP. V. *Ostenditur idem ex difficultate mediorum ad finem salutis.* 31
CAP. VI. *Probatur paucitas electorum ex multitudine recidivorum.* 44
CAP. VII. *Idem ostenditur ex multitudine malè morientium.* 51
CAP. VIII. *Solvitur argumentum ductum ab exemplo boni Latronis.* 62
CAPUT ULTIMUM. *Diluuntur argumenta pro maiore numero electorum.* 71

JULII

IULII CÆSARIS RECUPITI NEAPOLITANI SOCIETATIS IESU THEOLOGI

De signis Prædestinationis, & numero Prædestinatorum,

PRÆLVSIO.

TRACTATIONEM de signis Prædestinationis, ac prædestinatorum numero è Theologico tomo subductam hac opella concluſi: ſive, ut aptiùs ſervirem materiæ: ſive ut tuæ, lector, utilitati conſulerem. Erat illa de prædeſtinatione materies adeo obſcuris obvoluta quæſtionum ambagibus, ut nonniſi abſtruſos Dialecticæ ſyllogiſmos, atque argumenta omninò à ſenſibus ſemotiſſima ad ſcholaſticæ limæ normam expeterer. Contra verò hæc, quæ de signis, & numero prædeſtinatorum adiicimus, ita ſe ad humanæ vitæ praxim demittunt, ut in actionibus pænè ſingulis explorent, quod in iis conſequendæ ſalutis, ac gloriæ; quod lateat habendæ pœnæ, ac damnationis judicium. Multa hic ab exemplis petenda: multa Patrum teſtimonia identidem interſerenda: ita ut non tam opus meo ſermone confectum, quàm Sanctorum vocibus contextum, veluti teſſellato quodam diſſerendi genere videatur. Multa denique congerenda non magis ad inſtruenda ingenia, quàm ad inflammanda ſtudia; non tam exedris, quàm ſuggeſtibus; non plus quæſtionibus, quàm concionibus accommodata. Theologicos hos veluti floſculos, inter ſubtiliorum, ut ita dicam, ſpeculationum aculeos, veluti in ſenticeta conjicere, mihi pænè religioni ducebam. Neque tamen hæc oratoriè, tanquam planè concionabundus, mihi tractanda propoſui: ſed ita moralem agam, ut me ſcholaſticum non obliviſcar: ſicque veritas non ad orationis, ſed ad rationis, ac proinde ad ſcholaſticæ nor-

mæ trutinam expendatur. Cæterum id quoque lectoris utilitas expoſcebat, ut breviori tomo tam fructuoſa materies clauderetur: quò faciliùs & haberi poſſet, & perlegi. Enimverò cum de Deo, de Angelis, deque aliis rebus Theologicis diſputamus, fruſtrà certè, opera, & labor omnis impenditur; niſi hæc omnia ad unicum noſtræ prædeſtinationis negotium, veluti ſagittæ ad ſcopum collineent. Exquirant ſanè alij ab iis, qui ſe aſtrologos venditant, impendentium divinationes eventuum, ac fortunæ in poſterum ſibi, vel adverſantis, vel obſecundantis auſpicia. Petant ab aſtris futuræ dignitatis caſura faſtigia: totique ſint in præſagiis, quid dextri, ſiniſtrique conſequens allatura ſit ætas: quod, qualecunque fuerit, breviſſimæ vitæ diuturnitatem non tranſilit. Quantò conſultiùs occuparentur in iis prænunciationibus explorandis, quibus poſſent tempeſtivè prænoſcere, quam tota æternitate habituri ſint aleam numquam invertendæ fortunæ. Ita noſtræ proſpicientes ſaluti ea ſigna cavebimus, quæ damnationem minantur, ac barathrum; ea fovebimus, quæ fauſtiſſima ſunt futuræ felicitatis auguria. Demum ea, quæ de exiguo prædeſtinatorum numero, juxta Scripturarum oracula, ac Sanctorum Patrum effata, adjiciemus, opportuno nos terrore incitabunt, ut inter eos adnumerari conemur, quorum *nomina ſcripta ſunt in libro vitæ.*

Luca 10.

TRACTATIUNCULA PRIMA
DE SIGNIS PRÆDESTINATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

Primum prædestinationis signum timor peccati.

PRÆDESTINATIONEM per signa rimabimur: quia prædestinationem nemo in hac vita scire potest certitudinaliter, si enim *nescit homo, utrùm amore, an odio dignus sit*, Eccl. 9. nescit etiã utrùm prædestinatus, an reprobus sit: cum in illo sit objectum amoris, in hoc odij, & de hoc interpretatur Gregorius lib. 29. moral. cap. 18. illud Iob 38. *nunquid nosti ordinem cœli, & pones rationem ejus in terra*, ubi *ordinem*, inquit, *cœli nosse, est supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre: quod utique in hac vita positus nullus potest.* Cum igitur nostræ salutis, aut damnationis exitum, quod negotium maximè omnium nostra interest, certò cognoscere non possimus: saltem debemus, quoad fieri potest, id per conjecturas, & signa scrutari. Quamobrem Bernardus serm. 2. de Ascens. suos alloquens, *Quis scit*, inquit, *si omnium vestrum, quos hic video, nomina scripta sunt in cœlis, & in libro prædestinationis notata. Vocationis, & justificationis vestræ aliqua signa mihi videor intueri.* Utilissimum certè erit, ut unusquisque in se signa vel prædestinationis, vel reprobationis agnoscat, ad illa retinenda, hæc reiicienda. Idcirco dicitur 2. Petri 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*, idest satagite, ut habeatis signa, quoad fieri potest, certa vestræ prædestinationis. Quia, ut notat S. Thomas 1. part. quæst. 23.

I. Incertitudo prædestinationis.

Eccles. 9.

Gregor.

S. Bernard.

2. Petri. 1.

S. Thom. art. 8. in corp. *Per bona opera prædestinationis effectus certitudinaliter impletur.* Quippe effectus signa sunt certa suæ causæ; ut fumus effectus est, & signum ignis. Porrò in hac materia signa sunt solùm probabilia magis, aut minùs: nulla planè certa, nisi perseverentia finalis in gratia. Et sic, quod dicit Petrus de *certitudine electionis per bona opera*, intelligendum est de bonis operibus procedentibus ex gratia, ut finaliter perseverantibus. Loquendo autem de signis conjecturalibus, & probabilibus.

II. Prædestinationis primum signũ timor peccati. *Psal.* 110. *Prov.* 9. *Bernard.*

Dico primò. Primum signum prædestinationis est timor peccati. Probatur, quia *initium sapientiæ timor Domini.* Psalm. 110. & Proverb. 9. quem locum expendens Bernard. serm. 23. in Cant. *aliud*, inquit, *est nosse Deum, aliud timere: nec cognitio Dei sapientem facit, sed timor.* Per sapientiam autem hic non significatur, nisi prudentia; non naturalis, & humana, dirigens media ad fines naturales, & politicos. Ergo supernaturalis, & cælestis, dirigens media ad finem supernaturalem: cum prudentia sit habitus directivus mediorum ad finem, ut ostendimus tomo 2. l. 3. q. 1. Cum igitur prædestinatio, ut pars prudentiæ & providentiæ est, non sit nisi cognitio Dei practica respectu mediorum ad finem salutis; primus, & immediatus ejus effectus erit prudentia infusa prædestinato, ut cognitio practica mediorum ad eumdem finem. Hujus autem prudentiæ, *seu sapientiæ initium est timor Domini*, nempè timor, ne offendatur Dominus.

Psal. 36. *Gregorius.* Peccata murus divisorius inter nos, & Deum. *Isaiæ* 59. Peccata rõphæa bis acuta. *Eccles.* 21.

Ratio est, quia prudentia dictativa mediorum conducentium ad aliquem finem, priùs dictat de vitandis iis, quæ deducunt à fine, postea etiam de iis, quæ ducunt ad finem. Quare dicitur Psal. 36. *Timorem Domini docebo vos. Declina à malo, & fac bonum.* Malitia autem peccati in eo est, ut sit quædam retardatio, & deductio ab ultimo fine, & sic impeditiva, nè ad illum voluntas possit accedere. Quamobrem Gregorius lib. 6. epist. indict. 15. epist. 27. *Quid*, inquit, *aliud est peccare, nisi à Deo fugere?* Ideo in sacris litteris peccata dicuntur separare nos à Deo, quasi murus divisorius inter nos, & Deum. Isaiæ 59. *Iniquitates vestræ divisérunt inter vos, & Deum vestrum*, ob quod dicuntur romphæa bis acuta: quia dividendo nos à Deo, duplicem mortem infligunt, temporalem, & æternam. Eccles. 21. *quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas.*

III. Peccata funes inferni. 2. *Reg.* 22. Peccata vincula. *Isaiæ* 25. Peccata catenæ.

Dicuntur etiam funes retinentes, ne ambulare possimus ad finem. 2. Reg. 22. *funes inferni circumdederunt me.* Dicuntur vincula. Isai. 25. *Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati.* Dicuntur catenæ Isai. 58. *Si abstuleris de medio tui catenam.* Dicuntur laquei mortis. 2. Reg. 22. *Prævenerunt me laquei mortis.* Dicuntur onus grave, Psalm. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Dicuntur rete, quod viri sancti volando effugiunt.

Prov. 1. *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* E quibus infertur peccata esse obstacula quædam impeditiva, ne ascendamus ad finem ultimum supernaturalem. Ideo Augustinus serm. 179. de tempore: *si*, inquit, *desideramus ascendere, debemus vitia, & peccata deponere. Hæc quasi quibusdam compedibus nos premunt, & peccatorum nos retibus ligare contendunt.* Unde sequitur, quod amans finem ultimum timet peccatum retardativum à fine. Ex amore enim boni causatur timor mali oppositi: timor igitur peccati, quod est deviativum à fine prædestinationis, est primus effectus amoris, quo quis fertur ad finem salutis: & est primum signum prædestinationis ad eundem finem.

Isa. 58. Peccata laquei mortis. *2. Reg. 22.* Peccata onus grave. *Psalm. 37.* Peccata retia. *Prov. 1.* *August.* Amor Dei causat timorem peccati.

Confirmatur primò ex Psalm. 111. *Beatus vir, qui timet Dominum.* Quia scilicet timor Domini ad beatitudinem perducit. Ideò subdit, *in mandatis eius volet nimis*; quippe timendo ne peccet, non deviat à mandatis Dei, quæ sunt media conducentia ad beatitudinis finem. Idcircò Cassiodorus in eum Psal. *Timor*, inquit, *mundi miseros facit: timor Dei ea appetere facit, per quæ homo beatus est.* Ambrosius etiam in illud Psalm. 118. *à verbis tuis trepidavit cor meum; trepidare*, inquit, *infirmitatis est, timoris, atque formidinis: sed est etiam timor sanctorum, est etiam infirmitas ad salutem.* Ergo timor hic effectus est, & signum prædestinationis; quæ dat media perductiva ad salutem. Quapropter dicitur Proverb. 14. *timor Domini fons vitæ.* Timor autem Domini maximè consistit in hoc, ut caveatur offensa Domini. Ideo dicitur Proverb. 8. *timor Domini odit malum*, & 16. *in timore Domini declinatur à malo.* Psal. 138. *confige timore tuo carnes meas*: sive ut alij, *confige clavis timoris tui carnes meas*, sicut enim confixi clavis membra movere non possunt, etiamsi maximè id vellent: ita timor Dei sic rationem, atque ipsa membra configit, ut ad offensam Dei neque de facto moveantur, & moveri ferè non possint. Experientia id monstrat in sanctis viris: quorum voluntas, quasi amissa libertate peccandi, pœne impossibile videtur ut ad peccatum deflectat, eo modo quo clavis confixus moveri non potest Ideo Ioseph sollicitatus ad peccandum, respondit, *quomodo possum hoc malum facere?* non dixit, nolo, sed, non possum: quia scilicet confixus clavo timoris Domini, extendere ad peccandum membra non poterat. Ideò Ambrosius serm. 15. in eum Psal. *confige*, inquit, *clavis: & destrue fomenta peccati. Moriatur in carne omnium illecebra delictorum. Libertatem vagandi cupiditas voluptatum cruci affixa non habeat. Est quidam clavus spiritualis, qui patibulo Crucis Dominicæ carnes affigit. Configit hos timor Domini, & iudiciorum eius.* Plures igitur ex prædestinatis incitati ad peccatum, respondent cum Ioseph, *non possum*: quia, ut diximus ex Ambrosio, *libertatem vacandi cupiditas voluptatum cruci affixa non habet, confixa clavo timoris Domini.*

Prov. 14. Timor Dei retrahit à peccato. *Prov. 8. & 16.* *Psal. 138.* IV. Timor Dei clavus carnis. *Ambros.*

Confirmatur id secundò ex promissionibus à Deo factis timentibus ipsum. Nihil frequentius in Scripturis. Seligam pauca, quæ magis ad rem faciunt. Primò iis promittitur liberatio à culpis Eccl. 33. *Timentibus Dominum non occurrent mala.* Promittitur hîc timentibus Deum auxilium quoddam Dei speciale, & efficax ad evitandas culpas: ideo dicitur, *non occurrent ei mala*, id est, ut explicat Lyranus, *mala culpæ*: quia scilicet timor hic est veluti gladius ad ea omnia amputanda. Ideo Sanctus Ephrem serm. de patient. & consum. seculi. *Pro framea*, inquit, *ac gladio timorem apprehende Domini, nam timor Dei veluti gladius anceps est, omnem concupiscentiam carnis eradens.* Idcirco dicitur, *timenti Dominum non occurrent ei mala*, id est ex Lyrano, *mala culpæ*. Aliter explicat id Rabbanus etiam de malis pœnæ: *Timenti*, inquit, *Dominum non occurrent mala futura, quæ iniquis præparata sunt pro peccatis*, quod est dicere, promittitur iis prædestinatio.

Eccles. 33. Timétibus Deum promittitur speciale auxilium. *Lyranus.* *S. Ephrem.* *Rabbanus.*

Secundò timenti Deum promittitur liberatio à tentationibus, quippe eum Dominus à malignorum spirituum suggestionibus defendit. Subdit enim, *in tentatione Deus illum conservabit*, &c. *non illidetur quasi in procella navis*; quia scilicet timor Domini, qui tanquam nauclerus clavum tenens, navem inter tentationum procellas dirigit ad portum salutis. Quod egregiè notat Chrysostomus homil. 1. de Anna, ubi *fortiter*, inquit, *pertulit tempestatem*; *nec passa est navem demergi. Siquidem Dei timor tanquam nauclerus gubernaculis assistens, non prius destitit mentem illius gubernare, quàm in tranquillum portum adduceret.* Alia similitudine utitur Sanctus Ephrem serm. ascetico Dei, ubi, *qui timet*, inquit, *Dominum similis est civitati supra montem positæ, muris munitæ, & cujus aspectu improbi dæmones contremiscunt.*

Chrysost. Timor Domini nauclerus. *S. Ephrem.*

Tertiò promittitur fiducia: ita ut ei, qui timet Dominum, nihil præterea sit timendum Eccl. 34. *Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit: quoniam ipse est spes ejus.* Videntur hæc pugnare. Si enim timet, quomodo dicitur, *non pavebit*? Sed soluitur id ex Proverb. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Quem locum expendens Augustinus serm. 214. de temp. *Discat*, inquit, *timere, qui non vult timere: discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus*, sequitur, *timentis Dominum beata est anima ejus*, in quem locum Lyranus, *licet*, inquit, *non adhuc beata in re, beata est in spe*; nempe propter signum, quod habet futuræ beatitudinis. Quare dicitur Eccl. 1. *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum.*

Eccl. 34. *Proverb. 14.* *Augusst.* Timor Dei timorem tollit. *Lyranus.* *Eccl. 1.*

Timétibus Deum promittitur specialis

Quartò promittitur timentibus Deum oculus Dei, id est divina protectio Proverb 14. *ad quem respicit, & quis est fortitudo ejus?* (id est; in quo se Deus fortem demonstrat.) *oculi Domini super timen-*

tes eum, promittitur hic timentibus Deum specialiter Dei oculus, qui non est alius, nisi providentia ejusdem specialis circa prædestinatos. Ideo sequitur. *Protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris*, &c. ubi obiter adverte, quod dicitur Apoc. 1. *oculi ejus tanquam flamma ignis*: hic autem dicuntur, *oculi Domini regimen ardoris*, quæ videntur contraria. Nimirum utrumque præstant divinioculi Deum timentibus, quos inflammant divino amore, & tegunt à tentationum ardore. *Oculi ejus flamma ignis*, quia, ut ibi notat Riccardus de S. Victore, *electos respiciens illustrat luce sapientiæ, calefacit amore justitiæ: reprobos autem respiciens terret ferocitate comminationis: & incorrectos exurit incendio damnationis.* Iidem etiam oculi sunt Deum timentibus, *protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, quia ipse est*, ut explicat Rabbanus, *protector potentiæ ab omni adversitate eos protegens, firmamentum virtutis confortans ipsos: tegimen contra tentationum ardores.* Eadem promissio sit Isaiæ 66. *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos*, id est timentem transgredi, quæ Deus præcipit. Non dicit timentem, sed *trementem*: quia hoc electorum est proprium, ut ad omne id, quod peccati præsertim lethalis speciem exhibet, ferè totis artubus contremiscant, juxta illud Eccl. 21. *quasi à facie Colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te*: sive, ut alii, *mordebunt te.* Sicut enim, Colubro vix conspecto, horrore quodam perfusi fugam arripimus: ita electi ad peccati lethalis vel ipsam umbram horrescunt: & dum in illud timent incidere, quodam modo à facie Serpentis fugiunt. Ideo Lyranus, *quasi*, inquit, *à facie Colubri fuge peccata: quia venenant animam, sicut Coluber sibi appropinquantem.* Idcirco Ioseph sollicitatus à fœmina ad peccatum, *relicto in manu ejus pallio fugit, & egressus est foras* Genes. 35. *Poterat quidem*, ut notat Cornelius, *juvenis in florenti ætate robustus à fœmina vi hoc pallium extorquere, sed noluit*: timens scilicet, ne vel ipso contactu pallii, quod fœmina jam tetigerat, contaminaretur. Hoc egregiè adnotans Hieronymus lib. 1. adversus Iovinianum c. 4. *Ioseph*, inquit, *quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus ejus: & quasi ad morsum rabidissimi canis, ne paulatim virus serperet, pallium, quod illa tetigerat, abjecit.* Hic sanè effectus fuit divini timoris, & ideo Deus Iosephum speciali providentia respexit exaltans illum felicitate temporali, & æterna, juxta promissum, *ad quem respiciam*, &c. *nisi ad trementem sermones meos*?

Dei protectio.
Proverb. 14.
V. Oculi Dei flāma ignis, & tegmen ardoris.
Apocalip. 1.
Riccardus Victor.
Isaiæ 66.
Eccl. 21. Peccata serpentes.
Lyranus.
VI. Ioseph *cur* pallium reliquerit in manu fœminæ.
Genes. 35.
Cornelius.
Occasiones peccati vitandæ.
Hieronym.
Fœminæ manus venenatæ.

Quintò promittitur iis misericordia Dei, ex qua prædestinatio. Psal. 102. *misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum.* Quem locum expendens Bernardus serm. 2. de Ascens. *Misericordia*, inquit, *Domini super timentes eum, ab æterno per prædestinationem, usque in æternum per glorificationem.*

Psal. 102.
Bernard.

Sextò denique promittitur Deum timentibus æterna vita, qui est ultimus prædestinationis effectus. Prov.14. *Oculi Domini super timentes eum, dans illi vitam, & immortalitatem, & benedictionem.* Idem repetitur Prov.19. *timor Domini ad vitam: & in plenitudine commorabitur*, id est, ut ibi glossa, *timor Domini ducit ad vitam: & in plenitudine benedictionis commorabitur.*

Prov.14.

Prov.19. Glossa.

Innocentia baptismalis servata prædestinationis signũ.

Porrò hic Dei timor, si cohibeat ut plurimum à lethali peccato, magnum est prædestinationis indicium: quia ut plurimùm tollit impeditiva finis. Majus indicium est, si semper: ita ut quis non sit conscius toto vitæ tempore lethalis peccati, per quod innocentia baptismalis sit amissa. Maximum autem, si extendat se ad peccata etiam levia, ita ut ea etiam timeantur: neque venialia studiosè patrata, & cum plena deliberatione admittantur, ut est mendacium advertenter prolatum. Ab his abstinere maximum censeo, quod haberi potest in hac vita, prædestinationis pignus. Tum quia quantò quis magis recedit à peccato, per quod deviatur à fine, tantò magis accedere censetur ad finem. Tum quia talibus destinata est gloria, ut habetur. Apoc.14. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, &c. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit; & in ore eorum non est inventum mendacium.* Hoc loco ad significandos eos, qui immaculatos se præstiterunt à peccatis, apponuntur pro exemplo ea peccata, quæ frequentiùs committi solent, ut inter peccata lethalia simplex fornicatio, inter venialia simplex mendacium, nisi forte mendacij nomine intelligatur quodlibet peccatum advertenter patratum: cùm omne peccatum, ex eo quod aliud præferat, nempe bonum delectabile, aliud abscondat, nempe malitiam, dici possit mendacium. Ideo Augustinus lib.14. de civ. cap.4. *non frustra*, inquit, *dici potest omne peccatum esse mendacium. Mendacium est, quod cùm fiat ut benè sit nobis, hinc potiùs nobis est malè.*

Peccata venialia advertenter, cum plena deliberatione patrãda vitare maximum est prædestinationis indicium.

VII. Mendacij nomine omne peccatum.

Augustin.

Immaculati igitur à peccato dicuntur reperti sine mendacio. Ideo subditur, *sine macula enim sunt ante Thronum Dei.* Inter hos adnumerari creduntur Beati Aloysius & Stanislaus, ut ex eorum vitis colligitur: & piè idem speramus de Sãctæ Memoriæ Cardinali Bellarmino, qui jam penè octogenarius de se candidè affirmavit, nullius esse se culpæ deliberatè, seu advertenter admissæ, pro toto vitæ tempore conscium, ut habetur in ejus vita. Equidem novi aliquos, qui de venialibus non deliberatè patrandis se voto astrinxerunt. Inter quos vir secularis, magna dignitate conspicuus, votum hoc, ut ipse mihi confessus est, quotidie concipiebat, pro eo tantum die: ut si postea periculo, aut scrupulo ageretur, solutus jam voto, potestatem haberet illud iterandi: vel non: affirmavítque homo gravissimis negotiis implicatus, prosperè, & ex sententia id illi succedere: eóque voto tanquam fræno quodam se à levibus peccatis, quotiescunque illa

Bellarmini de se testimonium.

illa adverteret, cohiberi. Hic peccatorum timor, si se ad leves etiam noxas extendat, maximum, & ferè certum, ut diximus, prædestinationis est argumentum.

Porro timor hic retrahens à peccato duplex esse potest, filialis & servilis. Prior cadit etiam in Christum, de quo dicitur Isaiæ cap. 11. *Replebit eum spiritus timoris Domini.* Neque dubium esse potest, quin timor hic sit inter signa prædestiationis amplissima, quando ex radice charitatis procedit, nempe ne offendatur divina bonitas. Ad cujus offensam vel levem vitandam, si hinc culpa immineret, illinc gehenna, vellet vir Dei amans ipsemet se in gehennam intrudere. Ideo dicere solebat Anselmus, ut refert Edinerus in ejus vita lib. 2. *malle se purum à peccato, & innocentem, gehennam habere, quàm peccati sorde pollutum Cœlorum Regna tenere*, quippe, ut ait Bernardus serm. de triplic. cohæren. *terribilius, & horribilius ipsa gehenna judicatur in re levissima vultum Omnipotentis scienter offendere.* Nimirum, ut advertit Chrysostomus hom. 5. in epist. ad Roman. *Si nullam ob causam, certè ob hanc unam gehenna digni sumus, quod plus gehennam, quàm ipsum Christum timemus.*

Timor duplex filialis & servilis. *Isaiæ 11.* *Anselmus. Edinerus. Bernard.* *Chrysost.*

Posterior verò timor, licet imperfectior, si sit ex motivo aliquo supernaturali, aut supernaturaliter cognito, ut est timor gehennæ, aut purgatorij, etiam utilissimus est ad salutem, & sic etiam prædestinationis indicium.

Patet id primò ex Trident. sess. 14. cap. 4. ubi dicitur *attritionem ex gehennæ, & pœnarum metu donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum: & viam parare ad justitiam.* Quippe timor Dei filialis procedit ex charitate Dei: timor servilis ex charitate propria ordinata, quam quisque tenetur habere ad seipsum. Charitas autem sui plus trahere solet, quàm charitas Dei. Ideo Augustinus epist. 50. ad Bonifac. *sicut*, inquit, *meliores sunt, quos dirigit amor: ita plures sunt, quos corrigit timor.*

Trident. Timor filialis ex charitate Dei: servilis ex charitate propria. *August.*

Patet secundò, quia timor hic supernaturalis, quo aliquis retrahitur à peccato lethali, metu ignis gehennalis, & ex veniali metu ignis Purgatorij, facilè transit in timorem filialem: & charitas ordinata sui mutatur in charitatem Dei. Ideo in nuptiis Canæ Galileæ jussi sunt Ioan. 2. *implere hydrias aqua: & impleverunt eas usque ad summum.* Aqua autem in vinum optimum conversa est. Quod expendens Bernardus serm. 54. in Cant. *Aqua*, inquit, *timor est, quoniam ab æstu refrigerat carnalium desideriorum. Denique timor Domini fons vitæ. Porrò hydria est mens tua, omni tempore time Deum, & ex omni corde tuo, & implesti hydriam tuam usque ad summum. Tunc demum, si plenè, si perfectè timueris, dabit charitas saporem aquis tuis. Et quidem charitas vinum, quod lætificat cor hominis, ut ubi aqua fuerat, vinum esse incipiat charitatis.*

Timor trãsit in amorem. *Ioan. 2.* *Bernardus.* Timor Dei aqua, vinũ charitas.

IX. Timor pœnæ à Deo immittitur. *Dan.7.*

Patet idem tertiò : quia timor ipse servilis gehennæ, etiamsi non transeat ad filialem, à Deo ipso incutitur ad refrænandum à peccatis, & ad parandam viam salutis. Ideo dicitur Danielis. 7. *Thronus ejus flamma ignis : rota eius ignis accensus : fluvius igneus , rapidusque egrediebatur à facie eius.* Ignis in Dei throno ; ignis in curru, ignis in vultu : ut se undique paratum ad comburendos impios : & ad ultionem peccatorum demonstret. Quamobrem in eum locum Hieronymus, *Omnia Dei flammæ sunt: ut peccatores tormentorum magnitudinem pertimescant.* Ideo etiam dicitur Num.6. *Deum deducere ad inferos, & reducere :* quia ut exponit in poster. comment. Gregorius, *Deum ad inferos deducere, est peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere. Reducere est territas pœnitentium mentes spe vitæ indeficientis attollere. Tunc quippè peccare desinimus, cum futura tormenta formidamus.* Idcircò etiam monentur homines Ps.14. quemadmodum notat Bernardus ser. ad fratres de monte Dei, *Vt descendant in infernum viventes, ne descendant morientes. Hoc enim modo per considerationem, cellarum incolæ sæpè descendunt ad inferos.* Idem monet Basilius in Psal.53. in ea verba, *venite filij , audite me : timorem Domini docebo vos. Cum,* inquit, *te appetitus invaserit peccandi, velim cogites horribile illud Christi tribunal,* &c. *Ad hæc cogita profundum barathrum , & inextricabiles tenebras, & ignem carentem splendore: deinde vermium genus venenum immittens , & carnem vorans : inexplebiliter surgens , neque unquam saturitatem sentiens : atque intolerabiles dolores corrosione ipsa infigens. Hæc time : & hoc timore quasi fræno animam à peccatorum concupiscentia cohibe.* Sicut igitur fræno equorum, cum maximè incitati sunt ad cursum, petulantiam coercemus : ita , &c. Denique huc alludere videtur Propheta Psal.28. *Vox Domini præparantis cervos ,* sive ut alij , *obstetricantis cervos ,* id est, ut exponit Lorinus, *dans cevis virtutẽ pariendi,* quia scilicet cerva, animal, ut notat Arist.3.de part. animal.c.4. valdè timidum, laxato utero, parere solet ob timorem, quem concipit ex tonitru. Tonitrus enim in Scripturis *vox Domini* dicitur, Ideo Psal.17. *intonuit de Cœlo Dominus , & altissimus dedit vocem suam. Vox igitur Domini præparantis cervos ,* est ut vertitur ex Hebræo, *tonitrus contremiscere; & parere faciens cervos :* quia Deus, ut exponit Lorinus in eum locum, *peccatores minis tormentorum , & gehennæ territos ad pœnitentiam reducit.* Quamobrẽ Basilius in proœm. ad Reg. fusiùs disput. *propterea,* inquit, *tonitrua, propterea terrores, ne bonitas contemnatur.* Ideo S. Episcopus Leidda, ut narrat Beda lib. 4. hist. Angl. c. 2. interrogatus à suis, cur tonante Cœlo statim ad preces in Ecclesia fundendas confugeret, respondit, *non legistis, intonuit dè Cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam ?* quia scilicet tonitrum ut vocem Domini agnoscebat, eo fragore æterna minantis supplicia.

Dei thronus curr flãmeus. *Hieronym. Num.6. Gregor.*

Psal.14. Bernard.

Ad infernũ descendunt viventes, ut non descẽdant morientes. *Basilius. Psal.53.*

Timore quasi fræno anima à peccatorũ concupiscentia cohibetur. *Psalm.28. Lorinus. Aristot.*

Cervi pariunt ex timore tonitrus. *Psal.17.*

Tonitrus vox Dei. *Lorinus.*

X. cervi patientes peccatores pœnitentes. *Basilius. Beda.*

Patet id quartò experientia. Arsenius, ut narrat Metaphrastes in ejus vita, cùm instante morte, mox migraturus, magno affici metu videretur, interrogatus, cur post vitam innocentissimam, centum & viginti annis magna ex parte inter summas asperitates in eremo traductis, supplicium pertimesceret, *revera*, inquit, *hic metus, quo me videtis affici, nunquam à me recessit, ex quo factus sum monachus.* Climacus gradu 4. refert de quodam monacho, coqui functum munere, magnum acquisivisse donum lachrymarum: eò quod ex aspectu ignis perpetuò gehennæ flammas contemplaretur. Abbas quidam rigidissimè vivens in eremo, interrogatus cur tot labores perferret, respondit. *Totus labor, quem hic sustineo, non est idoneus comparari ad unam diem tormentorum: quæ peccatoribus in futuro sæculo præparantur.* Ita refertur in vitis Patrum lib. 5. c. 7. de patientia. Timor igitur hic gehennæ sæpè etiam in sanctis viris, atque eximiè prædestinatis conspicitur, utpote saluberrimus, & valde conducens ad finem salutis.

Metaphrastes.

Arsenij metus in morte.

Climacus.

Gehennæ timor lachrymas elicit.

Vita Patrum Pelagio interprete.

Idcirco Deus, non ut somniant Rabbini, secundo die, sed primo ipso die unà cum Angelis creavit gehennam: ut egregiè probat Cornelius à lapide in Genes. 1. & docet Gregorius lib. 15. moral. cap. 17. ubi *omnipotentis*, inquit, *justitia futurorum præscia ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creavit*: ne scilicet sine terrore gehennæ vel uno tantùm die mundus existeret. Quippe hic terror à Deo volente omnes homines salvos fieri ordinantur ad finem salutis. Nam, ut advertit Chrysostomus homilia de zona, *Deus ideo gehennam minatur, ut gehennam non inferat.* Immo ideo gehennam proponit, ut electi gradum ex ea sibi faciant ad Cœlum: &, ut idem Chrysostomus notat in Genes. 39. hom. 44. *propter hoc gehennam minatur, ut in regnum Cœlorum per eam intrare nos faciat.* Quia nimirum, ut docet Trident. Sess. cit. metus gehennæ ad Dei gratiam disponit, & sic disponit ad gloriam. Vnde fit, ut primum signum sit, & remotum prædestinationis. Si verò timor ita retrahit à peccando, ut si minùs plane, saltem pænè immunem reddat ab omni eo, quod speciem habet peccati, sive lethalis; sive, quod majus est, etiam venialis deliberati, tunc signum est prædestinationis primum primitate dignitatis: & eo minus aut majus, quo minus aut magis accedit ad hanc immunitatem à peccatis probabiliter cognitam, & in hoc sensu dixit Sanctus Ephrem serm. de timore Dei, *non est inter homines illo major, qui timet Dominum.* Ideo David Psalm. 14. quærens hoc ipsum, quis sit è numero electorum, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* subjicit, *qui ingreditur sine macula*, & Psal. 23. movens hoc idem quæsitum, *quis ascendet ad montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* subdit. *Innocens manibus, & mundo corde*, &c.

Gehenna primo mundi die creata.

Cornel. Gregor.

XI.

Gehennam Deus minatur, ut liberet à gehenna.

Chrysost.

Tridentin.

S. Ephrem.

Psal. 14.

Psalm. 23.

Immunitas à peccato prædestinationis signũ potissimum. *Augustinus.*

Primum prædestinationis signum ponitur hic immunitas à peccato operis & cordis. Quamobrem in eum locum Augustinus, *Quis illuc ascendet & permanebit ibi, nisi innocens in operibus & mundus in cogitatione?*

Prov. 28. *Bernard.*

Hoc est primum prædestinationis indicium, timor peccandi retrahens à peccato. Quod enim veraciter timetur, effugitur. Per fugam autem à peccato sivè retinetur, sivè recuperatur gratia: & sic gloria & beatitudo, cujus semen est gratia. Ideo dicitur Prov. 28. *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Quem locum expendens Bernardus ser. 54. in Cant. *Beatus*, inquit, *homo, qui semper est pavidus, sive cum amiserit gratiam, sive cum habuerit, sive cum denuò recuperaverit*, & infra. *Beatus es, si cor tuum triplici isto timore repleveris, ut timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, longè plùs pro recuperata. Nihil negligit, qui sic timet.*

Triplex Dei timor.

Ephrem.

Claudam caput hoc de divino timore prædestinationis auspice verbis S. Ephrem Syri serm. de timore Dei, quæ mirificè rem illustrant. *Timor*, inquit, *Domini munitio animæ. Timor Domini mentem dirigit. Timor Domini cordis tutela. Timor Domini gubernator est animæ. Timor Domini malitiam tabefacit, passiones imminuit, dilectionem auget. Timor Domini animæ schola est & bonam ei spem annuntiat* (nempe prædestinationis & salutis) *Timor Domini animum spiritus sanctæ intelligentiæ replebit: ipsique sceptrum cœlestis regni tradet.* Nihil ad omen prædestinationis illustrius.

CAPUT II.

Primum reprobationis signum peccandi facilitas.

XII.

Peccandi facilitas primum reprobationis signum. *Aristot.*

EX dictis apparet, quid de reprobatione dicendum sit.

Dico secundo. Primum præscitorum signum est facilitas peccandi. Probatur, quia ita se habet ad terminum reprobationis peccandi facilitas, sicut se habet ad terminum prædestinationis peccati timor. Quippe *Oppositorum eadem est disciplina.* 1. Topic. c. 8. Et ratio est, quia terminus reprobationis est exclusio ab ultimo fine supernaturali: & sic opponitur termino prædestinationis, qui est Deus clarè visus. Peccatũ autem non est aliud nisi deviatio ab ultimo fine. Vnde sequitur ut sit deviatio à termino prædestinationis, & sic directio ad terminum illi oppositum, ad quem per reprobationem tenditur. Ergo peccatum ut via est signum talis termini: & sic reprobationis in hunc terminum desinentis. Confirmatur è Scripturis. Habetur enim de reprobis Iob. 15. *Qui bibunt quasi aquam iniquitatem,*

Peccatum est deviatio à fine ultimo.

Iob. 15.

id est sine ullo Dei timore,ea facilitate sorbent peccata,qua inter sitis ardores biberent aquæ calicem.Ideo Gregorius lib. 12. moral. c.19.*qui*,inquit,*illicita sine timore facit, quasi potum injustitiæ sine obstaculo glutit.* *Gregor.*

Facilitas autem hæc consistit in tribus. Primò in iteratione, & multiplicatione peccati, incidendo frequenter in eadem peccata, & alia aliis addentes:quod est maximum reprobationis indicium.Ideo dicitur Psalm.68.*appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in justitiam tuam*, & statim subdit. *Deleantur de libro viventium*, id est,ut ibi Lyranus, *per finalem reprobationem, & æternam damnationem.* Hæc iteratio & multiplicatio peccatorum exprimitur primò ab Osea c.4.similitudine inundationis. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt: & sanguis sanguinem tetigit.* Comparat multiplicationem peccatorum inundationi fluminis. Sicut enim amnis in suo fonte, unde originem ducit, exiguus, paulatim hinc, inde influentibus montanis aquis accrescens,mox ingentem evadit in fluvium: nec ripis coercitus, inundatione facta, in vicinos campos erumpit, non sine vastitate arborum,ac ruina: ita prima peccata,quæ in se solis spectata videbantur exigua,sensim aliorum, atque aliorum scelerum additamento,quasi novis aquis adaucta,in tantum excrescunt cumulum,ut instar magni fluminis in reproborum ruinam inundent.Ideo dicitur, *maledictum,mendacium,*&c.*inundaverunt*.Quamobrem Augustinus in Psalm.93.*noli*,inquit, *contemnere minuta peccata tua quotidiana: minutatim ponis, sed cumulum invenies. De minutissimis guttis implentur flumina.* Sicut igitur inundatio fluminum signum jam est imminentis ruinæ: ita multiplicatio peccatorum signum est vicinæ damnationis. Ad majorem autem incutiendum timorem, hæc inundatio non aquarum dicitur esse, sed sanguinum, ideo subditur, *& sanguis sanguinem tetigit*, quem locum expendens Gregorius lib.13. mor.c.16.*Solet*, inquit, *sanguinis nomine significari peccatum, unde is, qui à peccatis liberari desiderat per pœnitentiam, clamat, libera me de sanguinibus. Sanguis ergo sanguinem tangit, cùm culpa culpam cumulaverit.*

Peccatorum multiplicatio maximũ reprobationis argumentum. *Psal.*37. *Lyranus.*

Osea 4.

XIII.

Peccatorum inundatio ex parvo fonte.

Augustin.

Peccata levia non cõtemnenda.

Gregorius.

Sanguinis nomine significatur peccatum. *Psal.*50.

Hæc eadem peccatorum multitudo exprimitur secundò ab Apostolo similitudine thesauri ad Rom.2.*thesaurizas tibi iram in die iræ.* Duo requiruntur, ut aliquid dicatur thesaurus.Primum est,ut sit argenti vel auri non quæcunque massa, sed ingens. Alterum est, ut hæc non sit omnibus manifesta,sed abscondita.Iure ergo dicitur reprobos *thesaurizare sibi iram in die iræ.* Quippe in iis non esse solet unum peccatum lethale,vel alterum: sed ingens peccatorum massa: eáque in latibulo cordis abscondita, nec confessione detecta. Ideo autem dicuntur *thesaurizare sibi iram in die iræ*: quia infelix iste

*Rom.*2.

Peccatorum multitudo thesaurus iræ Dei.

Peccatorum massa abscondita thesaurus infelix.

thesaurus detegendus est in die iræ, nempe in die judicij tum universalis, tum particularis uniuscujusque: quo *ira Dei revelatur super omnem impietatem*. ad Roman. 1. Quamobrem Augustinus in Psal. 93. *tuus*, inquit, *thesaurus in ira invenietur : & quod ponis quotidie per modicum, postea inventurus es massam.*

Rom. 1. August.

XIV. Peccatum gratuitum proprium est reproborum.

Alterum, quod importat peccandi facilitas, est peccatum quasi gratuitum, & ex occasione levi. Sicut enim prædestinationis signum est rarò peccare, idque nonnisi ex gravi occasione : ita reprobationis est signum frequenter peccare, & ex levi, immo interdum nulla occasione. Tale signum reprobationis habent, qui, ut ita dicam, tertio quoque verbo jurant: idque sine ulla aut necessitate, aut utilitate : sed ex prava quadam consuetudine, ex qua exponunt se periculo perjurandi. Tales etiam sunt, & pejores, qui blasphemant : cùm nullum ex eo emolumentum accipiant, præter peccare. De iis dicitur Psal. 72. *Posuerunt in Cœlum os suum.* De quibus infra subditur, *quomodo facti sunt in desolationem ?* Hoc autem inter signa reprobationis censeo maximum, ex hoc etiam capite, quia hi ut jam reprobi, incipiunt assuescere idiomati damnatorum : & illam infelicissimam cantilenam adhibere, quæ per tot dissonas blasphemantium voces, semper auditur apud inferos. Tales etiam sunt qui, quando operè non peccant, peccant consensu in opus, & desiderio planè inutili : quo quoties exardescunt, toties momentaneo actu mercantur sibi æternitatem flammarum. Hoc peccandi genus ex occasione levissima explicatur primò Psalm. 72. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.* Sunt enim aliqui, quorum peccata prodeunt ex macie necessitatis, aut tentationis : sunt alii, quorum peccata prodeunt ex adipe, nempe ex mala voluntate : quæ aut nulla, aut levi occasione oblata delectatur, & quasi pingueseit peccando. Apud hos peccata *transeunt in affectum cordis.* Et hi sunt planè reprobi, de quibus inferius dicitur, *perierunt propter iniquitatem suam.*

Iuramentorum abusus reprobationis signum.

Blasphemos nihil aliud delectat præter peccare.

Blasphemia reprobationis signum maximum.

Peccata cogitationum gratuita.

Psalm. 72.

Peccata alia ex adipe, alia ex macie.

Augustin. Est expositio Augustini enarratione in eum Psalmum, ubi *sunt*, inquit, *mali, sed macie mali : ideo mali, quia exiguitate quadam necessitatis affecti. Pauper furtum facit ex macie. Dives abundans diripit res alienas : hujus iniquitas processit ex adipe.* Explicatur idem secundo Iob. 34. *Qui quasi de industria recesserunt ab eo*, idest quasi captantes occasionem peccandi, & recedendi à Deo. Ideo Gregorius in hunc locum. *Peccatum*, inquit, *tribus modis committitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur, & gravius quidem infirmitate, quam ignorantia : sed multo gravius studio, quàm infirmitate peccatur.* Augustinus etiam loquens de hoc peccato ultroneo lib. de vera & falsa pœnit. cap. 14. *Sunt*, inquit, *qui peccato ultro se offerunt, nec expectant tentationem, sed præveniunt voluntatem : & pertractant secum quàm multiplici*

Iob. 34. Peccare de industria pessimum. Gregorius.

XV. Peccandi tria genera.

actione vitij delectabiliter peccent. Quod innuitur Psalm. 57. dum dicitur *injustitias manus vestræ concinnant.* Quippe aliqui ita peccando delectantur,ut in eo veluti concinnando studiosè impendant operam, *pertractantes*, ut dicebam ex Augustino, *quàm multiplici actione vitij delectabiliter peccent.* Psal.57.

Explicant idem tertiò Ioan. 15. *Odio habuerunt me gratis.* Nam cum quodlibet peccatum mortale sit odium Dei, saltem interpretativum; illi *Deum odio habent gratis*, qui aut ex nulla, aut ex levi occasione Deum offendunt peccantes merè gratuitò.Isti Iuda peiores sæpè Christum vendunt minori pretio, quàm triginta argenteis,simul etiam vendentes animas suas,ut dicitur 1. Machab.1.*Venundati ut faciant malum.* De iis in hoc sensu dicitur Isai. 52. *Gratis venundati estis*, id est, ut explicat Augustinus q.57.in l. Iudic. *Venditi estis sine pretio; & donati*, quia scilicet multi peccant gratis, nullo pretio recepto donantes animas suas diabolo. Ioan.15. Peccatores gratis se diabolo nõ tam vendunt quàm donant. 1.Mac.1. Isaiæ 52. August.

Tertium, quod comitatur facilitatem peccandi, est enormitas in peccando, quod innuitur Oseæ 9. *Profunde peccaverunt.*Aliqui enim peccant veluti attingentes culpam forinsecus, & in cortice;alij intrinsecus, & profunde. Quod tripliciter exponi potest. Primo ut juxta phrasem Hebraicam, ut notat Ribera in hunc locum,idem sit profunde, ac vehementer, sunt enim qui in peccando languide se agunt,& remisse; alij qui ardenter, & vehementer, quod majus est reprobationis indicium. Ideo de iis, qui profunde peccant, subditur, *Recordabitur peccata eorum, visitabit iniquitates eorum.* Secundo exponi potest de iis, qui peccant cum magna advertentia mali; qui non in superficie, sed in profundo penetrant malitiam peccati. Et hoc est, quod supra diximus cum Gregorio, *gravius est peccare studio, quam infirmitate.* Tertiò exponi potest de iis, qui peccant cum circumstantiis valde aggravantibus,& ideo quasi deprimẽtibus ad profundum;& hic sensus videtur conformior litteræ. Subdit enim,*sicut in diebus Gabaa,* quando scilicet,ut exponit Hieronymus, uxor Levitæ incredibili libidine vexata est, qua fœmina *tota nocte abusi sunt.* Iud. 19. illa dolente, & renuente. Atque hæc fuit una circumstantia aggravans ex parte objecti: ex parte verò loci,& personæ fuit alia circumstantia aggravans,quod hoc peccatum commissum fuit in urbe Gabaa,à viris de tribu Benjamin,quæ erat una è tribubus populi Israëlitici, à Deo inter alias omnes nationes electi,& dilecti. Et ideo hi dicuntur profundè peccasse,cum magno reprobationis indicio, cum subdat, *Recordabitur peccata eorum:* quandoquidem de prædestinatorum peccatis dicitur, *Iniquitatum ejus non recordabor.* Ezech.18. Hoc profundè peccare maximè verificari videtur in peccatis gravibus Ecclesiasticorum, qui sunt populus Dei electus. Ideo dicitur 1. Petri 4. *Tempus est ut indicium in-* Oseæ 9. Iudic. 19. Ezech.18. 1.Petri.4.

Basilius. *cipiat à domo Dei.* Quippe, ut notat Basilius apud Oecumenicum in hunc locum, *Natura comparatum est, ut contra eos, qui familiarissimi nobis sunt, cum in nos peccant, graviùs indignemur. Familiarissimi autem Deo sunt qui domum Dei, ideſt Ecclesiam complent, & construunt.* Hi sunt ex iis, qui profunde peccant, ex circumstantia personæ: & de his specialiter dicitur ab Osea, *Recordabitur peccata eorum:* maximo utique reprobationis indicio. De his etiam intelligi potest quod dicitur Isaiæ 26. *In terra Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Quamobrem Bernardus in declamat. *In terra Sanctorum*, inquit, *ideſt in clero existens, tanquam in Cœlo, iniqua gessit: ideo inventa est iniquitas eius ad odium, nec remittetur.* Specialiùs etiam id militat in peccatis gravibus Religiosorum, qui inter regularia claustra in terra Sanctorum iniqua gerunt. De his absolutè pronunciatur ab Isaia, *non videbunt gloriam Domini:* eò quod in his culpa notabiliter crescat ratione status. Sicut enim inter præconia Iobi adnotatur quod fuerit *vir simplex, & rectus in terra Hus,* nempe in medio infidelium & malorum: ita in maximum probrum Religiosis vertitur, quod inter tot bonorum exempla, *in terra Sanctorum iniqua gerant:* in ea nempe terra, quæ tot Beatos Sanctósque protulit. Idcirco Gregorius lib. 2. moral. *Dicitur,* inquit, *de Iob ubi habitaverit, ut hoc eius laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit. Sicut enim gravioris culpæ est inter bonos bonum non esse: ita immensi est præconij inter malos bonum etiam extitisse.* Arguendo igitur à contrario, immensæ est malitiæ malum esse inter bonos; ideoque hoc ut reprobationis signum perspicuum pronunciatur ab Isaia. *In terra Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Hæc de enormitate in peccando.

Isa. 26. Bernard. Iob. 1. Gregor.

Quartum, quod comitatur facilitatem peccati, est securitas in peccando. Nam, sicut plerique prædestinati non solum raro peccant, & occasionatè; sed etiam quando incidunt in peccatum angore quodam, & conscientiæ stimulis agitantur, quos timor Dei subdit, ut citius resurgant: ita plerique reprobi cum quadam animi securitate peccant, oblatrantis conscientiæ vocibus aut vix auditis, aut contemptis. Hi sunt, *qui latantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Proverb. 2. Ita enim sibi complacent de peccatis præteritis, ut de iis interdum etiam glorientur, de quibus tanquam Deo execrandis dicitur Isaiæ 53. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Quod apertum est reprobationis signum, ideo subditur, *væ animæ eorum.* Hi ita se gerunt, ac si existiment à Deo peccata aut ignorari, aut non curari. *Dixit enim in corde suo* (reprobus) *oblitus est Deus: avertit faciem, ne videat in finem.* Psalm. 9. Et infra. *Propter quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo non requiret.* Denique ita se gerunt, ac si Deum cœcum existiment & amentem

Securitas in peccando reproborum propria. Prov. 2. Isaiæ 53. Psal. 9.

amentem : ita ut Deo visum, & intelligentiam adimant. Ideo dicitur Psalm. 93. *Et dixerunt non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Intelligite insipientes in populo : & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat ? qui corripit gentes non arguet, qui docet hominem scientiam ?* In quem locum Augustinus. *Vox*, inquit, *est iniquorum, quod nec attendit ista Deus, nec advertit ut sciat quemadmodum vivas, non curat Deus: Infelix homo, curavit ut esses, non curat, ut benè vivas?* Hæc reprobi.

Peccatores Deo visũ & intelligentiam adimunt. *Psalm. 93.*

Contra verò prædestinati dum peccant, Dei oculum omnia inspicientem excogitant, & reformidant. Idcirco David inter nocturnos cum Bersabea concubitus. Psalm. 138. *Dixi*, inquit, *forsitan tenebræ conculcabunt me* (abscondent me. Id enim, quod pede calcatur, absconditur) *& nox illuminatio mea in deliciis meis ; quia tenebræ non obscurabuntur à te : sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*, idest respectu divini intuitus perinde sunt tenebræ, ac lumen: & ideo *nox illuminatio mea in delicijs meis*, quia nox ipsa, tanquam in meridiana luce, Deo detegit meas illicitas voluptates. Ideo Lyranus in hunc locum, *nox ipsa illuminata est coram Deo, ut videantur ab ipso deliciæ carnales, quæ committuntur in tenebris.* Quamobrem idem David loquens de seipso, dum esset in statu peccati, *eruit*, inquit, *animam meam de medio catulorum leonum : dormivi conturbatus*, quia stimuli conscientiæ tanquam leunculi cor ejus discerpebant, ipsumque somnum turbabant. Quod advertens Chrysostomus hom. 20. in Gen. *Peccanti*, inquit, *neque somnus suavis, sed terrore, & formidine plenus.* Quod maximè verificatur in prædestinatis, ideo David, *dormivi conturbatus.* Hic timor, hæ esse solent cogitationes, & stimuli prædestinati peccantis, & timentis. At reprobi, dum peccant, cum quadam animi securitate peccant, utpotè qui tacitè, & interpretativè dicunt, *non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Psal. 93.

Prædestinati, dũ peccant, stimulis acribus cruciantur. *Psal.* 138. Dei oculo ipsa nox est meridies. *Lyranus.* Peccata nocturna. *Psalm. 93.*

Hoc profectò argumentum est ferè certum reprobationis. Peccatum enim commune esse potest prædestinato & reprobo: cum hoc tamen discrimine, quod peccatum in corde prædestinati gravitat. Quippe invenitur in eo tanquam in loco alieno: sicut terra, quæ extra proprium centrum gravitat. Ideo in corde Davidis gravitabant peccata, cùm dixit Psalm. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum : & sicut onus grave gravatæ sunt super me*, nempe gravitabant; quia erant in corde prædestinati, tanquam in loco alieno: unde erant paulò post decessura. Contra verò in corde reprobi peccata non gravitant, quia ibi sunt tanquam in proprio centro. Cùm cor reprobi centrum sit peccati: quod in eo infigebit, & quiescet per totam æternitatem. Ideo Bernardus lib. 1. de consideratione expendens peccati jam inveterati progressus. *Primò*, inquit, *tibi videbitur aliquid importabile* (nimirum cùm primò peccatur, & sentitur onus peccati)

Peccatum in corde prædestinati gravitat: in corde reprobi non gravitat. *Psal.* 37. *Bernard.*

XVI. Insensibilitas in peccato reprobationis, signum pessimum.

processu temporis non iudicabis adeo grave, paulò post & leve senties: paulò post nec senties. Quia scilicet ponderis gravitas, dum est in proprio centro, non sentitur: peccati autem centrum cor reprobi.

Hæc insensibilitas in peccato maximum est, quod haberi potest, reprobationis signum. Ideo dicitur Prov. 8. *Impius, cùm in profundum venerit, contemnit* quia, ut notat Gregorius lib. 9. moral. cap. 20. *quò longiùs nos conditor deserit, eò mens nostra insensibiliùs obdurescit: ac miserando modo fit quotidie quantò peior, tantò securior.* Idem lib. 5. moral. cap. 28. in illud Iob. 4. *Consumentur velut à tinea*, dicit hoc esse proprium reproborum, consumi sensim sine sensu; velut lignum, quod putrescit à tinea. *Tinea*, inquit, *damnum facit, & sonitum non facit: ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt. Quasi ergo a tinea consumuntur, quia sine sonitu culpæ morsum toleram: dum quanta detrimenta vitæ, & innocentiæ patiantur, ignorat.* De talibus, qui cum hac pestifera securitate peccant, absolutè pronunciavit Chrysostomus hom. 2. in Psal. 50. hos salvari ferè non posse. *Quanti*, inquit, *sunt peccatores, & securi degunt? Quanti rapiunt, & nolunt intelligere, quia inique agunt? Quanti devastant viduas, & pupillorum facultates diripiunt? Quanti aliena matrimonia circumveniunt? Quanti tribulant orphanos, & agnoscere nolunt superventuram sibi calamitatem? Insuper fiducialiter, quæ mala sunt, agunt: nec ingemiscunt, nec lachrymam proferunt, nec confitentur? Quomodo ergo possunt hi tales salvari.* Idem hom. 7. in Matth. *Non*, inquit, *peccatores ita aversatur Deus, quàm eos, qui post peccatum securi sunt, insurabiles prorsus, ac ferrei.* Aptissimè id explicatur exemplo eorum, qui morbo laborant, quem cancrenam appellant medici. Ab iis enim in ea corporis parte affecta, etiam cum secatur, abest omnis sensus doloris: quod medici lethale pronunciant. sicut contra, cùm dolent, bonum, ac recuperandæ valetudinis signum. Idem planè accidit in prædestinatis, & reprobis. Illis enim in vulnere peccati sensus doloris aliquod est prædestinationis signum. In his vero stupor quidam, & insensibilitas conscientiæ, signum est pœnè deploratæ salutis. Egregiè id insinuavit Ambr. lib. de Apol. Davidis cap. 9. in ea verba, *peccatum meum contra me est semper:* ubi, *bona*, inquit, *mentis est, vulnus sentire peccati. Nam, qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem: quod est immedicabilis agritudinis. Qui autem alieno dolore punguntur, sicut doloris sensu non carent: ita non carent sanitatis profectu.* In prædestinatis igitur terror, ac dolor signum salutis: in aliis verò insensibilitas in peccato est, ex Ambrosio, *immedicabilis agritudinis.* Ideo, sicut in iis est securus dolor: ita in his est dolenda securitas. Quod idem animadvertens Salvianus Massil. ad Eccl. cath. lib. 4. *Pœnalis*, inquit, *est homini, ac pernicioſa securitas, præsumptæ spes sarcinæ sunt*

Prov. 8.
Gregorius.
Iob. 4.
Peccatores consumuntur velut à tinea.
Chrysost.
Insensibilitas in peccato assimilatur morbo cancrenæ.
Ambros.
Securitas peccatorũ pestifera.
Salvian.

reatus, damnationem parit usurpata absolutio, & infrà. *Nemini itaque facilis sua causa sit: nullus difficiliùs evadit, quàm qui se evasurum esse præsumpserit.*

CAPUT III.

Secundum prædestinationis signum, post peccatum pœnitentiæ celeritas.

QVoniam electi etiam peccant, & interdum aliqui ex iis graviter peccant, sicut primum prædestinationis signum captavimus à timore peccati: ita secundum à pœnitentia post peccatum.

Prædestinationis signum, post peccatum pœnitentiæ celeritas.

Dico tertiò. Secundum prædestinationis signum, est post peccatum pœnitentiæ celeritas.

Probatur à priori ex primo signo, quia prædestinationis signum est timor peccati, ut patet ex dictis c. 1. Ergo, sicut hic custodit innocentiam ante peccatum: ita etiam incitat ad pœnitentiam post peccatum. Ergo pœnitentia velox post peccatum est signum prædestinationis, quia est signum timoris Dei eò efficaciùs incitantis, quo velocius.

Psalm. 118. *Matth.* 25. Errat prædestinatus ut ovis, reprobus ut lupus.

Confirmatur primò ex psal. 118. iis verbis. *Erravi sicut ovis quæ periit.* Ovis autem symbolum est prædestinati, juxta illud Matth. 25. *Oves à dextris.* Error igitur prædestinati assimilandus est errori ovis. Hoc autem discrimen est inter errorem ovis, & errorem lupi, quod ovis, si quando à reliquo grege deflectens, vagatur errabunda per sylvas, statim ut audit canum latratus, aut pastoris vocem, eò celerrimè advolat: neque antea sistit iter, quàm in pastoris collum imposita reducatur ad gregem. Lupus verò pastoris audita voce, pergit errare per devia: immò quò propiùs audit canum latratus, eò se longiùs proripit. Oves symbola sunt prædestinatorum. Christus pastor est, qui de se pronunciat Io. 11. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas*: canes autem concionatores. Nam, ut notat Gregorius hom. 4. in Evang. *nonnunquam solent in sacro eloquio per canes prædicatores intelligi*, quia, ut idem addit lib. 20. moral. cap. 29. *dum pro domino suo diurnis, nocturnisque vigiliis intenti clamant, quosdam, ut ita dixerim, latratus prædicationis edunt.* Porro erat non ut ovis, sed ut lupus, qui auditis internis Dei, quasi pastoris vocibus, & externis concionatorum clamoribus, quasi canum latratibus, pergit adhuc errare per devia, immò longiùs aufugit: quia lupus, non ovis est.

Ioan. 11. Concionatores figurati per canes. *Gregorius.*

Contra vero prædestinatus peccans, dicere potest cum David:

Erravi sicut ovis quæ periit. Quia inter concionatorum clamores, quasi inter canum latratus, vix audita pastoris voce, ad eum illicò per pœnitentiam se dirigit: neque requiem invenit usque dum per confessionem Christo quasi ovis pastori se subdat. Qui, *cum invenerit eam, imponit illam in humeros suos gaudens, & convocans amicos & vicinos* (nempe sanctos Angelos) *dicit illis, congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Luc. 15. ideo post ea verba, *Erravi sicut ovis, quæ periit,* subditur, *quære servum tuum: quia mandata tua non sum oblitus.* In quem locum Ambrosius serm. 22. *Me,* inquit, *ab ovibus tuis lupus nocturnus avertit. Quære me: quia ego te requiro: inveni me: suscipe. Potes invenire, quem requiris: impone humeris, quem susceperis. Non est tibi pium onus fastidio. Veni ergo Domine; quia etsi erravi, tamen mandata tua non sum oblitus. Veni ut facias in terra salutem, in cœlo gaudium.* Hæc Ambrosius. Profectò erravit David sicut ovis, quia ad primam Domini vocem, atque ad primam Nathanis eum increpantis admonitionem, quasi ad canis latratum, per confessionem sui sceleris statim rediit ad ovile dicens, *peccavi Domino.* Quod expendens idem Ambrosius lib. de Apolog. David. c. 2. *Ille,* inquit, *Rex tantus, & potens, ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam: sed præmaturâ confessione, atque immenso dolore, reddit peccatum suum Domino.* Signum igitur, quod quis adnumeratus sit inter oves, id est inter prædestinatos, est quod quandò peccat, errat ut ovis, quæ ad pastoris vocem illicò accurrit, atque ad caulam reducitur. Celeris pœnitentiæ præmium, est celeritas veniæ. Nam, quia David illicò pœnitentiam egit, Deus illicò veniam dedit, dicente Nathan, *Transtulit Dominus peccatum tuum:* & unica voce, *peccavi*, plurium meruit indulgentiam peccatorum. Quod animadvertens Chrysostomus hom. 6. de pœnitent. *David,* inquit, *per Nathan peccati errore correpto, illicò ad veram properanti conversionem, dicentique, peccavi Domino, verbum unum uno in momento prolatum, universam contulit pœnitenti salutem. Protinùs enim conversionem sententia sequuta est, Dominus transtulit peccatum tuum.* Velox pœnitentia: velox venia: velocior autem venia, quàm pœnitentia. Quippe David post correptionem protulit se pœnitentem, dicens, *peccavi.* Deus verò non post pœnitentiam: sed in ipsamet pœnitentia largitus est veniam. Non enim dixit Nathan in futuro, transferet Dominus peccatum tuum: neque in præsenti, transfert, sed in præterito, *transtulit,* ut significetur jam ex corde Davidis translatum esse peccatum ad humeros Christi, in ipsamet prolatione illius verbi, *peccavi.* Quod expressè testatur idem Chrysostomus loco citato, dum, *uno,* inquit, *temporis momento pœnitentia, & remissio. Dominus dimisit peccatum tuum. Cernis quàm ad salutem velox,* & hom. 2. in psal. 50. *Audisti,* inquit, *Regem di-*

Luc. 15.

XVII. Christus pastor, ovē imponens suis humeris.

Ambros.

Ambrosius.

Celeris pœnitentiæ præmium, celeritas veniæ.

Chrysost.

Velocior Dei venia quàm pœnitentia Davidis.

Chrysost.

centem peccavi ; & Prophetam respondentem , transtulit Dominus peccatum tuum. Velox confessio: velocior medicina. Hæc velocitas veniæ , pœnitentiæ velocitatis est præmium, per quam prædestinatus ostenditur adnumerari se inter oves: quæ, si quando errant, errant ut oves, quæ ad pastoris è devio vocantis vocem illicò accurrunt, & ideò dicit David ex persona cujuslibet prædestinati , *erravi sicut ovis.* Subdit autem , *quære servum tuum : quia mandata tua non sum oblitus.* Hoc enim electorum est proprium, mandatorum Domini inter ipsa peccata non oblivisci. Sicut enim maximum reprobationis est signum , peccare sine pudore , sine timore , sine angore , quasi Dei planè oblitos , ut superiùs ostensum est : ita prædestinationis est signum ut, quando quis peccat, peccet cum pudore, cum angore, inter ipsa peccata Dei non oblitus, qui possit dicere cum Davide, *erravi sicut ovis : quære servum tuum* ; quia inter ipsos errores *mandata tua non sum oblitus.* Et hæc ipsa memoria est ratio in prædestinatis ut citissimè resipiscant.

Prædestinati neque inter ipsa peccata Dei obliviscuntur.

Confirmatur secundò ex Num. 6. ubi inter cæteras leges Nazaræorum præcipitur ut, *si polluatur caput consecrationis ejus, radat illicò in eadem die.* Nazaræi autem Deo consecrati , maximè symbolum sunt electorum, quorum proprium est, ut si aliquandò culpa aliqua *polluantur , radant illicò in eadem die* , ita ut quemadmodum dicit Tertullianus lib. de pœnit. c. 2. *Quidquid error inquinaverit , pœnitentia radat, & radices totas abjiciat.* Dicitur autem, *illicò in eadem die:* ut quemadmodum notat Glossa, *si quis peccato mortali pollutum imitari voluerit, & usque ad consensum descenderit ; tempore, quo cognoscit se deliquisse , statim emendare se studeat.* Ita Petrus , qui abnegando Christum nocte peccavit, pœnitentiam egit illicò eadem nocte : & statim ad galli cantum è peccati somno excitatus , *egressus foras flevit amarè.* Lucæ 22. Quod perpendens Chrysostomus hom. de Iona. *Petrus,* inquit, *ad pœnitentiam non multorum spatia postulavit annorum: sed ipsa nocte, qua cecidit, ipsa quoque surrexit, ipsa nocte, qua meruit plagam , meruit & medelam , ipsa nocte , qua vulnus sensit , sensit & remedium sanitatis.* Nimirùm eadem nocte non priùs corpus quieti dedit , quàm pœnitentiæ : non priùs oculos sopori , quàm lachrymis.

Num. 6. XVIII. Peccatum citò abjiciendum.

Tertull.

Glossa.

Petri Pœnitentia illicò post peccatum.

Lucæ 22.

Chrysost.

Celebre est illud Philippi tertii Hispaniarum Regis effatum. Dicere enim solebat intelligere se satis non posse , quomodo aliquis, qui eo die peccatum mortale se perpetrasse cognoverit, vesperi cubitum ire queat, ac somno se tradere ante expiationem ; periculo expositus è somno gradum faciendi ad mortem , è cubili ad inferos. Idcirco rectè præcipitur, *radat illicò in eadem die.*

Philippi tertij effatum.

Facit huc memorabile exemplum, quod à fide dignis accepi. Quidam vesperi in lecto decumbens , cum subductis cõscientiæ calculis,

Pœnitentia velox cuida

prædestinationis effectus.

se eo die in peccatum mortale incidisse animadverteret, cœpit urgeri hinc conscientiæ stimulis, ut statim ad confessionem accurreret, illinc pudore, & importunitate temporis, ob quod amentiæ notam incurreret. Vicit pudorem conscientiæ stimulus: & nulla mora interposita è lecto exiliens, ad confessarium advolat, noxam confessione diluit. Ad lectum reversus ea nocte repentino morbo oppressus, mortuus repertus est manè: admirantibus, qui rem noverant, eam pœnitentiæ celeritatem: quæ illi & prædestinationis effectus fuit, & signum, impleto illo Nazaræorum præcepto, quo jubetur *caput habens pollutum radere illicò in eadem die.*

Psal. 41. XIX. Prædestinatus currit ad pœnitentiam sicut cervus ad fontem.

Confirmatur denique ultimo ex psal. 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.* Cervus enim, ut ibi Hugo Cardinalis, *cum serpentem comederit, protinus currit ad fontem: & deinde projicit cornua, ac totus mutatur.* David igitur, qui unus erat è prædestinatis, dicit post peccatum eo se desiderio protinùs accessisse ad pœnitentiæ fontem, quo cervus hausto veneno ad fontem aquæ. Idcircò idem Hugo Cardinalis ibidem, *sicut,* inquit, *cervus desiderat, hausto veneno, venire ad fontem aquarum: ita anima fidelis hausto peccato venit ad fontem pœnitentiæ: in quo refrigerium invenit contra peccatum.* Augustinus etiam enarratione in eundem psal. *ita,* inquit, *desiderat anima remissionis peccatorum fontem, quemadmodum desiderat cervus fontem aquarum.* Ideo autem peccator pœnitens cervo specialiter comparatur, quia hic velocissimus est in cursu: & ideo dicitur Cant. 8. *fuge, dilecte mi: assimilare capreæ, hinnuloque cervorum.* Idcirco jubetur homo post peccatum imitari velocitatem cervi currentis ad fontem. Est animadversio ejusdem Augustini, qui, *curre,* inquit, *ad fontem: sed noli ut qualecunque animal currere: ut cervus curre. Invenimus insigne velocitatis in cervo. Impigrè curre: impigrè desidera fontem: non sit tarditas in currendo.* Non potuit exprimi clariùs hæc, de qua loquimur, post peccatum pœnitentiæ celeritas: quæ propria est prædestinatorum designatorum per cervos.

Hug. Card. Cervi cornua mutuâtur in fontibus.

Augustinus.

Cervi velocitas *Cantic.* 8.

Augustin.

Tertulliani locus insignis de acceleranda pœnitentia.

Hanc ejusdem pœnitentiæ celeritatem suadet Tertullianus lib. de pœnit. in fine, exemplo ejusdem cervi, aliorumque animalium. *Quid cessas,* inquit, *aggredi quod tibi scias mederi? Animæ irrationales medicinas sibi divinitùs attributas in tempore agnoscunt. Cervus sagitta transfixus, ut ferrum, & irrevocabiles ejus moras è vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo, si excœcaverit pullos, novit illos rursus oculare chelidonia. Peccator, restituendo sibi institutam à Deo exomologesim* (confessionem) *sciens illam præteribit?* Si igitur, ut docet Plinius lib. 8. cap. 27. homines à brutis animalibus medicinas & remedia didicerunt; cur ea celeritate vir cordatus ad remedium quærendum spiritualium vulnerum non properat, qua cer-

Plinius. Homo à brutis didicit me-

vus ad dictamnum, hirundo ad herbam chelidoniam, & unumquodque animal post morbum ad suum accurrit remedium? dicinas. XX.

Aliis similitudinibus idem confirmat Chrysostomus in Psal. 6. *furentem*, inquit, *equum nisi quis citò repressérit, peribit. Medici venenum serpens, & emanans, nè ulteriùs progrediatur, maxima celeritate sistunt. Hoc autem nos quoque faciamus, & vitium maxima celeritate reprimamus, ne ulteriùs progrediens morbum augeat.* Idem comprobatur exemplo naufragi, qui navi confracta, quàm citissimè potest, accipit tabulam, ut per eam nando salvetur. Peccator enim quidam naufragus est, qui confracta navi, potest usurpare illud Davidis peccatoris; & pœnitentis. Psalm. 68. *Salvum me fac Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Pœnitentia autem dicitur *prima tabula post naufragium.* Quamobrem Tertullianus lib. de pœnit. cap. 4. *pœnitentiam*, inquit, *peccator ita invadit* (ea nuditate, ac celeritate) *ita amplexare, ut naufragus alicuius tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum salvabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit.*

Chrysost. Peccator naufragus. *Psal. 68.* Pœnitentia tabula post naufragiū. *Tertull.*

Hoc igitur prædestinatorum est proprium, ut post peccatum quàm citissimè ad pœnitentiam redeant: & quia sæpè venialiter peccant, sæpè etiam statim post peccatum actum doloris eliciant. Idcircò idem Chrysostomus hom. 2. in Psal. 50. *peccasti*, inquit, *pœnitere, millies peccasti, millies pœnitere.* Quod si hoc post venialia est valdè laudabile, post mortalia est necessarium. Et in his pœnitentiæ celeritas maximè conducit ad finem salutis; atque adeo prædestinationis & effectus est, & signum, si servetur illud Ambrosij in Psal. 1. ubi, *posuisti*, inquit, *vestigium super voraginem culpæ: citò aufer pedem, ne supra plantam tibi ascendat pollutio: & lapsu faciliore deceptus supra lutum resideas.* Denique, quod de Religiosis dicit Bernardus hom. in Matth. 13. *Simile est regnum*, &c. applicari potest unicuique prædestinato. Quippe hic comparatus ad reprobum, *vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs.*

Chrysost. *Ambros.* *Bernard.*

CAPUT IV.

Secundum reprobationis signum, post peccatum pœnitentiæ dilatio.

XXI. Reprobationis signum, pœnitentiæ dilatio.

Dico secundò. Alterum reprobationis signum, est pœnitentiæ dilatio. Ratio hujus à priori ducitur, tum ex oppositione ad prædestinationem, cujus signum est pœnitentiæ festinatio: tum etiam,

quia reprobationis terminus ultimus in hac vita est finalis impœnitentia. Pœnitentiæ autem dilatio non est nisi impœnitentia prolata. Quæ quò magis progreditur, eò magis accedit, & ducit ad impœnitentiam finalem. Ergo magnum reprobationis est signum: cujus ultimus terminus est impœnitentia finalis. Ideo Augustinus ser. 5. qui ponitur in Lætan. *Nullum*, inquit, *gravius infirmantium genus, quàm aliquem morbos suos nolle sanare.*

August.

Confirmatur primò, quia dilatio pœnitentiæ est effectus securitatis peccandi. Qui enim sine cura peccat, sine cura permanet in peccato. Sed securitas peccandi est primum reprobationis signum, ut ostensum est supra num. 15. Ergo, &c.

Peccatum trahitur à peccato. *Psal. 41. Lyran. Gregor.*

Confirmatur secundò, quia pœnitentiæ dilatio ducit ad nova, & ad majora peccata. Ergo reprobationis est signum. Consequentia patet, quia multiplicatio peccatorum reprobationis est signum, ut probatum est num. 13. Antecedens probatur: quia unum peccatum trahit aliud. Ideo dicitur Psal. 41. *Abyssus abyssum invocat*, idest, ut ibi Lyranus, *culpa culpam trahit.* quia scilicet, ut notat Gregorius lib. 25. mor. cap. 9. *Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit.*

Chrysost.

Et ratio est, quia permissio unius peccati esse solet pœna alterius jam commissi, ut ostendit Chrysostomus hom. de Adamo, & Eva, ubi fusè probat, *peccatum consequens præcedentis esse pœnam peccati.* Ergo peccatum commissum, nisi quàm citissimè remittatur, trahet pro pœna permissionem alterius, & hoc alterius, & sic deinceps: atque adeo per hos gradus descenditur ad barathrum damnationis, dum ex uno quis præceps ruit in aliud. Unde sequitur, ut sicut tota series prædestinationis potest pendere à re minima; in qua quis cooperans gratiæ meretur auxilium majus, huic cooperans aliud majus, & sic deinceps, usque ad prædestinationis integrum complementum: ita tota series reprobationis pendet etiam sæpè à re minima; in qua quis peccans meretur diminutionem auxilij, cum qua labitur in aliud peccatum: & merendo per hoc majorem diminutionem, ruit in aliud; & sic deinceps, usque ad reprobationis ultimum terminum. Ex quo fit, ut dilatio pœnitentiæ de peccato commisso, quæ trahit pro pœna permissionem alterius, sit maximum reprobationis indicium, propter lapsum semper in deterius, ex quo devenitur ad deterrimum.

Prædestinationis, & reprobationis series sæpè texitur à re minima.

Chrysost. Avaritia Iudæ reprobationis initium.

Probat id Chrysostomus exemplo Iudæ, qui ex avaritia ad sacrilegium, ex hoc ad Christi proditionem devenit. *Si Iudas*, inquit, *avaritiæ amorem coërcuisset, non venisset ad sacrilegium* (nempe cum in cœna indignè Dominicum corpus accepit) *si illud compressisset, non ad colophonem malorum prosiluisset*, utique ad Christi proditionem. Illustrat hoc duplici exemplo, altero ducto ex incendio, altero ex

naufragio. Sicut enim in materia combustibili accensa flamma flammam parit: & nisi citò extinguatur, ex multiplicatione illa ignis maximus è scintilla, ac sæpe irreparabile excitatur incendium, ita culpa, quæ flamma quædam est mentis, nisi statim per pœnitentiam extinguatur, culpam aliam quasi flammam aliam excitat: & sic consurgit vitiorum incendium, quod est animæ suprema pernicies. *Postquam*, inquit, *in domo parum stuppæ accensum videmus, conturbamur, & omnia movemus, non enim attendimus initium, sed ex initio finem. Hoc igne vehementius animam exedit vitium, oportet itaque prævenias*, (nempe per pœnitentiam extinguendo ignem accensum) *nam si negligentes fuerimus, profectò evadet id difficilius.*

XXII. Peccatorũ multiplicatio incendij similitudine illustratur.

Alterum exemplum ducit Chrysostomus è naufragio; ad quod vitandum, postquam prima undæ aspergo in navim assiluit, confestim navitæ aquam ejectant è sentina: neque expectant extremos maris impetus, aut decumanum fluctum, quo navis absorbeatur. Ita post prima, & minora peccata, si expectentur nova, & majora, facilè ultimum naufragium incurretur. *Hoc viderit*, inquit, *quisquam etiam evenire in naufragio: & conturbari nautas, non quando mare iam superaverit navim, sed quando id futurum esse præviderint. Ne simus ergo in minoribus peccatis socordes, ut à maioribus liberemur.* Pœnitentiæ igitur dilatio per minora peccata ducit ad majora, & sic ad extremum damnationis.

Idem explicatur similitudine naufragij.

Pœnitentiæ dilatio non minuit difficultatem, sed auget.

Confirmatur tertiò, quia ex dilatione pœnitentiæ non minuitur, sed crescit pœnitendi difficultas. Ergo, si stante minore difficultate, homo remanet impœnitens, signum est, quod multò magis remanebit impœnitens adveniente difficultate majori. Et quia hæc semper crescit, signum est quod semper remanebit impœnitens: quod proprium est reproborum. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia per dilationem pœnitentiæ peccator habituatur in statu peccati. Ergo difficultatur ad statum pœnitentiæ, quia idem habitus facilitans ad statum peccati, difficultat ad statum oppositum: sicut è converso habitus virtutis facilitans ad bonum, difficultat ad malum bono oppositum. Difficultas hæc consurgens ex habituali permanentia in peccato, quæ est ut plurimum cum usu, & frequentia peccandi, in sacris litteris variis similitudinibus explicatur, quæ ad confirmandum intentum valde faciunt.

Habitus facilitans ad unum difficultat ad oppositum.

XXIII. Peccatorũ funes quomodo texantur.

Explicatur primò similitudine funium. Proverb. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium: & funibus peccatorum suorum constringitur.* Sicut enim funis è multis funiculis construitur, qui quantò plures coadunati fuerint, eò funem efficiunt validiorem, unde est illud Eccl. 4. *funiculus triplex difficilè rumpitur*: ita habitualitas in peccando è pluribus peccatis actualibus, quasi è funiculis pluribus, funem efficit adeo validum, ut peccatorem in statu peccati constringens, pœnè

Prov. 5.

Eccles. 4.

Hilar.

Peccata fasciæ cur dicantur.

impotentem reddat ad motus gratiæ. Quod egregiè explicans Hil. in Psal. 118. *modo*, inquit, *funis ex pluribus minimis crescentis in multum peccata tanquam longo fune tenduntur. Sunt hæc delictorum vincula, de quibus in Proverbijs scriptum est, fascijs peccatorum suorum unusquisque constringitur, stringit enim nos, atque alligat; & his peccatorum funibus diabolus implicat.* Nota hic ab Hilario ubi vulgata *funibus*, verti *fascijs*. Quia scilicet peccator in sua insipientia comparatur puero. Isaiæ 65. *puer centum annorum morietur: & peccator centum annorum maledictus erit.* Peccatorem in peccato inveteratum puerum vocat, ut notat Cornelius, ob pueriles mores, & amores. Huic seni puero non alias diabolus in ejus infantia fascias exhibet, quàm funes, ideo dicitur, *fascijs peccatorum suorum constringi.* Fasciis constringitur ut puer: funibus ligatur ut reus. Sicut enim fasciis, funibusque constrictus neque moveri potest, neque hosti aggredienti resistere: ita habituatus in peccato tã debiliter diaboli suggestionibus resistit, ut pœnè videatur ei ligata mens, & adempta libertas. Ideo Gregorius lib. 4. mor. cap. 25. *cum culpa*, inquit, *in usum venerit, iam ei animus, etiamsi velit, resistit debilius: quia quot vicibus frequentationis astringitur, quasi tot vinculis ad manum ligatur.* Huc alluſit Propheta Psal. 57. dum dixit, *iniquitates manus vestræ concinnant*, sivè *connectunt*, ut legit Augustinus, qui, *quid est*, inquit, *iniquitates connectunt? de peccato peccatum quamdiu connectis, ligas peccatum peccato.*

Isa 65. Peccator puer centũ annorum. *Cornel.*

Habituatus in peccato debilissimè resistit diabolo. *Gregor.*

Psal. 57. Reprobus funibus peccatorũ ad interitũ trahitur. *Beda.*

His peccatorum veluti funibus trahi reprobos ad extremum suæ damnationis interitum, animadvertit Beda in Proe. cap. 5. ubi *impij*, inquit, *funibus peccatorum suorum constringuntur, cum incessabili augmento suæ pravitatis intereunt. Qui funem facit torquendo semper, & involuendo fila filis adauget. Talis est fortitudo malorum operum.* Nolit igitur reprobus primùm peccatum quasi unicum filum despicere: quia si in peccato permanserit, dum peccata peccatis adtexit, & *fila filis adauget, jam fune constringitur; quo, cum incessabili augmento suæ pravitatis, intereat.* Ideo ubi vulgata, *funibus*, Irenæus lib. 3. cap. 10. & Augustinus in Psal. 139. vertunt, *restibus*: eo quod reste finire vitam soleant facinorosi. Favet Rabbi Salomon. qui pro, *constringitur*, legit, *suspenditur*, alludens ad eos, qui trabe suspensi fune, ac laqueo moriuntur. Comprobat hæc, quæ diximus, versio Isidori de off. Eccl. lib. 2. cap. 16. ubi pro, *funibus*, legit, *crinibus*, sive quia ex equinis crinibus texi soleant funes validi: sive quia alludit ad interitum Absalonis: cujus *caput adhæsit quercui, illo suspenso inter cœlum, & terram.* 2. Reg. cap. 18. Nam, ut narrat Iosephus Antiq. lib. 7. cap. 9. *cum agitatione ventilaretur capillitium, arboris ramo implicitum juvenem suspendit.* Idque fuit divinæ justitiæ argumentum, quippe, ut refert Iosephus cap. 8. tanto in pretio, ac tanta erat ejus cæsaries, ut *intra octavum quoque mensem ad ducentos*

XXIV. Peccata laquei quibus peccator suspenditur.

Irenæus. August. Rabbi Salo. Isidor.

Absalon crimine suspensus interiit. *2. Reg. 18. Iosephus.*

siclos accresceret. Ideo capillus illi pro fune fuit: & crine, quo se oblectabat, suspensus interiit. Et huc alluditur à Salomone, dum dicit, *Impius crinibus peccatorum suorum suspenditur.* Eodem enim modo, quo Absalon, reprobi cæteri, iis ipsis peccatis, quibus maximè oblectari solebant, quasi crinibus in funes versis, ut dicebamus ex Beda, *cum incessabili augmento suæ pravitatis intereunt.* Denique ad exprimendam difficultatem dissolvendi hos funes, qui ad damnationem, atque interitum pertrahunt, legunt Septuaginta, *catenis peccatorum suorum ligantur*, quia peccata usu firmata, ligant ut funes, abrumpi nequeunt ut catenæ. Ideo August. l. 6. confess. c. 5. *ex perversa*, inquit, *voluntate facta est libido, cum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, est facta necessitas.*

Peccata ligant ut funes, abrumpi nequeunt ut catenæ. *August.*

Atque hinc videre est discrimen maximum inter electos, & reprobos, nam electi ita clavis timoris Domini confixi sunt, ut videatur iisdem adempta libertas peccandi: & quemadmodum dixit Ambrosius cit. psal. 118. ser. 15. *libertatem vagandi cupiditas voluptatum cruci affixa non habeat.* Reprobi verò ità catenis peccatorum obstricti sunt, ut pænè libertatem non habeant evadendi è peccato: dum, ut diximus cum Augustino, *consuetudo, cui non resistitur, est facta necessitas.* Iure ergo dicitur, *impius catenis peccatorum suorum constringi.* Quod de seipso, dum premebatur peccatis, confessus est idem Augustinus loco cit. ubi, *suspirabam*, inquit, *ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum inimicus ita tenebat: & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quasi annulis quibusdam sibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus.* Hæc ille. Cur autem, dum catenis peccatorum suorum constringi dicitur peccator, quas hic Salomon catenas vocat, Isaias cap. 5. appellet *funiculos vanitatis*, quasi vinculum inane, ac futile, rationem reddit Hieronymus in eum Isaiæ locum; quia scilicet peccatum inane est, & futile ad oblectandum, ferreum est ad obstringendum. *Peccatum*, inquit, *vocat vanitatem, quia facientibus peccatum facilè texitur: adeo in se inane, ac futile, ut est tela aranearum: sed, cum inde exire voluerimus, insolubilibus vinculis nectimur.* Quotidiana id experientia comprobat in peccatoribus vitio alicui, præsertim lasciviæ mancipatis, qui sæpè ex tædio peccati incipientes sibi ipsis esse fastidio, cum lachrymis, & angore animi affirmant, expedire ex eo vinculo velle se, sed non posse, juxta illud supradictum Augustini, *consuetudo est facta necessitas.* Similes profectò iis avibus, quæ ligatis alis, ad volatum eniruntur, sed nequeunt. Quod insinuatur Oseæ 4. dum dicitur, *ligavit eum spiritus in alis suis.* idest, ut exponit Hieronymus, *ligavit eum spiritus diaboli in alis suis.* nempe, ut ait Lyranus, *in intellectu per excœcationem, in affectu per executionem.* sive, ut magis reor, in intellectu, & voluntate: quæ

Prædestinatis adempta videtur libertas peccandi, reprobis non peccandi. *Ambros.*

Peccati dura servitus.

Peccata cur funiculi vanitatis.

XXV.

Peccatoris alæ ligatæ. *Hieronym.*

quasi quædam alæ sunt animæ, quibus in Deum possit assurgere. Intellectus ligatur per incogitantiam supernorum : voluntas per affectum terrenorum. Quibus aliis ligatis, anima frustra revolare tentat ad Deum, siquando, vel confessione Paschatis, vel alio quopiam tempore restitui ad statum gratiæ contendit, nisi pravæ consuetudinis vinculum disrumpatur.

Anselmus. Edinerus. Id hoc eodem exemplo avis egregiè explicavit Anselmus, ut habetur lib. 2. ejus vitæ ab Edinero Anglo conscriptæ, cujus, quia ad probandum intentum maximè faciunt, libet hic verba transcribere. *Conspexit*, inquit, *Anselmus puerum in via ludentem cum aviculâ, quæ pedem filo annexum habens, sæpè, cum laxiùs ire permittebatur, fugæ sibi consulere cupiens, avolare nitebatur. At puer filum manu tenens retractum usque ad se dejiciebat : & hoc ingens illi gaudium erat. Quod pater conspiciens condoluit avi : atque, ut rupto filo libertati redderetur, optavit. Et Ecce filum rumpitur, avis avolat, puer plorat, pater exultat. Et vocatis nobis, consideratis, inquit, jocum pueri ? Ita jocatur diabolus cum multis, quos suis laqueis irretitos pro sua voluntate in diversa vitia pertrahit. His contingit aliquando, ut sua facta considerent, defleant, seque ab iis cessaturos sibi promittant : & more avis se liberos volare autument. Sed quia pravo usu irretiti ab hoste tenentur, volantes in eadem vitia dejiciuntur ; nec liberantur, nisi magno conatu, per Dei gratiam, filum pravæ consuetudinis dirumpatur.* Hæc Anselmus explicans fusiùs id, quod breviùs dixit Oseas, *ligavit eum spiritus in alis suis.* Quod idem exemplum reperio apud Chrysostomum ser. de pœnit. *Chrysost.*

Et ratio est à priori, quia deleta per confessionem peccati macula, habitus ex malorum actuum frequentia contractus, & illa ad pravos assensus proclivitas non deletur. Hoc satis est dæmoni, ut hominem toties ad peccatum impellat, usquedum devolvat ad inferos. Magnopere igitur evitandum, si manifestum hoc reprobationis signum vitare contendimus, ne per dilationem pœnitentiæ prava consuetudo succrescat : &, si jam creverit, ne ulteriùs progrediatur : sed ut, juxta superius Anselmi monitum, *magno conatu per Dei gratiam filum pravæ consuetudinis abrumpatur.* Vinculum quippe hoc Gordiano nexui simile dissolvi non potest, præcidi potest. Violentia opus est maxima, ut quis à statu reproborum ad statum transeat electorum. Denique necesse est, ut quis mala consuetudine irretitus exemplo utatur Augustini, qui, ut de se narrat lib. 8. confess. c. 11. *Excrucians semetipsum, flagella ingeminans timoris, ac pudoris, non cessavit, donec abrumperetur id ipsum exiguum, & tenue, quod remanserat : timens, ne revalesceret iterum, & eum robustiùs alligaret.* Hæc de signo reprobationis ducto ex prima similitudine vinculi, juxta illud Proverb. 5. *funibus peccatorum suorum constringi-*

Filum pravæ consuetudinis præcidendum.

Augustinus.

Proverb. 5.

tur. Reus enim constrictus funibus signum gerit conspicuum, quod citò sit in carcerem detrudendus, juxta illud Matth. 22. *ligatis manibus, & pedibus mittite in tenebras exteriores.* Quod animadvertens Augustinus in psal. 139. *prævitas*, inquit, *sibi connexa ducitur in longum: nec cogitans præcidere quod malè texuit: sed addere, & protendere* (ecce pœnitentiæ dilationem) *habet in fine, unde illi ligentur manus, & pedes, & injiciantur in tenebras exteriores.* Expressiùs id habet Basilius in catena Græca, loquens de pœnitentiæ dilatione, *laqueus*, inquit, *fortis est pœnitentiæ dilatio. Qui enim nimium differt, ille pravis suis operibus, quasi propriis laqueis, tandem miserè capitur.* Hæc de similitudine vinculi.

Matth. 22. Vincula, quibus reprobi detruduntur ad inferos, sunt habitus vitiosi. *Augustin.* *Basilius.* Pœnitentiæ dilatio fortis laqueus.

Explicatur idem secundò similitudine Regni, ex Paulo ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Gregorius enim lib. 20. moral. c. 3. perpendit, *non dici à Paulo non sit peccatum, sed non regnet peccatum, peccatum quippe in mortali corpore non esse, sed regnare prohibuit.* Sunt enim aliqui, in quibus peccatum transit, sed non habitat: aliqui, in quibus habitat, sed non regnat: aliqui, in quibus habitat, & regnat. Primi ij sunt, qui per pœnitentiæ celeritatem efficiunt, ut peccatum sit in ipsis quodammodo transeunter: & hoc prædestinationis est signum, ut ostensum est. Secundi sunt ij, qui neque tam citò convertuntur, ut dici possit per eos peccatum tantummodò transire: neque tam serò ut dici possit regnare: & in eo ipso, in quo peccant, licet sæpè vincantur, sæpè etiam vincunt: & sic peccatum in iis non plenè dominatur, ac regnat. Hi quoad signũ prædestinationis, aut reprobationis, medio modo se habent. Tertium genus hominum est, eorum, in quibus peccatum non est transeunter, sed permanenter: neque in iis solùm habitat, sed etiam regnat, quia eos peccatum plenè, ac pacificè possidet, sicut Rex proprium Regnum: circumductos undequaque ad nutum ejus passionis, quæ in eorum cordibus dominatur. Hoc est maximum reprobationis signũ, quod omnino cavendum esse jubet Apostolus his verbis, *non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Est animadversio Bernardi serm. 10. in psal. *Qui habitat*, ubi, *est*, inquit, *considerare homines, in quibus peccatum non modò habitat, sed etiam regnat. Est & alios invenire, in quibus quidem adhuc manet peccatum: sed non dominatur, aut prævalet; evulsum quodammodò, sed non tamen expulsum; dejectum, non prorsus ejectum.* Hoc postremum ad aliquale signum prædestinationis accedit: illud prius ad signum maximum reprobationis. Ideo Gregorius lib. 14. moral. cap. 9. in illud Iob. *Calcet super eum quasi Rex interitus, Diabolus*, inquit, *reprobi mentem dum possidet, calcat, quia quoties eam delectationibus pressit, toties super eam pedes suæ tyrannicæ dominationis posuit. Si verò interitus nomine non diabolus, sed peccatum debet intelligi, à quo contingit reprobos ad interitum*

Gregor.

XXVI. Peccati regnum. *Rom. 6.* *Gregorius.* Peccatum in reprobis regnat: in prædestinatis interdũ est, sed non regnat.

Bernard.

Peccantium genus duplex.

XXVII. Diaboli regnum.

trahi, talis nimirum interitus quasi Rex calcat mentem, cum eam non resistentem possidet. Et infrà. *Hujus interitus regnum à discipulorum cordibus repellit Apostolus, cum dicebat, non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non enim ait, non sit, sed non regnet, quia non esse non potest: non autem regnare in cordibus bonorum potest.* Peccatum igitur in electorum mentibus aliquando est, sed non regnat: in reprobis non solùm est: sed, dilata pœnitentia, per longum peccandi usum etiam regnat.

Isaiæ 14. Habitus peccandi regulus est è colubro natus.

Hinc est illud Isaiæ 14. *De radice colubri egredietur regulus.* Cum enim quodlibet peccatum sit coluber, juxta illud Eccles. 21. *quasi à facie colubri fuge peccatum,* de radice colubri egreditur regulus; quia de peccato jam radicato nascitur habitus; qui tanquam regulus reproborum mentibus dominatur. Est expositio Bernardi serm. de septem donis, ubi, *Indicet,* inquit, *sibi homo jejunia, corpus castiget, ac subjiciat servituti: ne forte de radice colubri egrediatur regulus, de concupiscentia consuetudo.* Hic autem, ut notat Gregorius lib. 33. moral. cap. 27. *non solùm serpens, sed & regulus dicitur: eò quod reprobis hominibus principetur.* Per regulum Interpretes Basiliscum intelligunt, qui, ut refert Plinius lib. 8. cap. 20. *In capite macula, ut quodam est diademate insignis.* Macula peccati diadema est, qua sive peccatum, sive diabolus ad nostram tyrannidem coronatur, qui, ut dictum est ex Gregorio, *regulus dicitur, eò quod reprobis principetur.* Hoc idem videtur significari Isai. 59. dum dicitur, *quod confotum est erumpet in regulum.* Quia scilicet peccatum, quod nimio usu interiùs confovetur, quasi in basiliscum erumpit, qui in anima dominatur. Quamobrem idem Gregorius 15. moral. c. 9. *quod confotum est,* inquit, *erumpet in regulum: quia consilium maligni spiritus, quod corde tegitur, ad plenam iniquitatem mittitur: Regulus namque superbiæ Rex dicitur.* Idem innuitur Ier. 8. ubi, *ecce ego,* inquit, *mittam vobis serpentes, & regulos, quibus non est incantatio.* Nam quia Basiliscus solo afflatu, ut testis est Solinus cap. 30. immo etiam solo aspectu necat, ob quod appellatur à Plinio loco citato, *internecio generis humani,* omnibus, qui eum vident confestim expirantibus: ideo non datur incantationis locus, quo ejus mortifera vis coërceatur. Deus igitur tunc *mittit serpentes regulos,* cum vitia quædam permittit longa consuetudine nutrita, atque animis dominantia, quæ ad eliciendum novum peccati consensum, non aliam gravem tentationem requirunt, quàm solum mulieris aspectum, immo solum tenuissimæ cogitationis afflatum contra *hunc non est incantatio,* idest persuasio vehemens aut concionatoris, aut confessarij. Quæ est animadversio ejusdem Gregorij lib. 34. moral. c. 5. ubi *immittam,* inquit, *vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio; ac si diceret, justo judicio talibus vobis immundis spiritibus tradam, qui à vobis re-*

Eccles. 21.
Bernard.
Gregorius.

Basiliscus macula coronatus figura diaboli, & peccati.

Plinius.
Isaiæ 59.

Gregorius.

Ierem. 8. Basiliscus afflatu, & aspectu necans symbolum habitus vitiosi.

Solinus.
Plinius.

XXVIII. Concionatoris vox incantatio, non valens contra habituatos in peccatis.

Gregorius.

pelli exhortatione prædicantium, quasi incantantium, sermone non valeãt.

Peccatum igitur cõsuetudine firmatum regulus quidam est animæ: circa quam ita tyrannidem suam exercet, ut non patiatur eam assurgere ad libertatem filiorum Dei. Nam, ut advertit Chrysostomus apud Anton. & Maximum ser. de consuet. *Nihil est in rebus humanis tam firmum, quàm veteris consuetudinis tyrannis.* Ideo signum est probabilissimum futuræ damnationis. Quia, ut notat Bernardus de gradibus superbiæ gradu 12. *concupiscentia revivíscente sopitur ratio: ligat consuetudo: trahitur miser in profundum malorum: & carnalium voragine desideriorum absorptus traditur captivus tyrannidi vitiorum.* Tyrannis igitur, & regnum peccati, de quo Apostolus, nihil aliud est, quàm regnum serpentis reguli: quod plenè possidens cor reprobi, argumentum est diabolicæ tyrannidis in eo perpetuò duraturæ.

Chrysost.

Consuetudo mala tyrannis.

Ad hoc signum reprobationis cavendum requiritur potentia, & virtus Christi, qui juxta illud Isaiæ 11. *Delectatur ab ubere super foramine aspidis, & in caverna reguli manum suam mittit.* Ideo assimilatur Christus Cervo. Cant. 2. *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.* Nam cervi, ut refert Plinius lib. 8. cap. 32. *vestigant cavernas, nariumque spiritu serpentes extrahunt renitentes.* Christus igitur assimilatur ceruo, quia si cerui vestigant cavernas ad extrahendos serpentes, ipse *delectatur in foramine aspidis, & in caverna reguli mittit manum suam.* Quamobrem Origenes hom. 3. in Can. *Christus*, inquit, *similis est hinnulo cervorum, quia ad perimendos serpentes venit.* Ambrosius etiam tract. de prima interpell. David. *Christus*, inquit, *similitudinem cerui suscepit: quia serpentem sine ulla sui offensione contrivit.* Confugiat igitur toto corde ad Christum, quicunque cupit extrahere hunc serpentem è latibulis cordis sui, ut ipse *mittat manum suam in caverna reguli.* Confugiat simul ad sacerdotes, & confessarios per humilem, & doloriferam confessionem. Ideo enim Christus Ioan. 20. *Insufflavit, & dixit eis, accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, ut sacerdotes discerent per verba absolutionis, & admonitionis tanquam cerui spiritu oris sui hujusmodi serpentes regulos è penitissimis recessibus cordis extrahere, & occidere. Sacerdotes enim successores sunt Apostolorum qui, ut notat Ambrosius loco cit. *Serpentes tollunt, dum è latebris corporum eruunt nequitias spirituales.* Hæc de signo reprobationis ducto è regno peccati habitualis tanquam serpentis reguli, diuturna consuetudine tanquam diademate coronati: quod in reproborum animis dominatur.

Isaiæ 11. Christus cur ceruo assimilatus. *Cantic.* 2. *Plin.* Cerui afflatu extrahũt serpentes. *Origenes.* *Ambros.*

Ioan. 20. Sacerdotes cerui, qui afflatu solo serpentes extrahunt. Apostoli cervi. *Ambros.*

Explicatur idem tertiò in Scripturis similitudine Æthiopis, & Pardi. Ierem. 13. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut Pardus varietates suas.* Peccatoris enim conscientia, quasi facies per peccatum denigratur, juxta illud Thren. 4. *Denigrata est super carbones facies*

Ierem. 13. Peccatoris conscientia ut facies Æthiopis.

eorum, amisso nempe candore gratiæ, & igne charitatis extincto, quia *peccatores*, ut ait Gregorius 32. moral.cap.43. *nigri post candorem fiunt: & frigidiores extinctis carbonibus evadunt.* Hæc autem nigredo peccati ita diuturnitate temporis adhæresit, ut non jam color adscititius, & extrinsecè adveniens; sed naturalis, & intrinsecus videatur: ut est nigredo Æthiopi intrinseca, & naturalis, quia, ut ait Bernardus serm.de septem donis Spiritus sancti, *consuetudo, quædam altera natura est.* Et ideo dicitur à Ieremia de peccatore habituato in peccatis, *si potest Æthiops mutare pellem suam*, non dicit, si vult; sed, *si potest*: quia consuetudo versa in naturam ferè impossibile hoc reddit. Quippe, ut supra diximus ex Augustino, *consuetudo, cui non resistitur, fit necessitas.* Quamobrem consuetudo parit quasi necessitatem, necessitas impossibilitatem, sicut impossibile est deponi nigredinem ab Æthiope, nisi ejusdem pellis excorietur. Ideo Bernardus serm.9. in Cant. *Sunt aliqui*, inquit, *qui quasi cute quadam, sic aliqua prava operti, & involuti sunt consuetudine vitiorum: ut illam dediscere, & desuescere non tam sit spoliari, quàm excoriari.* Ideo dicitur, *si mutare potest Æthiops pellem suam:* quia peccator habituatus nigredinem suam nequit deponere, nisi planè excorietur.

Gregorius.

XIX. Consuetudo altera natura. Bernard.

Augustin.

Peccator habituatus excoriari debet ut corrigatur.

Mirificè etiam quadrat similitudo Pardi, cui naturalis est varietas macularum: quæ variæ quidem in Pardo omnes sunt; omnes tamen maculæ sunt, ut advertit Plinius lib.8. cap. 17. Quippe peccatum quodlibet macula est animæ, juxta illud Ierem. 2. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es coram me in iniquitate tua.* Porrò peccator ex dilatione pœnitentiæ non uni tantùm peccato assuescit, sed varias, & multiplices peccatorum maculas contrahit: quas ita difficile deponit, sicut *Pardus varietates suas.* Qui enim luxuriæ macula pollutus est, etiam in odium, aut homicidium labitur: ut apparet exemplo Davidis, qui in homicidium incidit post adulterium, quod expendens Chrysost. hom. 1. in Psal. 50. *homicidium*, inquit, *adulterij fructus efficitur.* Item, qui libidini servit, prodigus est: idem, ut habeat, quod effusè prodigat amasiis, alieni appetitor est, & avarus: &, ut notat Gregorius l. 13. moral. c. 6. *quem avaritia pertrahit ad rapinam, rapina ducit ad fallaciam: ut perpetratam culpam ex falsitate defendat.* Denique, ut advertit Bernardus de gradibus humilitatis gradu. 12. superbiæ: *quem ligat consuetudo* (peccandi) *indifferenter libitis pro licitis utitur. Quidquid in cor, in buccam, in manum venerit, machinatur, garrit, & operatur malevolus, vaniloquus, facinorosus.* Ecce cum tot macularum varietatibus ex prava consuetudine reprobus: quas ita difficilè potest deponere, sicut *pardus varietates suas.* Ideo Nazian. or. 1. in Iulian. Æthiopis, & pardi similitudine usus, *Natura*, inquit, *non patitur, ut vel Æthiops atrum colorem, vel pardus distinctas macularum notas, vel*

Peccator pardo similis ob varietatem macularū. Plinius. Ierem. 2.

Peccatorū varietas in reprobo.

Chrysost.

Gregor.

Bernard.

Nazianz.

vel Iulianus (quilibet reprobus Iuliani imitator) *improbitatem deponat.* Addit de Pardis Plinius : *non deesse qui tradant in armis similem Lunæ esse maculam , crescentem in orbes , & cavantem pari modo cornua* , ut in hoc etiam à seipso varium se Pardus ostendat. Quo significatur omnimoda reprobi instabilitas. Quippe *stultus ut Luna mutatur.* Eccl.27.in hoc uno non varius, quod semper varius.

Plinius. XXX. Pardis in armo macula Lunæ similis. Instabilitas reprobi. *Eccles.27.*

Ita igitur culparum varietas naturalis est reprobo, sicut nigredo Æthiopi, & macularum varietas naturalis est Pardo. Unde fit, ut transeunte consuetudine in naturam, negotium salutis reducatur pœnè ad impotentiam, *si potest Æthiops*, &c. Quod maximum est reprobationis signum. Tum quia de cœlesti Hierosolyma dicitur, *aliquod coinquinatum non intrabit in eam.* Apoc.21. Tum quia, cum dæmones apparere soleant, ut nigerrimi Æthiopes, jam illorum similitudinem induere incipiunt reprobi, *Si potest Æthiops* , &c. & hæc est tertia similitudo ducta è Scripturis.

Apoc.21. Peccata cõsuetudine firmata vulnera sũt putrescentia. *Psal.37.*

Explicatur idem quartò similitudine vulnerum putrescentium. Psal.37. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ* Peccatum enim, dum committitur, quoddam animæ lethale vulnus infligitur, ideo dixerat, *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Putruerunt* , &c. cicatrix autem est vulnus obductum, quod quando, antequam curetur, obtegitur , putrescit. Quo significatur peccatum non adhuc confessione detectum. Nam , ut ait Gregorius homil. 4. in Evang. *Quid est peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum ruptio.* Qui verò confessionem dilatat , similis est illi , qui lethali vulnere accepto medici adventum, & vulneris curationem differt : quod nisi tempestivè curetur, putrescit , atque insanabile redditur. Quare Bernardus l.1. de consid.ad Eug. *Si res* , inquit , *per consuetudinem in incuriam venerit, vulneri vetusto, & neglecto callus obducitur : & eò fit insanabile, quò fit insensibile.* Hoc queritur Dominus per Is.c.1.*vulnus , & livor, & plaga tumens non est circumligata , nec curata medicamine , neque fota oleo.* Plaga scilicet peccati , ut Hieronymus, & alij in eum locum. Et quia adhibita sunt opportunè medicamenta , ideo *putruerunt , & corruptæ sunt cicatrices* usque ad teterrimum odorem pessimi exempli. Idcirco legit Augustinus *putruerunt , & putuerunt cicatrices; unde*, inquit , *putuerunt, nisi quia computruerunt ? cui fœtori peccatorũ contrarius est odor ille, de quo dixit Apostolus Christi bonus odor sumus.* Quando autem vulnus transit usque ad fœtorem, ex medicorum pronunciatis, aut nullam, aut difficillimam curationem admittit.

Peccatum non confessione detectum vulnus est obductum, *Gregorius.*

Bernard.

Isaiæ 1.

Hieronym.

Exemplum malum fœtor est vulneris. *Augusti.*

Quod si non solùm primum vulnus putrescat, sed addatur antiquo vulneri novum, omnino redditur insanabile. Idem profectò facit peccator, qui ex dilatione pœnitentiæ , quasi dilato primi vulneris medicamine , peccata peccatis, vulnera vulneribus aggerat. Ideo ex

Peccatum peccato addere est vulnere cõcidere super vulnus.

horum persona Ecclesia queritur. Iob. 36. *concidit me vulnere super vulnus.* Quippe, ut notat Gregor. l. 13. moral. c. 6. *in infirmis suis Ecclesia vulnere super vulnus conciditur, quando peccatum peccato additur: ut culpa vehementiùs exaggeretur.* Sicut igitur ex dilatione medicaminis vulnera putrefacta signa sunt mortis; & ex nouo vulnere in parte jam vulnerata, priora vulnera recrudescunt ad mortem: ita ex dilatione pœnitentiæ, & multiplicatione peccatorum inducitur interitus, & damnatio. Unde fit, ut hæc dilatio pœnitentiæ reprobationis sit signum.

Iob. 36. Gregor.

XXXI. Peccatum mors animæ.

Explicatur idem quintò similitudine mortui Ps. 38. *erraui sicut ouis, quæ periit.* Ad Rom. 5. *Vnius delicto multi.* 1. Ad Tim. 5. *Vidua, quæ in deliciis est, viuens mortua est.* Quibus in locis peccatum exprimitur similitudine mortis. Quod enim præstat anima corpori, hoc gratia præstat animæ. Sicut autem anima corpus animat, & dat illi esse viuens: quia est principium operationum vitalium naturalium: ita gratia ipsam animã animat: quia illi est principium operationum supernaturalium & meritoriarum æternæ vitæ. Ideo, sicut discedente anima corpus moritur: ita moritur anima discedente gra Ar hæc non discedit nisi per peccatum, quod mortale dicitur: quia tollendo vitam gratiæ, mortem infert animæ. Idcirco peccatorem convertere est mortuum suscitare: dum, ut ait S. Maxim. hom. 59. *animæ viuenti in corpore iam defunctæ ad emendationem, ac lucem vocatæ à Deo resuscitantur.* Immo tanta est in hoc difficultas, ut affirmet Gregor. dialog. l. 3. c. 17. *majus miraculum esse prædicationis verbo peccatorem conuertere, quàm mortuum suscitare.* Mortui igitur suscitatio symbolũ est peccatoris reuiuiscentis ad gratiam. Porrò Christus Dominus tres mortuos in Evangelijs legitur suscitasse. Primum domi, nempe filiam Archisynagogi recentissimè mortuam, cum nondum elata esset. Secundum foris, & aliquot horis ante jam mortuum, nempe *cum appropinquaret portæ ciuitatis, & efferretur filius unicus matri suæ.* Luc. 7. Tertium in sepulchro, nempe Lazarum *quatuor dies habentem in monumento.* Ioan. 11. Primum, & secundum recenter mortuos suscitavit facillimè paucis verbis, *puella tibi dico surge.* Marc. 5. *Adolescens tibi dico surge.* Lucæ 7. Tertium verò, nempe Lazarum, ut quatriduanum resuscitaret, sex valde extraordinaria adhibuit, ut narrat Ioan. cap. 11. Primò *infremuit spiritu.* Secundò *turbavit semetipsum.* Tertiò *lachrymatus est Iesus.* Quartò *rursum frequens in semetipso venit ad monumentum.* Quintò oravit ad Patrem, & gratias egit, quod fuisset à Patre auditus: *& elevatis rursus oculis dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Sextò denique *voce magna clamavit, Lazare veni foras.* Profectò id non vacat mysterio: quia nimirum puella, & adolescens recentissimè mortui, & illico suscitati, peccatoris fuere symbolum post recens peccatum ad pœnitẽtiam celeriter

S. Maxim. Peccatorem convertere mortuum suscitare. *Gregor.*

Christus tres mortuos suscitavit, unum domi, alterum foris, tertium in sepulchro.

Christus sex extraordinaria adhibuit in resurrectione Lazari.

Lazarus symbolum peccatoris habituati in peccato.

redeuntis. Qui sæpe alia ope non eget, quàm unica Dei inspiratione, ac vocula solùm interiùs, aut interdum etiam exteriùs per concionatorem dicentis, *puella, adolescens, tibi dico, surge.* Lazarus verò *quatuor dies jam habens in monumento* peccatorem signabat diu habituatum in peccato, & quasi in tumulo pravæ consuetudinis jam sepultum. Qui, ut revocetur ad vitam gratiæ, opus est fremitu, perturbatione, lachrymis, accessu, precatione, clamore Christi.

Consuetudo prava tumulus.

Insinuat hoc Bernardus de gradibus humilitatis circa finem, ubi, *duos*, inquit, *recenter mortuos, tertium jam quatriduanum lego resuscitatos.* Et infrà, *qui rectè quatriduanus dicitur, dum per consuetudinem sepelitur.* Consuetudo ergo peccandi, ex Bernardo, sepulchrum est, in quo quatriduanus hic tumulatur. Gregorius etiam 4. moral. cap. 25. *Redemptor*, inquit, *noster puellas in domo, juvenem extra portam, in sepulchro autem Lazarum suscitavit. Sepulturæ verò aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ etiam usu consuetudinis pressus gravatur.* De his quoque habituatis peccatoribus dicit S. Maximus loco cit. *esse peccatorum mole obrutos, ac sepultos.* Denique Glossa Interlinearis in ea verba, *Maria soror ejus, qui mortuus fuerat, est mortuus*, inquit, *consuetudine peccandi, hi non mortui solùm sunt, sed etiam sepulti.* Hi quoque premuntur lapide obdurationis in peccato. Ideo Christus, antequam Lazarum suscitaret, dixit, *tollite lapidem.* Quia, ut affirmat Bernardus l. 1. de consideratione, *nemo duri cordis adeptus est unquam salutem: nisi quem fortè Deus miserans abstulit ab eo cor lapideum: & dedit cor carneum.* Hic lapide pressus habitualis peccati non suscitatur nisi Christi Domini lachrymis. Quippe, ut ait Ambrosius l. 2. de pœnitentia c. 7. *videns grave onus peccatoris Dominus Iesus illachrymat, & dicit defuncto veni foras*, adverte bis dici de Christo *clamasse voce magna*; semel, cum suscitavit Lazarum, *clamavit voce magna Lazare*, &c. Ioan. 11. iterum cum in cruce emisit spiritum, *clamans voce magna emisit spiritum.* Matth. 27. quia nimirum emittens spiritum in cruce, & iturus ad tumulum, hos peccatores jacentes in tumulis vitiorum clamore illo excitabat ad vitam. Vtrobique, clamori addidit lachrymas, ut testatur Paulus ad Hebræos 4. *supplicationes offerens cum clamore valido, & lachrymis.* Quia agebatur de revocandis ad vitam gratiæ peccatoribus prava consuetudine oppressis, ac sepultis. Idem Glossa in Ioan. 11. in illud *voce magna clamans Lazare*, &c. *fremuit*, inquit, *lachrymavit, clamavit: quia difficilè surgit, quem moles malæ consuetudinis premit. Sed tamen post magnam vocem surgit: quia per magnam Dei gratiam vivificatur, dum pœnitet.* Postremò animadvertendum est Christum dixisse Lazaro, *veni foras*: quia peccatori in peccatis inveterato parum interest resurgere aliquando ad vitā gratiæ, nisi etiam exeat è monumento, ideſt à consuetudine, habituque

S. Maximus.

Glossa Interl.

XXXII. Obduratio in peccato significata per lapidem Lazari.

Bernard.

Ambrosius.

Christus cur bis dicatur clamasse, bis lachrymasse *Ioan. 11. Matth. 27.*

Hebr. 4.

Glossa.

Augustin. Vitia carnalia animæ monumenta.

peccand. i. Quod specialiùs de vitiis carnalibus explicans Augustinus l. 83. q. 65. *Quod exiit*, inquit, *a monumento, animam significat à carnalibus vitiis recedentem.* Hinc apparet quàm difficile sit peccatorem jam sepultum in hoc monumento consuetudinis vitiosæ reviviscere, atque egredi.

Consuetudo peccandi puteus interitus. *Psal.* 54. *Psal.* 68.

Ideo alia similitudine appellatur à Propheta Ps. 54. *puteus interitus.* Et idem Ps. 68. Deum precatus, *non absorbeat*, inquit, *me profundum: neque urgeat super me puteus os suum, Absorbet profundum*, quando multiplicantur peccata. *Urget puteus os suum*, quando à peccatore obfirmato in peccatis differtur pœnitentia, & confessio. Quod

Augustinus. Confessionis dilatio occlusio putei.

egregiè explicans Augustinus in locum cit. Ps. 68. *magnus*, inquit, *puteus profunditas iniquitatis humanæ. Illuc quisquis ceciderit, in altum cadet: sed tamen ibi positus, si confitetur peccata sua Deo suo, non super eum claudit puteus os suum. Si autem factum fuerit in illo, quod Scriptura dicit, peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit, clausit super eum puteus os suum. Quære clausit os suum, nisi quia clausit os illius: perdidit enim confessionem. Metuenda ista res est vehementer.* Nempe tanquam maximum signum reprobationis: cum reproborum sit propria diuturnitas in peccato, & dilatio confessionis. Demum Christus non dixit Lazaro surge, sed *veni foras*, quasi peccatorem inveteratum ad confessionem invitans. Quæ est animadversio Gregorii hom. 26. in Evangel. ubi *Lazaro*, inquit, *non dicitur reviviscе, sed veni foras. Foras jam per confessionem egredere, qui apud te per negationem lates. Veniat foras mortuus, ideſt culpam confiteatur peccator.* Ex his apparet quàm difficile sit peccatorem habituatum in peccato, & in prava consuetudine jam sepultum, dilata confessione, quasi occluso ore monumenti, reviviscere ad pœnitentiam.

Gregorius. Lazaro cur dicatur, veni foras.

XXXIII. Peccandi diuturnitas obdurat per diminutionem auxiliorum. *Ioan.* 11.

Hùc accedit, quod ipsa diuturnitas peccati fert secum obduratio. nem cordis, quasi *lapidem superpositum monumento.* Ioan. xi. Obduratio enim cordis fit per subtractionem majorum auxiliorum, ut alibi notatum est. Quò autem per diuturnitatem pœnitentiæ magis accrescunt peccata, eò magis minuuntur auxilia in pœnam præcedentis peccati: & sic semper ad vitandum novum peccatum voluntas reperitur debilior, ex diminutione auxiliorum, quæ fieri solet juxta cursum ordinarium gratiæ. Et hoc est collocari hominem in ea serie in qua reprobatur, nisi Deus velit uti extraordinariis mediis, & immutare cursum, & leges ordinarias gratiæ; quod rarò fit, ut ostendimus to. 2. l. 3. q. 10. Et ideo diximus hoc esse signum reprobationis, quia signa desumuntur non ex iis, quæ rarò; sed ex iis, quæ contingunt ut plurimùm.

Hæc autem diminutio divinorum auxiliorum inducta ex diuturnitate peccati apparet etiam ex hoc, quod hæc eadem diuturnitas mi-

nuit remorsum, ut vocant, & stimulos conscientiæ: quibus Deus, tanquam admotis calcaribus, excitat jacentem animam ad surgendum, quippe peccatum, quod tanquam dissonum rationi, antequam fieret, incutiebat terrorem, post factum inducebat mœrorem, assuetudine sentitur minùs, & minùs: neque videns peccator ea supplicia sibi à Deo infligi, quæ initio formidabat, quasi ex longa experientia promittit sibi securitatem. Ideo Bernardus de gradibus humilitatis gradu 12. superbiæ *Postquam*, inquit, *terribili Dei judicio prima flagitia impunitas sequitur, experta voluptas libenter repetitur: repetita blanditur.* Ita fit, ut peccatum, quod priùs horrori erat, delectet: qui est ultimus, & pessimus gradus obdurationis. Hoc etiam animadvertit Bernardus l. 1. de consider. ubi de peccato loquens. *Primùm*, inquit, *importabile videbitur aliquid: processu temporis, si assuescas, judicabis non adeo grave: paulò post, & leve senties: paulò post nec senties: paulò post etiam delectabit. Ita paulatim itur in duritiam cordis.* Quæ mala autem hæc cordis obduratio ferat ipsemet Bernardus paulò post explicat, *cor*, inquit, *durum est, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Ipsum est, quod neque compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina: præteritorum oblivisens, præsentium negligens, futura non providens. Ipsum est, quod præteritorum, præter solas injurias, nihil omnino non præterit: præsentium nihil non perit: futurorum nulla, nisi fortè ad ulciscendum, est præparatio. Et, ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.* Hæc autem obduratio cordis cujus tot mala hic Bernardus enumerat, ex dilatione pœnitentiæ oritur, juxta Apostolum ad Rom. 2. *secundùm duritiam tuam, & cor impœnitens.* Conjunguntur durities cordis, & impœnitentia: quia nimirum impœnitentia consuetudinem peccandi parit: consuetudo peccati contemptum Dei: qui est ultimus, & pessimus gradus obdurationis. Ideo Bernard. de grad. humil. loc. cit. *Ultimus*, inquit, *gradus* (superbiæ) *appellari potest consuetudo peccandi: qua Dei metus amittitur, contemptus incurritur.* Quod est omnium malorum profundum, barathro, atque inferis proximum, juxta illud Proverb. 18. *cum in profundum venerit, contemnit.*

Obdurationis gradus ultimus delectatio in peccato. *Bernard.*

Obduratio cordis, quæ mala ferat.

Obduratio cordis ex impœnitentia. *Rom. 2.*

Bernardus.

Consuetudo peccandi ultimus gradus præcipitii. *Proverb. 18.*

Confirmatur, quia hæc dilatio pœnitentiæ non solùm cor obdurat, & divina auxilia minuit; sed etiam vires auget Satanæ, & diabolicas suggestiones corroborat. Ideo, cum dictum sit ex persona peccatoris Iob. 16. *concidit me vulnere super vulnus*, subditur, *irruit in me quasi gigas.* In quæ verba Gregorius 13. moral. c. 6. *Facilè*, inquit, *inimico resistitur, si non ei vel in multis lapsibus, vel in uno diutiùs con-*

XXXIV. Pœnitentiæ dilatio auget vires diaboli. *Iob. 16. Gregor.*

sentiamus. Sin verò ejus suasionibus anima subesse consueverit, quantò se ei crebrius subjicit, tantò illum sibi intolerabiliorem facit, ut ei reluctari non valeat. Quia nimirum malignus contra hanc animam ex prava consuetudine devictam quasi more gigantis pugnat. Ita cor, quod ad inspirationes divinas est saxeum, molle evadit, atque infirmissimum ad tentationes diaboli.

Pœnitentiæ dilatio fieri potest tripliciter.

Confirmatur denique ultimò, quia hæc dilatio pœnitentiæ tribus modis suggeri potest à dæmone. Primus est usque ad certum tempus, quo removeantur aliqua impedimenta pœnitendi. Secundus est à juventute ad senectutem. Tertius est à toto vitæ cursu ad extremum morbum. Sed quolibet ex his modis fiat, reprobationis est signum. Ergo &c. Major patet. Minor probatur, & primò de dilatione usque dum quædam impedimenta removeantur, puta usque dum peccator talem, vel talem cupiditatem expleverit, vel vindictæ, vel libidinis: sive usque dum ad talem, vel talem gradum, ad quem suspirat, pervenerit: sive usque dum tale, vel tale negotium ad finem deduxerit. Sperat enim tunc fore faciliorem pœnitentiæ locum, & majore se animi tranquillitate, & quiete exonerandæ conscientiæ seriò vacaturum.

Eccles. 5. Dilatio pœnitentiæ subitaneam mortem meretur.

Quod hujusmodi dilatio, reprobationis sit signum, patet primò ex Ecclesiast. c. 5. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim superveniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Ergo dilatio conversionis de die in diem signum est, quod *subitò superventura sit ira Dei, & tempus vindictæ*, quod reprobationis est terminus. Subitaneam mortem Deus his minatur, qui præstare potest, quod minatur. Ideo Fulgentius de fide ad Petrum c. 3. *nullus*, inquit, *hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutiùs permanere peccatis: cum nemo velit sub spe futuræ salutis diutiùs ægrotare. Tales, qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, & sibi indulgentiam repromittunt, quandoque ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant.* Consonat his Christi effatum, dum comparat diem mortis adventui furis Matt. 24. *si sciret pater-familias qua hora fur venturus esset, vigilaret. &c. & vos estote parati*, &c. & 1. ad Thessal. 1. *Dies Domini, sicut fur in nocte ita veniet.* Utrumque expendens Chrysostomus ad Theodorum, *noli*, inquit, *tardare converti ad Deum, neque diem ex die protrahas: nescis enim quid pariet superventura dies. Constringe vinculis furem. Hoc enim nomine discessum ex hac vita Christus appellat: eò quod ignorantibus veniet, & nescientibus nobis repentinus assistet.* Monet Chrysostomus sine ulla dilatione hunc furem constringendum esse vinculis. Tunc autem huic furi vinculum injicitur, cum per præmaturam pœnitentiam prohibetur, ne noceat. Quamobrem Ambros. adhort. ad pœnit. c. 11. *eos*, inquit,

Dies mortis ut fur. *Matth. 24. 1. Thessal. 1. Chrysost.*

qui pœnitentiam differunt, Dominus ipse satis admonuit dicens, pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Nescimus qua hora fur veniet: nescimus an proxima die à nobis repetatur anima. Ideo etiam Basilius admonitione ad fil. spiritual. *ne cunctéris*, inquit, *ad pœnitentiam converti. Semper ante oculos tuos versetur ultimus dies. Cum enim diluculo surrexeris, ad vesperam te ambigas pervenire: & cum in lectulo ad quiescendum membra posueris, noli confidere de lucis adventu.* Augustinus quoque hom. 13. inter 50. tom. x. *ne differas*, inquit, *de die in diem. Promisit tibi Dominus, quod qua die conversus fueris, oblivisceturmala tua præterita: sed nunquam tibi vitam crastinæ diei promisit.* Gregorius etiam hom. 12. in Evang. *qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinam non promisit.* *Basilius.*

XXXV. Incertitudo horæ mortis.

Ideo Christus Matth. 25. *vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Sicut enim celeritas, & vigilantia ad surgendum è peccato, prædestinationis est signum, ut ostensum est cap. præc. ita desidia, & somnus, quo detinentur peccatores in culpa, reprobationis est signum. Quippe de horum peccato dicitur *venenum aspidum insanabile.* Deut. 32. Aspis enim, teste Plin. l. 21. c. 31. venenum instillat, quod sopore necat. Et ideo fortasse venenum hoc dicitur *insanabile*, quia tollit usum rationis, quo possunt accersiri remedia. Similiter peccatum inducens somnum, quo quis non sentiat vim veneni, sed quiescat in malo, *est venenum aspidis insanabile.* Et ex hoc somno, ligatis pestifera delectatione sensibus, itur ad mortem. Quamobrem Hugo Cardinalis in Psal. 90. *aspis*, inquit, *est somnifera: quia, quem momorderit, vadit in somnum. Delectatio intelligitur per aspidem, quæ dormire facit, & dormiendo mori.* Desidia igitur surgendi è peccato, & quies in eo, reprobationis est signum: sicut somnus inductus ab aspide signum est mortis proximæ. Idcirco Christus ut expergisci faciat ex hoc somno, quo quis requiescens in peccato differt de die in diem, dixit; *vigilate, quia nescitis diem*, Matth. 25. Hæc autem ignoratio diei mortis maximum Dei beneficium est, quo nos ad perpetuam vigilantiam inducit. Idem Augustin. hom. 13. cit. *misericordia*, inquit, *Dei est, quia nescit homo, quando morietur. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.*

Gregor. *Matth. 25.* *Deut. 32.* *Plinius.* Aspidum venenum cur insanabile. *Hug. Card.* Somnus peccatoris signum damnationis. *Matth. 25.* *August.*

Hoc autem clariùs fit ex similitudine, quam Christus affert Matt. 26. *si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati; quia, qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Videtur ex antecedenti, quod posuerat, deduci consequentia contraria. Nam *si sciret paterfamilias, qua hora, &c. vigilaret. Et vos nescitis, qua hora.* Ex hoc videbatur inferendum oppositum, scilicet, non vigilate. Tamen, si attentè res expendatur, est optima consequentia. Si enim *sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret* pro illa hora, non pro *Matth. 26.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Augusti. Dies mortis cur occultus.

aliis horis. Ideo, & vos, quia scitis venturum, & nescitis qua hora, vigilate omni hora, *estote parati*, &c. Quod significavit Augustinus in Psalm. 36. ubi, *utiliter*, inquit, *Deus voluit occultum esse illum diem: ut semper homo paratus sit ad id expectandum, quod venturum esse scit: & quando venturum sit nescit.*

Dilatio pœnitentiæ per horam etiam periculosa. *Gregor.*

Evidentiùs etiam apparet damnationis periculum in hoc somno ex verbis citatis *vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Non satis fuit dixisse *nescitis diem*, sed addidit *neque horam.* Quia non solùm periculosè differtur pœnitentia per unicum diem, ab uno die ad alium: sed etiam per unicam horam, ab una hora ad aliam: quia *nescimus diem, neque horam*: & singulis diebus, singulis horis advenire mors potest. Quamobrem Gregorius hom. 13. in Evang. *Horam*, inquit, *ultimam Dominus nobis voluit esse incognitam: ut semper possit esse suspecta; ut, dum illam præuidere possumus, ad illam sine intermissione præparemur.*

Dilatio per momentum non vacat periculo. *Eccles. 9.*

Postremò non solùm est plena periculi dilatio de anno in annum, de die in diem, de hora in horam: sed etiam ab uno momento ejusdem horæ ad aliud. Ideo dicitur Eccles. c. 9. *quodcunque potest facere manus tua, instanter operare. Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Properanti multiplicatis peccatis quasi acceleratis passibus ad inferos, meritò dicitur, *instanter operare:* ut scilicet eodem momento pœnitentiam agat, incertus an sequenti momento pœnitentiæ sit locus. Dicitur autem, *quò tu properas:* quia totius vitæ tempus non aliud est, quàm fine ullo quietis intervallo celerrimus cursus ad mortem. Nam, ut notat Augustinus de civ. l. 13. c. 10. *Quidquid temporis viuimus, de viuendi spatio demitur: & quotidie fit motus, quod restat: ut nihil aliud sit tempus, quàm cursus ad mortem.* Hujus motus, quo viventes movemur ad mortem, quodlibet instans potest esse ultimum, & terminativum illius. Ideo dicitur, *quodcumque potes facere, instanter operare.* Quodlibet enim instans nescitur an sit illud ultimum instans, & momentum, ex quo pendet æternitas. Idcirco S. Ephrem serm. 3. de compunc. *heu*, inquit, *anima cur alijs distracta, ita otiosè dies universi tui temporis transigis? Ignoras repentinam fore vocationem tuam?* Ideo, si hoc reprobationis signum abjicere volumus, cætera omnia sunt amputanda negotia, resecandæ occupationes, quas studiosè diabolus ingerit ad pœnitentiæ dilationem, &, ut notat Bernard. l. 1. de consider. animadvertendum est peccatori, *quò eum trahant occupationes hæ maledictæ, si pergat, ut cœpit, dare se totum illis, nihil sui sibi relinquens. In ijs enim stulto labore consumitur, quæ non sunt nisi afflictio spiritus, eviscératio mentis, evacuatio gratiæ: cuius fructus tela aranearum.*

XXXVI. Vitæ tempus est cursus ad mortem. *Augustin.*

S. Ephrem.

Bernard. Occupationes dilativæ pœnitentiæ quàm sint detestandæ.

Inter has occupationes & curas, reprobi repentina morte opprimûtur. Quod Christus expressit exemplo divitis, *qui dixit destruã horrea*

horrea mea, & maiora faciam; & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea: & dicam animæ meæ, habes multa bona, posita in annos plurimos. Requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus, stulte hac nocte animam tuam repetent. Lucæ 12. Inter has cogitationes, & curas majora faciendi horrea, & congregandi illuc omnia bona, mors inopinatè deduxit ad omnia mala, nempe ad inferos. Quod expendens Gregorius l. 25. Moral. cap. 2. *subitò*, inquit, *dives ille stultus raptus est, qui horrea, quæ præparabat, deseruit: & inferni locum, quem non prævidebat, invenit. Ad aliud exercebat animam per cogitationem: ad aliud emisit per sententiam. Aliud, dum viveret, contemplatus; aliud, dum moreretur, expertus. Reliquit temporalia: & inopinatè invenit æterna.* Reprobationis igitur est signum, ita hujusmodi curis distineri, ut pœnitentia differatur in tempus, quod homo sibi finxit commodius, sive post peracta negotia, sive post expletam aliquam sui animi passionem. Porrò pœnitentiæ tempus illud opportunius, quod præsentius. Ideo concludendum est hoc membrum cum Augustini sermone 202. de tempore. *O homo quare differs de die in diem, fortè hodie habiturus ultimum diem.* Et serm. 17. de verbis Domini. *Ipsa*, inquit, *res est, quæ multos occidit* (damnavit) *dum dicunt, cras, cras: & subitò ostium clauditur. Remansit foris* (reprobus) *cum voce coruina; quia non habuit gemitum columbinum.* Et hæc quoad primum membrum de dilatione pœnitentiæ ad certum tempus post negotia, &c.

Luca 12. Mors divitum repentina.

Gregor.

Pœnitentiæ tempus illud opportunius, quod præsentius. *August.*

Procrastinantes pœnitentiam corui sunt, non columbæ.

Quoad secundum, de dilatione ejusdem ab adolescentia ad senectam, quod hoc quoque magnum reprobationis sit signum, probatur primò ex incertitudine vitæ: cum plurimi adolescentes præmaturè moriantur ante senectam accelerante sæpe Deo iis mortem, juxta illud Psal. 77. *Defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione.* Quod experientia ostendit in filiis Heli. Qui, ut refertur Philo. L. de antiq. Hebr. correcti responderunt, *cum senuerimus, tunc pœnitebimus.* Paulò autem pòst violenta morte defuncti sunt, ut habetur 1. Reg. 4.

Mors acceleratur ob peccata.

Psal. 77.

Philo.

Quod si quis promittat sibi diuturnam vitam ex præsagio Astrologorum, audiat Augustinum hom. 13. inter 15. tomo. 10. *Diem crastinum non promisit tibi Deus, sed promisit Mathematicus, ut damnet te, & illum.* Profectò magnum reprobationis est signum de suæ vitæ successibus Astrologorum inniti judiciis. Quippe, ut affirmat S. Thomas opusc. 26. *Diabolus, ut homines pertrahat in errorem, immiscet se operationibus eorum, qui iudicijs astrorum intendunt,* Et infra citat Augustinum 2. de doctrin. Christiana, quod tales *astrorum observationes referendæ sunt ad quædam pacta cum dæmonibus habita.* Quæ utique pacta possunt esse aut implicita, aut facta cum prioribus Astrologis, etiamsi qui successerunt Astrologi id nesciant. Et

XXXVII. Astrologorum præsagia damnat plurimos. *1. Reg. 4. August.*

S. Thom. Astrologorum præsagiis se dæmon immiscet. *August.*

D.Thom. ideo notat idem S.Thomas in eodem opusc. quando ab Astrologis vera dicuntur, *instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Quod, cum ad decipiendos homines fiat, spirituum immundorum est operatio.* Portò in istis præsagiis, *dæmones*, ut *August.* ibidem notat August.cap.23. *cum principe suo diabolo nihil nisi reditum nostrum* (ad gratiam) *claudere, atque obturare conantur.* Unde fit,ut hæc Astrologorum præsagia directa sint à Dæmonibus ad ejus damnationem, de quo fiunt. Dæmones autem ad faciliùs decipiendum illinunt falsa veris. Ut ex uno, vel altero rerum eventu comprobante præsagium, certus ille reddatur, aut se perventurum ad tantum, vel tantum vitæ spatium sibi ab Astrologo pronunciatum: aut non se moriturum, nisi priùs ad talem dignitatis gradum ascenderit,quem illi astra promiserint. Hac fraude dæmones persuadent pœnitentiæ dilationem,ut præter opinionem oppressus,tandem imparatus, atque impœnitens obeat. Quod quotidiana experientia monstrat in multis, qui Astrologorum mendaciis nimis creduli, per astra intercludunt sibi iter ad astra: & dum cœlum observant,viam sibi parant ad inferos. Quod expendens Ambrosius l.4.de interpellat.c.6.*Ponunt*,inquit,*in Cœlum os suum, qui arbitrantur cursu quodam stellarum vitam hominis gubernari.* De his autem, *qui posuerunt in Cœlum os suum.* Psalm.72. dicitur, *quomodo facti sunt in desolationem? perierunt propter iniquitatem suam.*

Astrorum observationes viã parant ad inferos.

Ambros. Astrologiæ judiciis dediti characterem habent damnationis.

Psal. 72.

Ex quo fit, ut Astrologiæ judiciis dediti characterem habeant reprobationis insignem: utpote ea dæmonum fraude jam capti,cujus finis damnatio. Quippe vitiis mancipati pœnitentiam differunt ad senectam: ad quam his nixi promissis perventuros se sperant.Quod reprehendens Chrysostomus epistol. 6. ad Theodor. *Haud tutum est*, inquit, *hac spe hominem nutriri ad uitia, ut dicat, nunc vitæ istius voluptatibus fruar: postea per exigui temporis castitatem mercedem quoque transactorum adipiscar annorum. Nolo differas converti ad Deum.*

Chrysost.

XXXVIII. Pœnitentiæ dilatio sub spe misericordiæ Deũ irritat.

Eccles. 5.

Ex quo sumitur conjectura validissima reprobationis: quia ad finem prædestinationis non potest perveniri nisi per Dei misericordiam. Hanc autem maximè irritat is, qui ea abutitur tanquam mediatrice ad peccandum. Ideirco sapiens Eccl.5. *ne adjicias peccatum super peccatum. Ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim, & ira ab illo citò proximant:& in peccatores respiciet ira illius.* Ac si diceret,qui nimiùm præsumit de misericordia,inveniet iram. *Misericordia enim, & ira Dei proximant*,ideſt pari passu currunt: sed misericordia ad justos,& electos;ira ad peccatores, & reprobos. Ideò subditur, *in peccatores respiciet ira illius.* Nempe in eos, qui dixerant, *magna est miseratio Domini*, &c. Qui, ut advertit Tertullianus l. de pœnit. c.6. *certi*

Tertull.

indubitatæ veniæ delictorum, medium tempus furantur, & commeatum sibi faciunt delinquendi. Quod expendens Basilius admonition. ad filium spirit. & loquens expressè de dilatione pœnitentiæ ad senectam, *ne*, inquit, *spe veniæ adjicias peccatum super peccatum Ne velis dicere, viget ætas: carnis concupiscentiam exercebo, & prostremò in senectute malorum meorum pœnitentiam geram. Pius namque est Dominus, & misericors, nec ultra facinorum meorum memorabitur. Noli taliter cogitare: quia summæ stultitiæ est hoc in mente concipere: cum & impium sit talem licentiam* (peccandi) *à Deo quempiam expectare.* Ambrosius etiam lib. de pœnit. c. 9. ostendit non profuturam illis pœnitentiam, qui ejus spe, quæ remedium est peccati, utuntur ut incentivo ad peccandum. *Alij*, inquit, *propositæ spe pœnitentiæ licentiam sibi delinquendi propagatam putant: cum pœnitentia peccandi remedium sit, non peccati incentivum.* In quo maxima fit injuria bonitati divinæ: quam ex se alieniſſimam à peccato hi assumunt ut medium ad peccandum. Ideo Tertull. l. cit. de pœnit. c. 7. *Absit*, inquit, *ut aliquis ita interpretetur, quasi sibi eò pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum: & redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, quoties ignoscitur, toties delinquendo.* Ambrosius etiam adhort. ad pœnit. c. 11. *quid*, inquit, *pœnitentiam differas? an ut plura committas peccata? ergo, quia Deus bonus est, ideo tu malus, & divitias bonitatis ejus, & patientiæ contemnis? Sed bonitas domini magis ad pœnitentiam te debet adducere.*

Basilius. Peccator Dei misericordia licētiam sibi facit peccandi. *Ambros.* *Tertull.*

Hæc perversitas, qua divina bonitas ex parte reproborum veluti trahitur ad peccatum, per spem spatii pœnitentiæ, maximè per contrarium punitur, tollendo spatium pœnitentiæ: ut Deus minatur loco cit. Eccl. 5. *Ne tardes*, &c. *subitò enim superveniet ira illius.* Illud saltem certum est, incertissimum esse hoc spatium à juventa ad senectam: res autem omnium gravissima incertitudini committenda non est. Ideo Ambrosius loco cit. *Infirma*, inquit, *spes, quæ committitur tempori: cum omne tempus incertum sit: non omni spes tempori sit superstes.* Clariùs loco cit. Basilius admonens non differendam pœnitentiam ad senectam sub spe futuræ veniæ, *Noli*, inquit, *sic cogitare: cum nescias, qua die sis moriturus. Non enim omnes in senecta privabuntur hac luce: sed in diversis ætatibus de hoc mundo migrabunt. Et in quibus actibus homo vocabitur, in iisdem necesse est reddere rationem. Nemo enim in inferno confitebitur Domino. Ne cunctaris ad pœnitentiam converti.* Hæc Basilius, ducens argumentum à summa incertitudine, quod quis perventurus sit ad senectam.

Pœnitentiæ spatium tollitur iis, qui hac spe abutuntur. *Eccles.* 5. *Ambros.* Incertitudo perveniendi ad senectā. *Basilius.*

Denique, data etiam de hoc certitudine, adhuc in hac dilatione magnum inest reprobationis indicium: cum difficilè sperari possit senecta melior, quàm juventa. Hoc expressè testatur Spiritus Sanctus

Adolescentiæ vitia in senecta.

Iob. 20. Iob.20.*implebuntur ossa vitiis adolescentiæ : & cum eo in pulvere dormient.* Quia scilicet adolescentiæ vitia prorogantur usque ad mortem.

Gregor. Quamobrem Gregorius 15.moral.c.5.*ossa*, inquit, *cum eo in pulvere dormiunt: quia eò usque in illo iniquæ consuetudines perdurant, quò hunc ad mortis pulverem pertrahant. Tenent illum pravæ consuetudines, quæ semel cœperunt : atque quotidie duriores existunt. Et cum eo in pulvere dormient, quia non nisi cum ejus vita finiuntur.*

XXXIX. Luxuries in senibus. Experientia ipsamet comprobat, cum quis in adolescentia carnalibus vitiis assuevit, inter ipsos canos in albo capillamento, quasi in nivoso vertice, ardere ignem libidinis: prodigio certè majore, quàm inter Æthnæ nives flammæ ardeant. Quippe aliqui, ut ait Ambrosius in psal.1.*luxuriem corporis nec albenti erubuere canitie : & usque ad senectutis ætatem vitam produxere maculosam.* Iuvenilis namque ignis sæpe sub senili cinere delitescit. Hoc apparet in senibus illis, qui ut habetur Danielis 13. *videntes Susannam, exarserunt in concupiscentiam ejus, & everterunt sensum suum*, &c. Idcirco dicitur, *ossa implebuntur vitiis.* Nam etiamsi nihil supersit præter pellem, & ossa; ex pravo usu intra ossa ipsa exardescit luxuria. Prov.22. *Adolescens juxta viam suam : & cum senuerit non recedet ab ea.* Quia, ut notat Hieronymus epist.7.ad Lœtam, *difficulter eraditur, quod rudes anni perhiberunt. Lanarum conchilia quis in pristinum candorem revocat ?* Vnde fit, ut potiùs crescat difficultas ex senio, quia crescit habitus vitiosus obfirmans in malo. Quamobrem Damascenus in vita SS. Barlaam, & Iosaphat, *nullo*, inquit, *modo permitte, ut tibi consuetudo improba dominetur : sed donec recens est, parvam radicem è tuo pectore evelle: ne, cum altè radices suas infixerit, postea nequeat nisi longo tempore, ac magno labore extirpari.* Quod Damascenus dicit de difficultate in habitu malo extirpando, Ambrosius revocat ad impossibilitatem. Ideo loco cit. *An ignoramus*, inquit, *quod tantam vim habet inveterata consuetudo peccandi, ut excludat naturam ? Quæ, cum sit medicabilis ad salutem : tamen corroborata tempore passionibus immedicabilis invenitur.* Notandanda sunt illa verba, *ut excludat naturam.* Nam, etiamsi in senio natura pænè extincto fomite, ad libidinem non inclinet, inclinat tamen consuetudo. Quod advertens Bernardus serm.de sept.don.Spir.Sancti, *miserabilis*, inquit, *fragilitas, sine pruritu concupiscentiæ, sine impetu desiderij, sola consuetudine trahitur ad illicita.* Ex quo fit ut assueti peccatis, in senectute ex consuetudine longiori evadant etiam deteriores. Sicut enim est proprium electorum, quò longiùs in annis procedunt, eò magis in virtute proficere; juxta illud Psalm.83.*ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* & Prov. 4. *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit usque ad perfectum diem:* ita reproborum est proprium, quò magis ad mortem accedunt, eò magis à virtute recedere.

Praver. 22.

Hieronym.

Consuetudo difficilè eraditur.

Ambrosius.

Cõsuetudo superat naturam.

Bernard.

Electorum est, quò magis accedũt ad mortem, eò magis proficere: reproborũ eò magis deficere.

Iusti cur palmæ assimilentur. *Psalm.* 91.

Ideo prædestinati assimilantur palmæ, quæ in radice parua est in culmine amplissima. Psal. 91. *Iustus ut palma florebit.* Contra verò reprobi arboribus cæteris similes, quæ versùs radicum initia plerumque sunt ampliores, in culmine arctiores: quia reprobi dum ætate crescunt, virtute decrescunt. Quod discrimen animadvertit Gregorius l. 19. moral. c. 16. ubi *aliqui*, inquit, *more arborum inchoativè vasti sunt, sed tenues crescunt: quia per augmenta temporum patiuntur detrimenta virtutum. Palma verò vastior in summitate est, quàm esse cœperit in radice: quia sæpe electorum conversio plus finiendo peragit, quàm proponit inchoando: & si tepidiùs prima inchoat, ferventiùs extrema consumat.*

Reprobi, dum ætate crescunt, virtute decrescunt. *Gregor.*

Sicut autem in Physicis motus naturalis elementorum ad centrum initio est lentior, in fine, & circa centrum velocior: contra verò motus violentus initio velocior, tardior in fine: ita in supernaturalibus accidit. Nam electorum motus ad Deum interdum initio lentior, fit crescente ætate velocior: quia est motus ad Deum tanquam ad centrum: ad quod motus fit velox, tantò magis, *quantò viderit appropinquantem diem*, ad Hebr. 10. nempe quantò magis quis viderit appropinquantem diem vitæ ultimum, post quem quiescet in centro. Contra verò motus conversionis ad Deum in reprobis sæpè initio secundùm desideria velox est, sed lentescit in dies: quia in iis hic motus sursum violentus est: quippe quorum in inferno sit centrum. Et ideo, ut dicebat Gregorius, *electi ferventiùs extrema consumant*, ideſt velociùs moventur in fine, reprobi *per augmentum temporum patiuntur detrimenta virtutum.* Quippe quò magis in ætate procedunt, eò ad Deum moventur lentiùs.

Electis motus in fine velocior, reprobis tardior.

Hebr. 10.

XXXX.

Confirmatur primò, quia sicut in prædestinatis sæpe ipsa juventus, immo etiam pueritia senectus est: ideo dicitur *cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata*: ita plerumque in reprobis ipsa senectus pueritia est, ideo dicitur Is. 65. *puer centum annorum morietur: & peccator centum annorum maledictus erit.* Quò facit illud Philonis citati l. 2. Melissæ c. 2. *qui multum temporis sine virtute, ac probitate vixerint, eos licet longi temporis pueros appellare.* Quia, etsi multos annos in corpore traduxerint, nullo tamen vixerunt: juxta illud Emisseni ho. 9. ad monachos, *illum diem vixisse te puta, qui peccato non cessit, qui diabolo repugnavit.*

Iuventus in electis sæpe senilis: senectus in reprobis puerilis. *Isaiæ* 53. *Philo.* *Emissenus.* Diem illum vivimus, quo peccatis non vivimus.

Confirmatur secundò, quia senectus non solùm non adimit antiqua impedimenta pœnitentiæ, sed etiam addit nova. Senectus enim debilitat vires corporis ad onera pœnitentiæ, & hebetat vigorem mentis in ordine ad contemplanda divina. Unde fit, ut potiùs in senectam irrepat de novo vitium, quàm virtus. Hoc apparet in Salomone, qui fuit juvenis multis sanctior, cunctis sapientior: sed,

Senectus ad. di pœnitentiæ impedimenta, non adimit.

ut habetur. 3. Reg. 11. *cum jam esset senex , depravatum est cor ejus per mulieres , ut sequeretur Deos alienos.* Quod expendens Chrysostomus in c. 3. Is. *Salomon* , inquit , *annos natus duodecim disertè sermocinabatur cum Deo : senio confectus multùm de pristina virtute detraxit.* Potiùs igitur timendum est , ne quis bonus pervertatur in senecta , quàm sperandum quod quis inveterascens simul in annis, & in malis , tunc novam vitam instituat , ac se Deo devoveat , cum senescit. Ideo Hugo Victorinus l. 3. de claustro animæ c. 10. *In illa* , inquit , *ætate , quando flavescunt crines , caro nitescit eburnea , oculorum gemmis facies rosea decoratur , valetudo corporis vires ministrat , juvenalis ætas longioris vitæ spatium repromittit : quando viget ratio , vigent corporis sensus , visus acutior , auditus promptior , incessus rectior , vultus jucundior ; qui in hac ætate se domant , & Deo sociant , præmium Ioannis expectant.* Et infrà. *Audiat hoc senum sera conversio : quando ex senectutis defectu, aures obturantur, oculi turbantur ; &, ut breviter cuncta perstringam , ipsi in se , & per se deficiunt. Hi non offerunt agnum immaculatum ; sed , ut ita dicam , porcum curatum.*

Hugo Vict. Iuventus pietati aptior , quàm senectus.

Confirmatur denique tertiò, quia pœnitentia prorogata ad senectam , in tantùm aliquem haberet effectum, in quantùm pœnitentiam extorqueret vicinitas mortis. Sed quoad hoc nullum habet effectum. Sicut enim à juventa prorogata est ad senectam : ita ab hac differtur ad ulteriorem senectam. Nemo est enim tam senex, qui saltem per annum se victurum non speret. Sicut autem habituatus est ad differendum à juventute ad senectam, quia sperabat perventurum se ad senectam : ita ex eodem habitu jam per tot annos profundissimè radicato, determinabitur ad differendam pœnitentiam ab eo anno ad sequentem ; quia sperat perventurum se ad sequentem.

Senectus malè habituata differt ulteriùs pœnitentiam.

Quo posito demonstrativè concluditur ad mortem deventurum hunc esse impœnitentem , & imparatum : quod reprobationis signum est ultimum, & maximum. Demonstratio autem hujus rei per formam syllogisticam hæc est. Quolibet anno senex credit se victurum per annum. Sed aliquo anno morietur. Ergo eo anno , quo credit se victurum per annum , morietur. Rursus. Quolibet anno, quo senex malè habituatus credit se victurum per annum, differt pœnitentiam ad annum sequentem. Sed eo anno , quo credit se victurum per annum , morietur , ut modo demonstratum est. Ergo eo anno , quo differt pœnitentiam , morietur : & sic ad mortem deveniet adhuc impœnitens , & imparatus.

Qui differt pœnitentiâ in senectute morietur impœnitens.

Dices à Christo promitti in parabola vineæ Matt. 20. *denarium diurnum* , nempe mercedem beatitudinis , ut Patres interpretantur; iis qui *venerunt hora undecima* , ideſt extrema ætate , ut explicat Hieronymus , & alii in eum locum. Sed contra est primò , quia ex

Matth. 22.

communiore, & veriore expositione longè alius est ejus parabolæ sensus. Nam per undecimam horam intelligi extremam mundi ætatem, & tempus legis Evangelicæ, docent Chrysostomus, Hilarius, Gregorius, Beda, Theophilactus, & alij: cum quibus id nos satis perspicuè ostendimus tomo primo l. 6. q. 34. num. 5. & deinc. Præterea, etiamsi aliqui conversi aliquando ad Deum sint in senecta, ex hoc non tollitur, quò minùs dilatio pœnitentiæ ad id temporis reprobationis sit signum. Quia ratiora, & extra ordinem non tollunt in moralibus rationem regulæ universalis: præsertim, cum hoc tantam contineat difficultatem, ut inter ipsos Ethnicos Diogenes Cynicus dixerit, *idem esse senem corrigere, & mortuo mederi.* Ideo Chrysostomus hom. 22. in epist. 2. ad Cor. hoc idem argumentum proponens ex persona improborum, *Dedit*, inquit, *Deus multis iniquis hoc privilegium, ut confiterentur in senecta. Quid igitur; nunquid dabit, & tibi? fortasse dabit, inquies. Quid dicis fortasse? contigit hoc aliquoties. Cogita quod de anima deliberas, ac proinde etiam de contrario cogita, & dic, Quid autem, si Deus mihi hoc privilegium non det?* Quod autem hoc Deus non sit concessurus, probabilissimum est. Tum, ne det aliis ansam traducendi juventam in peccatis spe senectæ: tum etiam in pœnam tantæ temeritatis, quod quis devoveat ætatis florem diabolo, fœcem Deo. Quod Senecæ etiam homini Ethnico visum est ita indignum, ut dixerit l. de brevitate vitæ, *non te pudet vitæ reliquias, & id solum tempus bonæ menti, & tibi reservare, quod in nullam rem conferri possit? Quàm serum est, tunc vivere incipere, quando est desinendum.* Claudam hoc cum Augustino serm. 4. inter comm. ubi, *satis*, inquit, *est à fide alienus, qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis expectat.* Et hæc quoad secundum membrum de dilatione pœnitentiæ à juventute ad senectam.

XLI. Parabola vineæ non est intelligenda de senibus.

Diogenes. Senem corrigere idem est, ac mortuo mederi.

Chrysost.

Seneca. Iuventæ flos devovēdus Deo, non fœx senectæ.

Quoad tertium de dilatione ejusdem usque ad finem vitæ, quod hæc sit summum, & pœnè infallibile reprobationis indicium, probatur. Quia, si magnum reprobationis est signum, dilatio pœnitentiæ usque ad confecta negotia, majus ab adolescentia ad senectam: maximum certè erit dilatio usque ad extremum vitæ tempus; in quo, desperata salute corporis, iis pœnè deplorata etiam est salus animæ, propter multa.

Dilatio pœnitentiæ ad finē vitæ reprobationis signum.

Primò, quia iis sæpe in pœnam Deus repentinam mortem immittit, in qua nullus detur locus pœnitentiæ. Ita minatur Prov. 1. *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Cum ingruerit repentina calamitas, & interiùs quasi tempestas ingruerit,* &c. *ego in interitu vestro ridebo, & subsannabo vos.* Propterea Prov. 29. *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit* (nempe peccatori obdurato in peccatis) *repentinus superveniet interitus.* Demum Iob

Pœnitentiā differentibus Deus repentinam mortē immittit.

Prov. 1.

Prov. 29.

Iob. 21.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

21. *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* In quem locum Gregorius lib. 15. moral. c. 24. *sæpe*, inquit, *ij, qui diù in iniquitate tolerati sunt, subita morte rapiuntur: ut nec flere ante mortem liceat, quæ peccaverint.* Experientia quotidie id comprobat. Novi adolescentem nobilem, qui lascivis amoribus implicatus, dictitabat satis sibi fore ad salutem, si ante mortem unam horam, vel alteram ad pœnitendum haberet. Enimverò tunc actum à se perfectæ contritionis eliciendum, quo salvus fieret. Infelix, cùm quadam nocte post epulas ad peccandum accederet, repentino lapsu confracta cervice, non una tantum, aut altera, ut ipse concupierat; sed novem, aut decem horis supervixit, sine voce, sine sensu: ac nullo edito pœnitentiæ signo, miserè periit. Iure ad Galat. 6. monet Apostolus, *Nolite errare. Deus non irridetur.*

Gregorius.

Adolescens dilata ad morte pœnitentia, repentè oppressus interiit.

Galat. 6.

Secundò, etiamsi mors non sit repentina, tamen ex antiqua obduratione cordis, & ex justo Dei judicio fit, ut obliviscatur impœnitentiæ, inter Angustias morbi, de corporali salute sollicitus, oblitus æternæ. Ideo dicitur Psal. 6. *non est in morte, qui memor sit tui.* Nam, ut notat Augustinus apud Cornelium Prov. 5. in vers. 23. *justo Dei iudicio fit, ut peccator, qui in vita oblitus est Dei, in morte obliviscatur & sui.*

XLII. Peccator qui in vita oblitus est Dei, in morte obliviscitur sui. *Augustin. Cornelius. Herb. 12.*

Tertiò etiamsi sive aliorum monitu, sive propriæ conscientiæ stimulo. Pœnitentiæ recordetur; tamen ex prava consuetudine differendi pœnitentiam, quam distulit ex anno in annum, differet de die in diem; quousque vel mors adhuc impœnitentem occupet, vel ægrotus ad eas angustias redigatur; ut quærat spatium pœnitentiæ, & non inveniat. Ideo dicitur ad Hebræos 12. quod *Esau reprobatus est, non enim invenit pœnitentiæ locum: quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Et Prov. 1. *cum interitus quasi tempestas ingruerit; quando venerit super vos tribulatio, & angustia: tunc invocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non invenient me.* Hoc autem contingit ex justo judicio. Quod, cum Deus toties vocaverit ad pœnitentiam non auditus à peccatore, tandem in extrema illa hora vocatus non audiat. Ideo supra dixit, *quia vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo,* & infrà, *tunc invocabunt me, & non exaudiam.* Contigit hoc adamussim cuidam qui, cum vixisset, ut narrat Gregorius in dialog. l. 4. c. 28. *superbia tumidus, carnis suæ voluptatibus subditus, & ad extremum veniens videret tetros, & nigerrimos spiritus coram se assistere: cœpit magnis vocibus clamare, inducias vel usque mane. Sed, cum hæc clamasset, in ipsis vocibus de habitaculo suæ carnis evulsus est. Illi inducias petijsse quid profuit, qui easdem inducias, quas petijt, non accepit?*

Exemplum memorabile de spatio pœnitentiæ cuidam negato. *Gregorius.*

Quartò hi sæpissime in desperationem aguntur, sive ob morbi vehementissimo

Desperatio prope mortem peccatores invadit.

hementissimos cruciatus, sive ob repræsentationem vivam præteritorum scelerum, sive ob conspectum dæmonum animæ jamjam arripiendæ inhiantium. Narrat Vincentius in spec. moral. dist. 3. p. 9. Comitem quemdam, qui fuerat luxuriæ deditus, inter acerbos morbi cruciatus, quibus genitalia intumuerant, blasphemantem immundum spiritum exhalasse. Refertur etiam in Floribus exemplorum p. 3. tit. 38. exem. 1. quemdam, qui jactitabat se in ultimo articulo, tribus tantum verbis recitatis salvum fore, in pontis transitu equo dejectum exclamasse, *capiat omnia dæmon*, & cum his tribus verbis efflasse animam, ab illo captum, quem invocaverat.

Vincentius. Bellovac.

Flores exemplorum.

Narrat Beda l. 5. hist. Angl. c. 14. militem quemdam Regi Conrado apprimè carum, dilata ad mortem pœnitentia, in gravem morbum incidisse. Qui, cum eum Rex ipse ad confessionem hortaretur, primò distulit, usque dum convalesceret: militari jactantia, ne id timore mortis se fecisse ei à Sodalibus exprobraretur. Tum ingravescente morbo, & urgente iterum Rege, clamavit desperasse se de salute. Quippe *delatum esse ei ad legendum codicem horrendæ visionis: in quo invenit omnia scelera, non solùm quæ opere, vel verbo; sed etiam quæ tenuissima cogitatione peccaverat. Et ecce, inquit, duo nequissimi spiritus, percusserunt me unus in capite, alius in pede: & paratis ad rapiendum me dæmonibus, in inferni claustra pertrahar. Sic loquebatur miser desperans: & non multò post defunctus, pœnitentiam sine fructu fecit: quam ad breve tempus cum fructu veniæ facere supersedit.* Hæc Beda. Qui eodem lib. c. 15. narrat de alio ad extrema deducto, & clamitante *videre se inferos apertos, & Satanam immersum in profundo tartari: & iuxta eum Caïpham cum cæteris, qui Dominum occiderunt. In quorum vicinia locum aspicere æterna perditionis sibi iam præparatum. Talia dicentem sine viatico salutis obiisse.*

Beda.

Peccatorũ codex defertur legendus morienti.

Locus reprobis præparatus apud inferos.

Quod exemplum expendens idem Beda, & in eo animadvertens discrimen inter mortem electorum, & reproborum, *Quàm grandi*, inquit, *distantia divisit Dominus lucem, & tenebras? B. protomartyr Stephanus passurus mortem, vidit cœlos apertos, & gloriam Dei: & ubi futurus erat ipse post mortem, ibi, quò latior occumberet, oculos mentis misit ante mortem. At contra hic, imminente morte, vidit aperta tartara, vidit damnationem diaboli, & sequacium ejus, vidit etiam suum infelix inter tales carcerem: quò miserabiliùs desperata salute periret.* Hæc ex Bedæ antiquis annalibus Consimile aliquid nuper accidit in hac urbe. Ubi, cum paucis ante annis, quidam juvenis laboraret in extremis, atque ad confessionem invitaretur à suis, spe veniæ: *quid*, inquit, *confessionem suadetis: cum salus mea desperata jam sit? Quatuor video dæmones, qui lecto adstant, me ad infernum mox abducturi.* Quibus dictis, inter dæmonum manus, quos viderat, expiravit.

XXXXIII.

Electi in morte prægustãt cœli gaudia: reprobi præsentiunt tartari pœnas.

Desperationem hanc, si minùs aspectus dæmonum, certè ipsamet præteritæ vitæ recordatio inducit, traducta in flagitiis. In eo enim mortis articulo peccatores desperant, ubi vel viri sancti formidant.

Psal.48. Ideo David Ps.48. *cur timebo*, inquit, *in die mala ? iniquitas calcanei mei circumdabit me*, Ideſt, ut in eum locum Chrysostomus, *unum tantummodò timebo, ne iniquitas vitæ meæ me circumdet.* Dicit autem, *iniquitas calcanei*, quia peccatum illud, quod quis, quasi rem contemnendam, sub calcaneo premebat, tunc in maximam molem accrescens circumdabit eum: ita ut nulla ex parte appareat spes veniæ.

Chrysost.

Bernard. Quamobrem Bernardus de interiori domo c.38. loquens de peccatore in mortis articulo, *undique*, inquit, *illi erunt angustiæ, hinc accusans peccatum, inde terrens justitia: subtus patens horrendum chaos inferni, desuper iratus judex: intus latrans conscientia, foris ardens mundus. Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Si justus vix salvabitur, peccator sic deprehensus in quam partem se vertet?* quia scilicet *circumdabit eum iniquitas in die mala.* Hinc oritur desperatio, & finalis impœnitentia, quam tradit pœnitentia ad mortem usque dilata.

Pœnitentia in mortem plerumque ficta.

Quintò etiamsi quis tunc non desperet, & morbo extremo correptus ad pœnitentiam confugiat, res est adeo plena periculi, ut ex iis, qui vita in flagitijs traducta, pœnitentiam in morte inchoant, salvari censendus sit fere nemo. Quod commodiùs ostendetur infra, ubi de numero prædestinatorum, & reproborum.

Ex his omnibus liquidò apparet cum Tertulliano lib. de pœnit. c.6. *omne cunctationis, & tergiversationis erga pœnitentiam vitium à præsumptione importari:* & sic omnem pœnitentiæ dilationem magnum esse reprobationis indicium: & eò majorem, quò dilatio est maior.

Pœnitentiæ dilatio reprobationis indicium.

Gregorius. Quod expressè docet Gregorius l. 17. mor. c. 4. vbi, *vita* inquit, *si à peccati perpetratione nec tẽporis longinquitate compescitur, hæc ipsa vitæ longinquitas, quam per misericordiam accipimus, ad cumulum maledictionis accrescit. Vnde necesse est, ut cum nos diutiùs expectari conspicimus, ipsa prorogatæ pietatis tempora quasi damnationis argumenta timeamus.* Idem est dicere, *damnationis argumenta*, & reprobationis signa. Bernadus etiam apud Cornelium in Hier. 14. vers. 23. *actus*, inquit, *peccandi crebrò iteratus consuetudinem parit: consuetudo parit quasi agendi necessitatem: necessitas parit impossibilitatem* (nempe maximam quandam difficultatem (*impossibilitas parit desperationem, desperatio damnationem.* Ecce quibus gradibus à multiplicatione peccatorum, & pœnitentia dilata descendit reprobus ad suum barathrum.

Bernard. Consuetudo parit quasi necessitatem.

XXXXIV. Reprobus imago est diaboli.

Postremò reprobi umbræ quædam sunt diaboli: & ideo dicitur Iob.40. *protegunt umbræ umbram eius.* Quippe, ut notat Gregorius l.33. moral. cap.4. *umbræ sunt diaboli omnes iniqui.* (Inferiùs dicit,

Gregor.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

reprobi) qui dum imitationi iniquitatis ejus inserviunt, quasi ab ejus corpore imaginis speciem trahunt. Nihil autem ita est diaboli proprium quàm impœnitentia, & obfirmatio in malo. Et ideo impœnitentes, & perseverantes in peccato, umbræ quantùm ad hoc, & simulacra sunt diaboli: atque adeo reprobationis in se imaginem continẽt. Quia, ut notat Bernardus serm. 11. in Psal. Qui Habitat, *cor induratum, quod sic in omnibus viis adhæreat diabolo, manifestè factus est unus spiritus cum eo. Humanum est peccare: non humanum tamen, sed diabolicum est in malo perseverare.* Addo perseverantem in malo non modò fieri imitatorem diaboli, sed etiam socium ejusdem in inferno, quasi jam ad terminum reprobationis devenerit. Quæ est doctrina Isidori lib. 1. sent. c. 14. ubi *perpetrare*, inquit, *flagitium, mors est animæ: contemnere pœnitentiam, & permanere in culpa, est post mortem in infernum descendere.*

Bernardus. Peccator unus spiritus cum diabolo.

Bernard. Perseverantia in peccato diabolica.

Isidorus. Perseverans in peccato jam est in inferno.

CAPUT V.

Tertium prædestinationis signum, pœnitentia fructuosa.

XXXXV.

QVoniam allatum est à nobis tanquam secundum prædestinationis signum pœnitentiæ celeritas; hæc autem esse posset pænè infructuosa, conjuncta cum celeritate redeundi ad peccata: ideo.

Fructus pœnitentiæ qui sint.

Dico quintò. Tertium prædestinationis signum est pœnitentia fructuosa. Probatur primò ex Lucæ 3. *facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quod expendens Augustinus l. de vera, & falsa pœniten. c. 27. *oportet*, inquit, *ut pœnitentia fructificet ad hoc, ut mortuo vitam impetret.* Fructus autem pœnitentiæ sunt ejusdem effectus: qui duo, post susceptum pœnitentiæ sacramentum, assignantur à Gregorio homil. 24. in Evang. *plangenda non committere, & præterita peccata plangere.* Quod videtur desumptum ex Ecclesiast. 21. *Fili peccasti? nè adjicias iterum: sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.*

Luc. 3.

Gregorius.

Eccles. 21.

Prædestinationis signũ pœnitentia fructuosa.

Probatur secundò ratione, pœnitentiam, ut prædestinationis sit signum, esse debere fructuosam; quia permissio peccati in electis est aliquo modo prædestinationis effectus, tanquam ex novo motivo adæquato à Deo directa ad bonum prædestinati, ut probatum est tom. 2. d. 3. q. 4. Hoc autem bonum, quod ex permissione peccati nascitur non est nisi pœnitentia, ut ibidem ostensum est, ex Ambrosio. Ergo effectus, & signum prædestinationis est, post permissionem peccati, melioratio ex pœnitentia. Ergo fructus aliqui in prædestinato apparere debent ex pœnitentia, ad quos ordinata fuerat permissio peccati. Quod autem primus fructus sit emendatio vitæ; sive, ut

Gregor. loquitur Gregorius, *plangenda non committere*, probatur. Quia non potest fieri accessus ad viram meliorem post pœnitentiam, nisi pœnitens conservet se in recessu à peccato: quod fit non relabendo ad statum peccati. Ideo dicitur, *Fili peccasti? ne adjicias iterum.* Primum autem signum, quod verè pœniteat commissi peccati, est iterum non committere. Quamobrem effatum erat sapientium apud Arabes, *Prov. Arab.* *omissio peccati rectior est, quàm executio pœnitentiæ*: ut habetur cent. 2. n. 57. & Ambrosius in epist. ad Cor. c. 5. *Hæc*, inquit, *Ambrosius.* *est vera pœnitentia, cessare à peccato, Hæc enim probat dolere se, si de cætero desinat.* Consonat his, quod legitur in vitis Patrum l. 7. c. 22. ubi interrogatus Abbas Pimenius, *quid est pœnitentia, respondit pœnitentia peccatorum est ulteriùs non peccare.*

Confirmatur primò è Scripturis, in quibus laudatur pœnitentia Ninivitarum primò, & præcipuè non à pœnis voluntariè susceptis, sed ab emendatione morum, & mutatione vitæ. Cum enim Scriptura narrasset Ionæ c. 3. eorum jejunia, cinerem, & dixisset *vestitos esse* *Iona 3.* *saccis à majore usque ad minorem*, subdit hæc verba. *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus*, &c. Ad probandam veram pœnitentiam, quæ divinam misericordiam meruerit, non habita est ratio cineris, sacci, jejuniorum: sed tantummodò dicitur, *vidit Deus quia conversi sunt de via sua mala.* Quæ est animadversio Chrysostomi hom. 3. ad pop. *Videamus*, inquit, *quid inevitabilem illam iram solverit. Num jejunium solum, & saccus? nequaquam; sed totius vitæ mutatio, quoniam conversus est quisque à viis suis malis.* Idcirco impletum esse oraculum Ionæ, qui dixerat, *adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, docet Augustinus l. 21. de Civit. c. 24. ubi, *factum est*, inquit, *quod prædixit Deus. Eversa est enim Ninive, quæ mala erat: & bona est ædificata, quæ non erat.* Nempe subversa est prior Ninive vitiosa, & surrexit nova Ninive virtuosa. Quapropter, ut notat Chrysostomus in hom. quod nemo lædatur, nisi à semetipso. *Si quis tunc ingressus fuisset civitatem Ninivitarum, qui priùs eandem novisset, nequaquam eam agnovisset. Adeo repentè à turpissima vitâ resilierat ad pietatem.* Quia igitur Ninive mutavit vitam, Deus mutavit sententiam. Quamobrem Hieronymus in vita Fabiolæ, *fœlix*, inquit, *pœnitentia, quæ furentem sententiam Dei, confesso errore, mutavit.* Hic est fructus pœnitentiæ, quam Deus in prædestinatis intendit ex permissione peccati, mutatio vitæ: ita ut ipsemet peccator post pœnitentiam commutatus in alterum, se quodammodo non agnoscat. Quò facit illud, quod narrat Ambrosius l. 2. de pœnitentia c. 10. de quodam adolescente, qui post longam turpis amoris pœnitentiam, cum ei fortè occurrisset mulier, quam deperierat, ac se non agnitam putans dixisset, *illa talis ego sum*; respondit, *sed ego non*

Pœnitentia Ninivitarū Deo placuit ob mutationem vitæ. *Chrysost.*

Eversa est Ninive vitiosa, surrexit virtuosa. *August.* *Chrysost.*

XXXXVI. Pœnitentia transformat in virum alterum. *Ambros.*

sum illie. Nimirum hic per pœnitentiam *abnegaverat se ipsum*, juxta Christi dictum Matth.16.quia in pœnitentia nihil tam movet divinam misericordiam, ut supra diximus cum Chrysostomo, quàm *totius vitæ mutatio.* Hæc autem non fit sine cessatione à peccato, nempe non in eadem recidendo, à quibus quis per pœnitentiam surrexerat. Matth.16.

Confirmatur secundò, quia prædestinatus per omnia, quoad fieri potest, assimilari debet Christo. Nos enim *prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*, ad Rom.8. Ergo etiam assimilari debent Christo in resurrectione à peccato, ad vitam gratiæ, *ut, quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus*, ad Rom.6. Ideo dicitur Ezech.33. *nolo mortem impii, sed ut convertatur, & vivat.* Quod expendens Tertullianus de pœnit. c.4. *si pœnitentiam*, inquit, *mavult, quàm mortem; ergo pœnitentia vita est, quam morti præponit.* Sed Christus ita surrexit à morte, ut non iterum in mortem recideret. Ideo dicitur ad Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Ergo, si pœnitens ita resurgat à morte peccati, ut *mors illi ultra non dominetur*, erit in hoc perfectè similis ejus resurrectio à peccato resurrectioni Christi. Ergo habet in hoc suum prædestinationis signum, quod Christo etiam assimilabitur in resurrectione ad vitam gloriæ, *configuratus corpori claritatis ejus*, ad Philipp.3. Rom.8. Rom.6. Ezech 33. Tertull. Pœnitentia est resurrectio à morte. Rom.6. Pœnitens resurgens à peccato nõ debet iterũ mori per peccatum. Philipp 3.

Confirmatur tertiò; quia miracula, quæ Christus edidit in salute corporum, fuerunt ita perfecta, ut nemini opus fuerit iteratione miraculi. Neque enim Christus legitur bis eundem ægrotum sanasse, bis eundem cœcum illuminasse, bis eundem mortuum resuscitasse. Ergo, cum quis ita sanatur, illuminatur, resuscitatur per pœnitentiam, ut iterum non recidat in morbum, in cœcitatem, in mortem peccati: signum est quod speciali modo curatus est à Christo; nempe per specialia, & efficacia auxilia. E quibus, sicut habet diuturnam conservationem in recuperata gratia, ita potest sperare perseverantiam finalem in gratia: qui ultimus est in hac vita prædestinationis effectus. Hoc argumento abusi sunt Hæretici ad probandum non admittendos esse ad pœnitentiam relapsos. Sed Augustinus eo utitur ad probandum, non iterandum esse post pœnitentiam peccatum. Ita enim habet l.de vera, & falsa pœnit. c.5. *Quem cœcum, inquiunt, bis illuminavit? quem leprosum bis mandavit? quem mortuum bis suscitavit?* & infra. *Ideo non scribitur aliquis nisi semel sanatus, ut timeat quisque jungi peccato.* Ideſt, ut quisque timeat sæpiùs in idem peccatum recidere. Qui timor à vera pœnitentia procedit: & sic prædestinationis est signum, cujus effectus est pœnitentia vera, & fructuosa. Christus neminem legitur bis sanasse. Pœnitentes veri nunquã recidivi.

Confirmatur quartò exemplo electorum, qui à Christo ad pœni-

tentiam vocati, ad pristina non sunt relapsi. Hoc apparet primò in Magdalena, *quæ prius*, ut notat Chrysostomus homil. 6. in Matth. *meretrix, virgines quoque ipsas honestate superavit, à maximis sordibus peccatorum largissimo lachrymarum fonte purgata.* Idem serm. in peccatr. & phar. *hæc*, inquit, *pœnitentiam egit; & illico quavis virgine castior, ac verecundior evasit.*

Chrysost. XLVII. Magdalena per pœnitentiam virgines superavit.

Apparet secundò in Petro, qui post trinam negationem *egressus foras flevit amarè* Matth. 26. Egressus autem est foras, privans se ipsomet Christi conspectu, ut ab occasione iterum peccandi se eriperet. Quippe quæ fuerat atrium Caïphæ, & sermocinatio cum aulicis. Quod animadvertens Beda in eum locum, *egressus*, inquit, *foras. Nec enim in atrio Caïphæ retentus agere poterat pœnitentiam: ut ab impiorum concilio secretus pavidæ negationis sordes liberis fletibus abluat.*

Matth. 26.

Petri pœnitentia cœpit à fuga occasionis peccandi. *Beda.*

Apparet tertiò in Matthæo, qui vocatus à telonio, ad ea negotia, quæ peccati occasio esse poterant, ultra non rediit. Quod expendens Gregorius homil. 24. in Evangelio, *Piscatorem*, inquit, *Petrum, Matthæum verò telonearium scimus. Et post conversionem suam ad piscationem Petrus rediit: Matthæus vero ad telonei negotium non resedit. Sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi, aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat.*

Matthæus ad telonium ultra non rediit. *Gregor.*

Apparet quartò in Zacchæo. Qui, cum numeraretur inter publicanos, & peccatores, à Christo vocatus ad pœnitentiam, non solùm in posterum à fraudibus, ac furtis abstinuit, sed etiam *dimidium bonorum suorum dedit pauperibus: & siquid aliquem defraudaverat, reddidit quadruplum.* Luc. 19. Quo exemplo monentur ij, qui post damnificationem proximi ad pœnitentiam transeunt, quid agere debeant, ut signum in se veræ pœnitentiæ, ac prædestinationis exhibeant. Neque enim Zacchæus expectavit ad restitutionem à Christo obligari: aut eumdem consuluit, ad quid præcisè teneretur: neque allegavit in dubio meliorem esse conditionem possidentis: sed in dubio, si quid aliquem defraudasset, non tantumdem, sed quadruplum reddidit. Insuper opera supererogationis adjunxit dando dimidium bonorum pauperibus. Hoc scilicet charactere insigniuntur ij ex electis, qui ex illicitis ad pœnitentiam veniunt. Hi namque in restitutione ablatorum magis in tuto conscientiam collocant, quàm pecuniam. Quod expendens Beda in eum locum l. 5. cap. 77. *Zacchæus*, inquit, *in fidei veritate persistens, non solùm se ex peccatore conversum, sed etiam inter perfectos probat esse versatum, dicente Domino, si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus.* Quod utique fecit Zacchæus, vel ut eleemosynis compensaret peccata: vel ut omnem sibi eximeret scrupulum de retentione ablatorum, restituendo

Zacchæi Pœnitentia cœpit à restitutione bonorum. *Luca 19.*

Conscientia potiùs collocanda in tuto est, quàm pecunia. *Beda.*

pauperibus, quod substulerat ab incertis: ne scilicet renovaret in injusta retentione peccatum, quod commiserat in injusta acceptione. XLVIII. Habitus vitiosus semel depositus iterum non resumendus.

Quod est proprium pœnitentiam electorum efficaciter caventium, ne in eadem relabantur. Hoc innuitur Cant. 5. dum dicitur ex persona animæ veraciter pœnitentis, *expoliavi me tunica mea: quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Ideſt expoliavi me habitu vitioso, de quo dicit Apostolus ad Colos. 3. *expoliantes nos veterem hominem*; quomodo igitur iterum eum induam? *lavi pedes meos*, id est affectus meos malos fonte lachrymarum in sacramento pœnitentiæ: quomodo iterum ad peccatorum sordes rediens *inquinabo illos?* Quæ est expositio trium Patrum apud Theodoretum in hunc locum. *Expoliavi me veteri mea peccati tunica, quam ex transgressione contraxeram: quomodo induam illam, splendido jam indumento depulsam? lavi pedes meos: quomodo illos improbarum cupiditatum vestigia sequens inquinabo?* Et, ut apud eumdem Psellus, *Ablui sordes à pedibus meis, eosque in semitam salutis direxi: non ullo unquam tempore me retro convertens inquinabo.* Hi pœnitentis effectus signa sunt animæ per pœnitentiam prædestinatæ. Quamobrem Nyssenus in eumdem locum *confessio*, inquit, *qua pollicetur à se nunquam tunicam reiectam resumendam, & pedes terrenis affectibus inquinandos, parat aditum animæ ad Deum.* Qui utique ultimus est prædestinationis terminus. Et sic talis dispositio est prædestinationis effectus, & signum.

Cantic. 5. *Colos. 3.* *Trium Patrum expositio Theodoret.* *Psellus.* *Nyssenus.*

Denique hoc electorum est proprium, ut per pœnitentiam existiment se *mortuos esse peccato, viventes autem Deo.* Ad Rom. 6. quod exponens sanctus Prosper l. de vita contempl. c. 21. *quid est*, inquit, *mori peccato nisi damnandis operibus omnino non vivere, nihil ambire, nihil carnaliter concupiscere?* Et infra. *Quem non facit impudentem audacia; iniquum iniustitia, ferum inclementia, varium inconstantia, pertinacem contumacia, deliciosum gula, vanum iactantia, levem facilitas, impatientem mobilitas, iracundum animositas, suspiciosum perversitas, verbosum vanitas, iniuriosum malignitas. Qui remotus est prorsus ab illecebris secularibus, remotus ab immundiciis & inimicitiis; remotus ab insidiis, remotus à rapinis, remotus à mendaciis, postremò remotus ab omni genere flagitiorum atque facinorum, quibus carnaliter viventes Deum offendunt. Sicut carne mortuus, neque hæc facere potest, nec pati: ita & talibus vitiis omnino non vivit.* Hoc est verè mori peccato, qui primus effectus est veræ pœnitentiæ, in quo electi dignoscuntur à reprobis: quorum est post pœnitentiam relabi, ut ostendetur inferiùs. Primus autem effectus pœnitentiæ ponitur hic totalis, & constans recessus à malo. Quia prior est recessus à termino à quo, quàm sit accessus ad terminum ad quem, juxta illud Psalm. 36. *declina à malo, & fac bonum.* Ideo dicitur Eccles. Pœnitentes veri moriuntur peccato. *Rom. 6.* *Prosper.* Mori peccato quid sit. *Psal. 36.*

Eccles.21. loco citato. *Fili peccasti? ne adjcias iterum.* Sequitur. *Sed & de pristinis deprecare, ut dimittantur.* Qui est secundus effectus, seu fructus pœnitentiæ, assignatus etiam à Gregorio tribuente pœnitentiæ hæc duo munera, *plangenda iterum non committere, & præterita peccata plangere*, ut supra notatum est.

XLIX. Prædestinationis signum detestatio perpetua præteritorum.

Quod autem hoc prædestinationis signum integretur non solùm ex non iteratione novi peccati, de qua dictum est; sed etiam ex fletu præteriti, probatur; quia permissio peccati in electis intenditur à Deo ad illorum majus bonum, eo modo, quo explicatum est tomo 2. l.3. q.4. Ergo non potest intendi à Deo in electo permissio unius peccati propter hoc tantùm, ut ultra non peccet: cum melius sit simpliciter non peccare, quàm non ulteriùs peccare. Ergo aliquod aliud bonum à Deo intenditur ex hac permissione in electis, ortum ex pœnitentia, quod non fuisset ante pœnitentiam. Nempe, quemadmodum dicit Ambrosius l. de Paradiso c.8. *ut per pœnitentiam delictorum fœneratior postea gratia in hominis redeat affectum.* Ideo dicitur ad Rom. 8. *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ubi Glossa, & alij, *etiam peccata.* Quem locum expendens Augustinus l. de corrept. & grat. c.9. *usque adeo*, inquit, *prorsus omnia, ut si qui eorum* (electorum) *exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum: quia humiliores redeunt, ac doctiores.* Hoc autem potissimùm præstat memoria dolorosa peccatorum, quod dicit Gregorius, *perpetrata plangere.* Idque requiritur propter multa.

Ambros. Permissio peccati propter pœnitentiam. *Rom.8. Glossa August.* Prædestinatis etiam peccata cooperantur in bonum.

Primò ad certitudinem majorem veniæ. Certi enim sumus ex mortali peccato nos contraxisse reatum æternæ pœnæ: certi non sumus de venia: tum ex parte nostra, quia certi non sumus, an in nobis fuerit verus dolor peccati, an fuerit verè supernaturalis, an fuerit super omnia mala saltem temporalia: quod ad minimùm requiritur ad hoc, ut dolor ille sit dispositio sufficiens ad confessionem sacramentalem: cum fundare debeat propositum non peccandi de cætero, extendens se saltem implicitè ad quamcunque circumstantiam boni, vel mali temporalis. Tum etiam ex parte confessarij. Cum non simus omnimodè certi de charactere, de potestate, aliisque circumstantiis ex ejus parte requisitis ad absolutionis valorem. Quamobrem signum est prædestinati de sua salute solliciti detestationem eorumdem peccatorum sæpiùs iterare: ut magis in tuto spem veniæ collocet. Idcirco monetur unusquisque Eccl. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Id est de peccato, quod putas esse remissum, *noli esse sine metu:* ne fortè non sit remissum. Quod explicat versio Syriaca, & Arabica, *ne confidas de remissione.* Et Tigurina, *super data venia ne sis securus.* Quod egregiè confirmat Gregorius lib.6. Ep.22. ad Gregoriam, quæ erat Imperatrici à cubiculis. Ubi *secura*, inquit, *de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum*

Ecclesi.5. *Gregor.* Pauli trepidatio de salute.

jam

iam in vita tua die ultimo plangere eadem non valebis. Quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes: atque eas fletibus quotidianis lavare. Certè Paulus in tertium cœlum ascenderat: in Paradisum ductus fuerat: arcana verba audierat, quæ non licet homini loqui: & tamen adhuc trepidans dicebat, castigo corpus meum, & servituti subjicio: ne fortè aliis prædicans ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui in cœlum ducitur: & timere non vult, qui adhuc conversatur in terris? Hæc incertitudo veniæ post peccatum adeo permovere solet prædestinatos, ut non ratò media quædam extraordinaria adhibeant ad hanc certitudinem assequendam.

Mulier quædam peccatrix, ut narratur in vitis Patrum l. 1. c. 10. *Vita Patr.* cum jam pœnitens sua defleret scelera, ea sigillatim conscripsit, paginamque sigillo obsignatam detulit ad magnum Basilium Neocesareæ Episcopum, vehementissimè rogans, ut suis precibus impetraret certam earum culparum, quæ ibi adnotatæ erant, remissionem. Oravit totam noctem, ac diei sequentis partem Basilius: ac post missæ sacrificium peractum, schedulam aperuit, in qua peccata omnia deleta reperit, præter unum, idque gravissimum. Non acquievit mulier, magnis fletibus à Basilio petens, ut illud quoque facinus ejus aggeminatis precibus expungeretur è pagina. Renuit Basilius muliere missa ad sanctissimum virum Ephremum, qui in eremo degebat. Hic à muliere, per quam plurima longi itineris quæsitus, ac repertus incommoda, eam remisit ad Basilium: ut sicut cæterorum, ita quoque illius unius criminis, cujus eam sollicitudo angebat, certam veniam obtineret. Reversa mulier ad urbem, cum duci videret funus Basilij jam defuncti, magnis clamoribus schedam projecit in pheretrum, unde recepta, inventa est prorsus candida, ac si nullis unquam fuisset characteribus obsignata, certum exultanti mulieri pignus obtentæ veniæ de eo quoque flagitio, cujus remissio in dubium revocabatur.

Simile quid legitur in vita B. Emerici, ad cujus sepulchrum cum Conradus quidam, homo, qui in flagitiis vitam duxerat, eaque summo Pontifici confessus fuerat, accessisset, ac paginam, in qua peccata conscripserat, quamque pluribus catenis constrinxerat, solutam reperit, ac notæ omnis expertem, certam vadem obtentæ veniæ. Hac sancta sollicitudine à præteritis peccatis incussa affecti erant ij, qui voluntariè se carceri pœnitentiæ mancipantes, ut narrat Climacus *Climacus.* de accurata pœnitentia gradu 5. flebiliter, & dolenter dicebant. *Putasne apparebit Dominus ultra super nos? Aliy verò, num pertransiit anima nostra debitum intolerabile? Aliy putasne adjiciet Dominus ultra consolari in nobis? Putasne audiemus illum dicentem nobis, qui sumus in vinculis insolubilibus, exite: & qui in inferno* Pœnitentiũ carcer.

pœnitentiæ sedemus, laxamini? Putasne clamor noster ad aures Domini ingressus est? Cuncti verò sedebant, semper ante oculos suos mortem attendentes, & dicentes. Quid putatis continget? Quænam erit illa sententia? Quis finis noster? Putasne erit revocatio? num superest ultra spes veniæ mœstis reis? num valuit oratio nostra ingredi ante conspectum Domini: an meritò repudiata est, atque abiecta? Aut, si fortè intravit, quantùm peregit? quantùm placavit Deum? quantùm profecit? emissa quippe ex immundis labiis parum habere potuit virium. Putasne appropinquaverunt nobis Angeli custodes nostri, an adhuc longiùs à nobis stant? Ex his liquidò apparet, quàm sit propria electorum sancta hæc de impetrata venia incertitudo: ex qua, tanquam ex humilitatis magistra, de salute potiùs certiorantur.

Angeli custodes procul se à peccatoribus amovent.

Memoria peccatorũ ad placandam iram divinam.

Secundò requiritur ad prædestinationis signum dolorosa hæc pecccatorum memoria propter advertendam Dei iram: ne ea nobis auxilia deneget, quæ propter admissa peccata justè denegat. Quippe, etiam data certitudine, quod peccata præterita sint condonata, adhuc remisso peccato, remanet ex parte nostra habitus vitiosus: ex parte Dei, tanquam pœna peccati, denegatio eorum specialium auxiliorum, quæ data fuissent, nisi præcessisset peccatum: quæ pœna non totaliter remittitur cum peccato. Unde fit, ut ex una parte urgente habitu vitioso, ex altera denegatis auxiliis amplioribus, peccator pœnitens, renovata occasione, in periculo semper sit novi peccati, Cujus permissio est pœna peccati præteriti, remissi quoad culpam, sed non totaliter quoad pœnam. Ideo ad hanc avertendam, totaliter Deum placandum electi, post peccata etiam condonata, iterum, atque iterum ea sibi postulant condonari. Et in hoc sensu Catharinus opusc. de certitudine gratiæ intelligit verba supra citata Eccles. *de propitiato peccato noli esse sine metu.* Idest, etiamsi certus sis de venia peccati præteriti, noli esse sine metu peccati futuri: (quippe metus propriè versatur circa malum imminens, & futurum) cujus permissio facilè trahi potest ex denegatione aliquorum specialium auxiliorum ex vi peccati præteriti, nondum planè deleti quantùm ad pœnam: quoad quam non est peccator planè restitutus in statum pristinum. Sicut, si Rex aulico sibi charo dimittat crimen perduellionis, & pœnam capitis: non idcirco eum restituit in gradum pristinum, neque oculo tam benigno aspicit, quo ante perduellionem: usque dum memoriam criminis factis insignioribus diluat.

I. Pœna peccati auxiliorũ quorumdam specialium denegatio.

Cathar.

Psal. 50.

A peccato ampliùs lavari quid sit.

2 Reg. 12.

Patet ex Ps. 50. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* David enim certò noverat sibi dimissum fuisse peccatum ex verbis Nathan. 2. Reg. 12. *Transtulit Dominus peccatum tuum.* Et, cum sciret se lotum esse ac mundatum, petit ampliùs se lavari, & mundari, *Ampliùs lava me*, &c. cum tamen peccati

macula consistat in indivisibili : neque possit ex parte tolli, ex parte non. Nimirum postulabat se ampliùs lavari quantum ad pœnam relictam à peccato : & poscebat restitui se in gradum pristinum divinæ amicitiæ. Est animadversio Chrysostomi hom. 2. in Ps. 50. ubi, *quid ampliùs quæris ô David ? Audi prophetam dicentem, Dominus dimisit peccatum tuum. Non quæro solùm peccata dimitti : sed & decorem meum pristinum quæro. Dele*, inquit, *& ampliùs lava me, Plus aliquid quæro, majorem honorem ; majorem gloriam.* Nimirum, præter remissionem culpæ, quam impetraverat, petebat sibi dimitti eam pœnam Dei adhuc subirati aliqua auxilia denegantis, & cupiebat restitui in gradum pristini honoris, & familiaritatis cum Deo. *Chrysost.*

Hoc idem insinuabant Sancti illi pœnitentes, de quibus Climacus loco cit. cum dicebant, *Putasne nostra oratio omnino reconciliavit judicem, an ex parte ? An vulnerum vel medietas deleta est ?* Cum autem peccata lethalia, quæ sunt animæ vulnera, non deleantur, sive sanentur ex parte, debet hoc intelligi de eorum deletione quoad pœnam : quæ deleri potest quoad partem, & partem. Ideo pœna relicta post vulnus peccati appellatur cicatrix, quæ vestigium est obducti vulneris. Quamobrem Chrysostomus in Psal. 50. hom. 2. loquens de pœnitentia Davidis, *Ablatum est*, inquit, *peccatum : sed vult, & cicatricem extenuare. Ablatum est vulnus : vult & pulchritudinem recipere : Ideo dicit miserere mei Deus, &c.* Non obducitur hæc cicatrix, nisi cum remissa jam culpa, remittitur etiam pœna peccati ; præsertim pœna spiritualis denegationis auxiliorum, quam electi maximè reformidant. Hac pœna remissa, dicitur Deus non recordari peccatorum Ezechiel. 18. *si impius egerit pœnitentiam*, &c. *omnium iniquitatum ejus non recordabor*, quia ita se gerit, ac si non recordaretur, neque quoad culpam, neque quoad pœnam. *Climacus.* Cicatrix peccati qui sit. *Chrysost.* *Ezech. 18.*

Ideo ex parte pœnitentis magnum prædestinationis est signum memoria peccatorum : quia signum est ex parte Dei oblivionis peccatorum. Memoria enim peccatorum in nobis parit oblivionem in Deo : oblivio in nobis memoriam in Deo. Idcirco David Ps. 50. petebat à Domino, ut deleret omnino peccatum suum : & assignat pro ratione, *quoniam iniquitatem meam ego cognosco : & peccatum meum contra me est semper.* Quæ verba idem exponens hom. cit. *Ego*, inquit, *illud video : tu ne consideres. Ego scribo : tu dele. Vide enim quid sit ; si tu memor sis, Deus non erit memor : si tu oblitus fueris, Deus memorabitur.* Sicut igitur reprobationis est signum peccata commissa non coram se, sed post tergum ponere : quia signum est ea adhuc repræsentari coram Deo ad vindictam : ita prædestinationis est signum, si quis potest dicere, *peccatum meum coram me est semper :* quia signum est jam esse post tergum Dei : & Memoria peccatorum in nobis parit oblivionem eorum de in Deo : & è contra. *Psalm. 50. Chrysost.*

LI.

Peccata qui ante se ponit, tollit à

conspectu Dei, & è contra. *Isaiæ 38. Augusti. Psal. 49.*

poterit idem dicere confidenter, *projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Is. 38. Ideo August. hom. 2. inter 50. *tolle*, inquit, *te à dorso tuo: ubi te videre non vis: & constitue te ante te: ne tu postea à Deo judice sias ante te* (alludit ad illud Ps. 49. *arguam te, & statuam contra faciem tuam*) *& non sit, quò fugias à te.* Signum igitur quod Deus non respiciat ultra peccata nostra est, quando nos illa respicimus. Quamobrem Gregorius parte tertia Past. admon. 3. *admonendi*, inquit, *sunt, ut incessanter admissa ante oculos reducant. David, cum peteret, averte faciem tuam à peccatis meis, paulò superiùs intulit, delictum meum coram me est semper. Ac si diceret, peccatum meum ne respicias postulo: quia hoc ego respicere ipse non cesso.* *Gregor.*

Peccatorũ, quæ commisimus, ad certa ea redigendo capita, quotidiana recordatio. *Thren. 3 Gregor.*

Qui prædestinati sunt per statum pœnitentiæ post peccata, solent eorum quotidie recordari. Quod faciliùs, & utiliùs fieri potest, si graviora ex iis ad certa capita redigantur: de quorum singulis cum detestatione, ac dolore specialiùs quotidie venia flagitetur; quasi distribuendo actus doloris, & lachrymas juxta divisiones peccatorum. Quod innuitur Thren. 3. *divisiones aquarum deduxerunt oculi mei.* Hoc monet expressè Gregorius loco cit. ubi *admonendi*, inquit, *sunt ut singula quæque admissa considerent: & dum per unumquodque erroris sui inquinationem deflent, simul se, ac totos lachrymis mundent. Vnde benè per Hieremiam dicitur, divisiones aquarum deduxit oculus meus. Divisas quippe ex oculis aquas deducimus, quando peccatis singulis dispertitas lachrymas damus.*

David peccata sua semper corã se tanquam in imagine depicta cernebat. *Chrysost.*

Comprobatur hoc exemplo Davidis, qui, ut expendit Chrysostomus homil. cit. *quamvis condonatum sibi fuerit, non est oblitus peccati sui: sed in conscientia tanquam in imagine adulterium, & homicidium depictum habebat. Et per singulos dies videbat putredinem, & dicebat, peccatum meum coram me est semper.* Quo autem animi dolore, qua detestatione id faceret, satis explicat illud ex vulgata, *peccatum meum contra me est sempor.* Quasi peccatum, quia voluntati Dei adversatur, etiam sibi tanquam adversarium agnosceret, & multitudinem peccatorum tanquam acies hostium. Quod egregiè declarat Ambr. l. de Apologia David. cap. 9. ubi discrimen assignans, inter eos, qui peccant ex reprobis, & eos, qui peccant ex electis, *Insipiens*, inquit, *suis delectatur erroribus: & novis vetera obumbrando peccatis, se existimat adjuvari. At verò sapiens adversùm se judicat esse delictum suum: & tanquam hostiles acies, ita lapsus culparum suarum adversantium modo sibi arbitratur obsistere. Quidquid personuerit, culpa ei propria semper occurrit. Quidquid fuerit dictum, aut lectum, in se dictum putat. Quidquid intenderit, se nutu, se oculis signari censet. Si epuletur, si cogitet, si oret, ante oculos ejus semper est proprius error: & momentis omnibus pulsat*

Peccata cõmissa aspicienda, ut acies hostium. *Ambrosius.*

Reprobi peccatorum recordantur se iis oblectãdo: prædestinati eadem detestando.

Conscientiæ stimuli de peccatis.

conscientiam culpæ : nec quiescere, nec obliviſci ſinit : ac ſe terrore perpetuo, velut gravis cenſor, exagitat. Ipſe ſui accuſator, ipſe ſui teſtis eſt : nec invenit, quò fugiat, qui ſe perurget, & ſtimulat. Idem monet Auguſtinus tom. 10. hom. 50. de neceſſitate pœnitentiæ, ubi *aſcendet*, inquit, *homo adverſum ſe tribunal mentis ſuæ conſtituet ſe ante faciem ſuam : ne ei poſtea dicatur, arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Atque ita conſtituto in corde judicio, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor.* Hic timor, ne Deus, adhuc poſt remiſſam culpam, remaneat non omnino reconciliatus quoad pœnam ſubductionis, aut diminutionis ſpecialium auxiliorum, carnifex eſt animæ electorum poſt peccatum : & ſignum eſt magnum prædeſtinationis, quia conducit maximè ad impetranda à Deo ea auxilia, quæ dediſſet ante peccatum. Ita hæc memoria peccatorum ex parte pœnitentis inducit in Deo eorumdem oblivionem, & quoad culpam, & quoad pœnam præſertim ſpiritualem, juxta promiſſum Ezech. 33. *Iniquitatum ejus non recordabor amplius :* reſtituens peccatorem in ſtatum priſtinum ſpecialis protectionis divinæ : cujus eſt ad finem prædeſtinationis perducere.

Auguſt. Conſciétiæ tribunal, judex teſtis, accuſator, carnifex.

Ezech. 33.

LII. Memoria peccatorum ad emendationé vitæ. *Chryſoſt.*

Tertiò requiritur hæc dolorosa memoria peccatorum ad emendationem, & correctionem vitæ, nempe ad præcavendum, ne in eadem iterum incurratur. Turpitudo enim, & gravitas perſpecta peccati odium illius inducit : ex quo noluntas peccandi. Quare Chryſoſtomus hom. 5. de pœnitent. *decet*, inquit, *& nos purgatos à peccatis eadem ante oculos habere peccata. Etenim præcedentium memoria, futurorum ſit continentia. Et, qui in prioribus lapſus eſt, in ſecundis firmiorem oſtendet ſententiam.* Innuit hoc David Pſ. 50. *iniquitatem meam ego cognoſco*, ideſt turpitudinem, & deformitatem illius. Quæ cognitio maximè facit ad totius vitæ mutationem : & ideo infra ſubditur, *cor mundum crea in me Deus.* Hæc mutatio cordis ex memoria peccatorum aptè exprimitur myſterioſa illa Græcorum fabula apud Ovid. metamorph. l. 4. turpiſſimæ meduſæ anguibus pro crinibus obuallatæ : quam, qui inſpexiſſet, illico in lapidem vertebatur. Quippe deformis facies præteritæ conſcientiæ, peccatorum colubris implicatæ, juxta illud Eccleſ. *quaſi à facie colubri fuge peccatum*, in pœnitentis mente perſpecta, metamorphoſim quamdam facit : quæ non hominem in lapidem, ſed cor lapideum vertit in carneum, juxta illud Ezech. 36. *auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo cor carneum* : ex mutato corde eſt totius vitæ mutatio, quod innuit Chriſtus Matth. 16. cum dixit, *abneget ſemetipſum* Quæ verba expendens Gregor. ho. 32. in Evang. *Relinquamus*, inquit, *noſmetipſos quales peccando nos fecimus : & maneamus noſmetipſi, quales per gratiam facti ſumus. Ecce, qui ſuperbus fuit, ſi converſus*

Pſal. 50.

Ovidius. Peccatorum memoria trãsformat, ut aſpectus Meduſæ crinibus ſerpentinis. Cordis mutatio, *Ezech. 36.* Peccator quomodo transformetur per pœnitentiam, *Matth. 16. Gregorius.*

ad Christum humilis factus est, semetipsum reliquit. Si luxuriosus ad continentiam vitam mutaverit, abnegavit utique, quod fuit. Si avarus quisque ambire jam desiit; & largiri didicit propria, qui priùs aliena rapiebat: hic utique semetipsum reliquit. Ipse quidem est per naturam, sed non ipse per malitiam. Hinc enim Scriptura dicit, verte impios, & non erunt in essentia, sed quia in culpa impietatis non erunt. Hanc metamorphosim, quæ ex consideratione peccati, quasi ex aspectu Medusæ à Deo fit per pœnitentiam, explicat egregiè Chrysostomus in Ps. 50. hom. 2. ubi loquens de efficacia pœnitentiæ in Paulo, *Considerate*, inquit, *Apostolum priùs persecutorem, postea annunciatorem: priùs persecutorem, postea dispensatorem: ante hoc zizania, post hoc frumentum: antea lupum, postea pastorem: ante plumbum, postmodum aurum* (admirabili pœnitentiæ, ut vocant, Alchimia, plumbum convertente in aurum) *antea piratam, postea gubernatorem: antea dispersorem ovium, postea dispensatorem Ecclesiæ: priùs evellentem vineam, postea plantantem: priùs dissipantem, & postea ædificantem.*

Chrysost.
LIII. Pauli metamorphosis.

Hæc mutatio in Paulo fuit ex assidua meditatione peccatorum, quæ in Iudaismo patraverat. Quia scilicet, ut testatur Augustinus l. de vera, & falsa pœnitentia c. 13. *Apostolus peccata etiam remissa continuè plorabat.*

Paulus peccata cõmissa perpetuò deflebat. *August.*

Quartò requiritur dolorosa hæc memoria peccatorum ad magisterium humilitatis. Ratio est, quia Deus permittit in electis peccata potissima propter hoc, *ut humiliores reddantur*, uti supra diximus ex Augustino. Ergo, tunc permissio peccati prædestinationis est signum, cum post peccatum apparet tanquam effectus hujus permissionis humilitas.

Memoria peccatorum ad magisterium humilitatis. *Augustin.*

Patet id primò in Davide: qui non contentus aperuisse se culpam suam Prophetæ Natan, non erubuit conscripto Psalmo quinquagesimo, illud vulgare posteritati. Dum, ut notat Ambros. l. 2. de Apol. David. c. 4. *confessionis suæ testimonium in perpetua sæcula vulgato dolore transmisit.* Ita ut, quemadmodum advertit Chrysostomus hom. 2. in Ps. 50. *etiam posteræ generationi fieret illius passio medicina: & aliis portus illius naufragium.*

Ambros.
Davidis humilitas post peccatum. *Chrysost.*

Patet secundò in parabola Publicani Lucæ 18. *qui à longè stans nolebat, nec oculos ad cœlum levare.* Quæ humilitas, quam vim dederit pœnitentiæ, expendit Augustinus serm. 16. de verbis Domini, ubi *Publicanus*, inquit, *longè stabat: sed tamen Deo ipse propinquabat. Oculos ad cœlum non levabat: ut aspiceretur* (à Deo) *non aspiciebat. Respicere sursum non audebat; spes sublevabat.* Hic humilis deprecandi pro peccatis modus proprius, & perpetuus est electorum. Adeoque est divinæ misericordiæ conciliativus, ut si ponatur ex una parte virtus conjuncta superbiæ, ut fuit in Pharisæo; ex alia parte peccatum cum humilitate conjunctum, ut fuit in publi-

Davidis peccatum medicina posteritatis. *Luc.* 18.

Publicani humilitas quam vim dederit pœnitentiæ.

cano: & utramque hanc veluti bigam ad Deum currere; anteiret utique virtuti peccatum. Quæ est animadversio Chrys. ho. 5. de incompr. Dei nat. ubi *finge*, inquit, *animo bigam duplicem: quarum in altera virtus juncta sit cum superbia, in altera cum humilitate peccatum. Videbis bigam illam peccati facilè anteire virtuti, palmamque obtinere, non pernicitate peccati, sed vigore humilitatis. Contra verò bigam alteram retardari, ac vinci non imbecillitate virtutis, sed pondere, ac mole superbiæ. Hoc exemplo Pharisæi, & Publicani perspicies, junxerat Pharisæus institiam cum superbia*, &c. quæ ibi fusiùs.

Chrysost. Publicani, & Pharisæi duplex biga.

Patet tertiò in sanctis viris: quorum proprium semper fuit, anteactæ vitæ peccata ad humilitatis exercitium recolere. Quamobrem de sanctis illis pœnitentibus narrat Climacus loco cit. vidisse se eos ex cogitatione peccatorum *summo mœrore affectos, totos tenebris obsitos, ad omnia vitæ huius insensibiles factos: mentem quippe in humilitatis abyssos demersérant.* Hos imitatus B. Franciscus Borgia, ut habetur in ejus vita, locum sibi apud inferos sub Judæ pedibus constituerat: quem suis culpis promeritum se existimabat, & perpetua cogitatione peccatorum occupatus, mirabatur se non ab omnibus, conuiciis, & lapidibus impeti: ac non omnes in se creaturas insurgere tanquam adversum hominem in inferno damnatum. Hac eadem consideratione utebatur Anselmus qui libro de similit. c. 101. *peccando*, inquit, *non solùm iram Dei promeruimus; sed etiam totum creatum adversum nos excitavimus. Potest ergo nobis iusta consideratione terra dicere, non debeo vos sustinere, sed potiùs absorbere: quoniam à creatore meo non timuistis peccando recedere, & inimico eius diabolo adhærere. Potest etiam cibus dicere, & potus, non meruistis, ut vos pascere debeamus, ab illo enim peccando recessistis, per quem nec ales esurit. Sol quoque non debet nobis ad salutem lucere; sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis, & fons luminum lucem penitus coercere. Sic etiam singulæ creaturæ contra nos irrefragabili ratione possunt insurgere.* Eumdem humilitatis sensum ex memoria peccatorum insinuat August. l. de vera, & falsa pœnitentia cap. 13. ubi *omnes fructus*, inquit, *sua pœnitentiæ paruos habeat: nunquam credat sufficere: semper coram Domino, ante quem peccavit, erubescat.* Ambrosius etiam l. 2. de pœnitentia c. 8. docet ex hac memoria concipi *confusionem ex propriis delictis, & compassionem in alienis: ut quoties peccatum alicuius exponitur, compatiar, nec superbè increpem, sed lugeam, & defleam: ut dum alium fleo, me ipsum fleam, dicens iustificata est magis Thamar, quàm ego.* Bernardus quoque serm. de Cantico Ezechiæ explicans illud, *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: Non sum*, inquit, *dignus, ut valeam recogitare cum dulcedine: cogitabo me ipsum in amaritudine. Confusus redeo ad familiares mihi tenebras vitæ meæ pristinæ, non in eis iterum*

SS. Pœnitentiū humilitas. *Climacus.*

LIV. Francisci Borgiæ humilis de se existimatio.

Anselm. Creaturæ universæ quomodo in peccatorem insurgant.

August.

Ambros.

Bernard.

versando cum delectatione mortifera, sed puniendo, & recogitando in amaritudine animæ meæ. Memoria igitur peccatorum prædestinationis est signum, quia mentem ad humilitatem perducit, quæ est gradus ad gloriam.

Memoria peccatorum ad gratitudinem remissionis, *Seneca.*

Quintò requiritur hæc memoria ad gratitudinem. Memoria enim peccati remissi involuit remissionem, quæ beneficium est maximum. Beneficio gratitudo debetur. Primus autem gratitudinis actus est beneficij agnitio, & memoria. Quippe ut ait Seneca epist. 83. *interdum beneficij solutio est ipsa confessio*, idest fateri te id accepisse. Non enim potest esse gratitudo de beneficio, vel incognito, vel oblivioni mandato. Quod animadvertens Chrysostomus hom. 2. in Ps. 50. *memor sis*, inquit, *peccatorum: ut gratior sit tibi misericordia, ut sentias, quid tibi concesserit. Si enim semper memor fueris cumuli peccatorum tuorum, eris memor magnitudinis beneficentiæ Dei.* Tales sunt electi, qui virtutum suarum non meminerunt, sed peccatorum suorum memoriam retinent. Exemplum habetur in Paulo 1. ad Corinth. 15. ubi *Ego sum*, inquit, *minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persequutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id, quod sum.* Mentionem facit peccati sui, ut ex illo amplificet gratiam Dei. Sicut pictor umbras coloribus intermiscet: ut inter umbras vivaciùs colores appareant. Quamobrem idem Chrysostomus hom. 18. in eamdem Epistol. ad Cor. in eadem verba. *Sum minimus*, &c. *Non*, inquit, *simpliciter postremum se esse demonstrat; & apostolicis titulis indignum. Sed neutiquam fuerat eorum oblitus, gratiæ magnitudinem prædicare volens. Unde subdit, gratia Dei sum id, quod sum.* Recordatio igitur peccatorum operabatur in Paulo agnitionem divinæ gratiæ, quæ illum fecerat ex persecutore doctorem. Ideo instituit Deus singulis annis apud Iudæos festum Paschatis in memoriam liberationis à servitute Ægyptiorum Exod. 12. Festum Pentecostes in memoriam acceptæ legis Deut. 16. Festum tabernaculorum, seu scenopogiæ in memoriã beneficiorum, quæ acceperant in deserto Levit. 23. Inter omnia tamen hæc festa, celeberrimum erat Pascha: quo celebrabatur memoria liberationis à tyrannide Pharaonis, in figuram liberationis, quo peccator per pœnitentiam liberatus est à tyrannide diaboli. Quod animadvertens Ambrosius l. 1. de Cain. c. 8. *Pascha*, inquit, *Domini quotannis celebrabatur, hoc est animarum transitus à vitijs ad virtutes, à passionibus carnis ad sobrietatem mentis, à fermento malitiæ, & nequitiæ ad regenerationis sinceritatem, & veritatem.* Hanc memoriam transitus à peccato ad gratiam electis pœnitentibus nõ solùm præstat quotidiana recordatio peccatorum: sed annuatim ab his etiam hoc Pascha celebratur: cum eum diem, quo à statu diuturno gravioris peccati transitum quisque fecit, tanquam à servitute Ægyptiaca,

Pauli humilitas, & gratitudo. 1. *Cor.* 15.

Chrysost.

LV. Gratitudo memoriæ, quam Deus beneficiis exigit.

Exod. 12. *Deut.* 16. *Levit.* 23.

Paschasymbolum trãsitus è peccato ad gratiam. *Ambros.*

Electi annuatim memoriam suæ conversionis celebrant.

ptiaca, ad libertatem gratiæ, singulis annis speciali devotione recolunt, in gratiarum actionem effusi. Hanc grati animi memoriam Deus exigit in electis, ut per eam ad nova beneficia gradum faciant: dum per hanc, ut notat Bernardus serm.contr.vit.ingratit. *locum in nobis facimus gratiæ, ut maiora recipere mereamur.* *Bernard.*

Beneficij præteriti memoria gradum facit ad nova.

Sextò denique requiritur hæc memoria ad satisfactionem. Nam, cum peccatum sit injuria facta Deo, jus divinum læsum satisfactionem requirit. Et ideo supereſt post sacramentum pœnitentiæ satisfactio tanquam ejus pars quodammodo integralis, & peccatis debita. Quoniam verò per pœnam à confessario injunctam non fit ut plurimum satisfactio plena, & omnimoda; (alioquin post pœnitentiam sacramentalem peractam nihil remaneret satisfaciendum neque in hac vita, neque in altera: & sic purgatorij ignis pœna esset inutilis, quod est falsum) ideo hoc potissimùm curare solent electi, ut post peccatum Deo satisfaciant in hac vita.

Memoria dolorosa peccatorũ ad recompensandum jus divinũ.

Hæc autem satisfactio tria continet. Primùm est iterata, & frequens detestatio peccati etiam remissi; ut, sicut quis nimis adhærendo objecto peccaminoso divinum jus læserat: ita idem detestando divinum jus resarciat. Quoniam verò hæc peccatorum detestatio, cum vehemens est, solet esse lachrymarum elicitiva: ideo prima conditio, quam continet satisfactio in electis, ad hoc ut post statum peccati prædestinationis sit signum, est peccati recordatio lachrymosa. Quippe, ut ait Augustinus hom. 27. inter. 50. *Sicut est testis pœnitentia dolor: ita doloris testis est lachryma.* Hæc quotidiana detestatio peccatorum cum lachrymis ita à SS. Patribus strictè præscribitur, ut sine illa in homine pœnitente post peccatum, vix ullum prædestinationis signum agnoscant. Hoc patet cum è dictis supra, tum ex testimoniis, quæ hic subjiciam: quoniam hæc veritas plurimùm conducit ad ea, quæ dicturi sumus quæst. seq. de paucitate prædestinatorum.

Pœnitentia esse debet lacrymosa.

Augustin.

LVI. Lacrymandum quotidie pro peccatis.

Fundatur hoc præcipuè in eo, quod dicitur Threnorum. 2. *Deduc quasi torrentem lachrymas: per diem, & noctem non des quietem tibi: nec taceat pupilla oculi tui.* Hoc ab unoquoque post peccatum præstandum esse passim docent Patres. S. Ephrem serm. de extr. jud. & compunct. ad hanc adhortans. *Compunctionem*, inquit, *dico non unius diei, sed quæ die, nocteque veluti fons intùs in anima exuberat. Semper, & absque ulla intermissione plantas tuas lachrymis irriga frater: ut sic irrigatæ crescant, fructumque ferant de die in diem.* Idem sermon. de compunct. & salut. dicit lachrymas esse panem quotidianum animæ: sine quo nutriri non potest. *Lachrymæ*, inquit, *nutrimentum, ac vita sunt animæ: & panis, salusque eius existunt. Idcirco & David dicebat, fiant mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte. O felicem animam, si quis lachrymis nutriretur!* Chrysostomus hom. 21. in Genes. *sicut faciem corporis tui quotidie abluis, ne qua fortè*

Thren. 2. S. Ephrem.

Chrysost.

fœda macula faciei inhærens appareat: sic, & animæ curam habeas quotidie lachrymis eam abluens. Hac enim aqua maculæ deponuntur.

Augustin. Augustin. l. de vera, & falsa pœniten. c. 13. *semper*, inquit, *doleat: semper coram Domino, ante quem peccavit, erubescat: dolorem cum vita finiat.* Et infra. *Quid nobis restat nisi semper dolere in vita? ubi enim dolor finitur deficit & pœnitentia. Si autem pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia? tamdiù enim gaudet, & sustentatur à gratia, quamdiù sustentatur à pœnitentia. Hinc semper doleat: & non sit satis quod doleat, sed ex fide doleat; & non semper doluisse doleat.* Probat id ibidem exemplo Pauli, quem dicit peccata commissa in Iudaismo semper ploràsse, etiam post susceptum baptismum. *Si*, inquit, *Apostolus etiam peccata post baptismum remissa continuè plorat, nobis super fundamentum Apostolorum positis quid restat præter plorare?*

Deflenda peccata etiã certò remissa.

Ex quo validum sumitur argumentum pro hac necessitate perpetua lachrymarum. Si enim peccata per baptismum certò, & omnimodè remissa, & quoad culpam, & quoad pœnam, adhuc dicit esse exemplo Apostoli perpetuò deflenda: quid faciendum in peccatis post baptismum, nec certò quoad culpam, nec totaliter dimissis quoad pœnam? Ideo idem Augustin. serm. 12. ad fratres in Eremo. *Quotidie*, inquit, *fleas peccata, quæ commisisti.* Et infra. *Simus tantùm proni ad fletum, quantùm fuimus audaces ad culpam.* Et sermon. 5. qui ponitur in Litan. *securus de venia semper debet suspirare de culpa.* Ambros. l. 2. de pœn. c. 5. *Qui agit*, inquit, *pœnitentiam, diluere debet lachrymis peccatum suum, & mundare fletibus: ut audiat nos Dominus Deus noster ingemiscentes.* Hieronymus epistol. ad Eustochium. *Esto*, inquit, *cicada noctium. Per singulas noctes lava lectum tuum, & lachrymis stratum tuum riga.* Gregorius par. 3. Pastor. admon. 30. *scriptum est*, inquit, *potum dedit nobis lachrymas in mensura: ut uniuscuiusque mens tantùm pœnitendo compunctionis suæ lachrymas bibat; quantum se à Deo meminit amisisse per culpas. Admonendi sunt, ut admissa ante oculos incessanter reducant*, &c. ut supra relatum est.

Augustin.

Ambros.

LVII. Pœnitens cicada noctium.

Hieronym.

Gregor.

Hoc non modò apparet è dictis Sanctorum, sed etiam ex eorundem exemplis. Apparet hoc primò in Davide, qui post acceptam ore Prophetæ peccati veniam, singulis noctibus lavabat lectum suis lachrymis, memor se nocte, & in lecto peccasse. Ideo dicit Psal. 6. *lavabo per singulas noctes lectum meum: & stratum meum lachrymis meis rigabo.* Quem locum expendens S. Ephrem. sermon. de compunct. *una*, inquit, *nocte peccavit, & singulis noctibus flevit*, & supra ibidem. *David*, inquit, *noctes diesque transegit in lachrymis. Ille forma nobis est datus, & exemplum pœnitentiæ. Quare imitemur eum in lachrymis.* Ambrosius etiam l. de Apolog. David cap. 4.

Davidis pœnitentia lachrymosa.

Psal. 6.

S. Ephrem.

Ambros.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

peccavit, inquit, *David, quod solent Reges: sed flevit, ingemuit, quod non solent Reges.* Ex quo factum est, ut regius Davidis lectus multò iis in lachrymis esset ornatior, quàm gemmis nitentes lecti Regum. Quamobrem Chrysostomus in c. 16. Lucæ concione prima de Lazaro, *En*, inquit, *ostendo tibi lectum Davidis, non argento, & auro, sed lachrymis, & confessione exornatum. Hoc ipse fatetur ita dicens, lachrymis meis stratum meum rigabo. Itaque erat ille lachrymis vice margaritarum distinctus.* *Chrysost.* Lachrymæ margaritæ.

Neque solùm Davidis lachrymæ illi veniam, atque ornamentum tulerunt: sed etiam, quod est omnium maximum, meruerunt, ut Christus ex ejus progenie nasceretur. Qui ex stirpe nasci voluit peccatoris, sed flentis, intuitu lachrymarum. Quamobrem Ambrosius l. 2. de pœnitentia cap. 8. *Rex*, inquit, *erat David: & dicebat lavabo per singulas noctes lectum meum: & lachrymis meis stratum meum rigabo. Et ideo tantum gratiam meruit, ut virgo ex ejus familia nasceretur, quæ nobis proprio partu Christum ederet.* Ex hoc colligit Chrysostomus loco cit. quid facere debeant ij, qui per opera pœnitentiæ certam satagunt facere vocationem, & electionem suam: nempe imitari Davidem: qui, *cum omnes quietem, & somnum agerent, solus Deum interpellabat: & aderat sopori nescius oculus ploranti, lamentantique, suaque confitenti mala. Talem tu tibi quoque lectum parato.* Idem hom. 2. in Ps. 50. *Quando* inquit, *accubueris super stratum tuum, antequam veniat tibi somnus, profer in medium codicem conscientiæ: ac reminiscens peccatorum tuorum, effunde lachrymas: & ea in lecto positus delere poteris.* Hæc de pœnitentia Davidis lachrymosa. Qui, ut ait Ambrosius, *ideo lapsus creditur in peccatum, ut nos doceret quomodo oporteat aboleri peccatum. Medicina enim non nisi a vulnere sumpsit exordium.* *Ambrosius.* Lachrymæ Davidis Christum ex ejus progenie meruerunt. *Chrysost.* Pœnitentis somnus lachrymis interpellandus. *Ambrosius.* LVIII. Davidis vulnus medicina aliorum.

Apparet id secundò in Magdalena, quæ pœnitentiam non egit sine lachrymis, dum *lachrymis cœpit rigare pedes ejus* Lucæ 7. Ob has pœnitentiæ lachrymas Chrysostomus loco cit. Magdalenam exæquat martyribus, ubi *Grandis*, inquit, *gloria martyrum. Meretrix illa non fudit sanguinem, sed fontem lachrymarum profudit: & delevit peccata sua.* Dictum est autem de illa, *dimissa sunt ei peccata multa*, exemplo ejus qui, *debebat denarios quingentos*; quia persoluto modico argento lachrymarum (*lachrymarum impensam* appellat Chrysostomus hom. 3. de pœn.) tot relaxationem obtinuit debitorum. Quamobrem S. Anthiochus hom. 107. de compunct. *Meretrix*, inquit, *illa lachrymis unius horæ præfervidis multorum remissionem retulit debitorum.* Impetravit hanc *lachrymis unius horæ*: sed non una hora flevit. Nam, postquam audivit à Christo, *dimittuntur tibi peccata tua*, Lucæ 7. eadem per totam vitam deflesse dicitur. Quod animadvertens Augustinus serm. 12. ad fratres *Luca 7.* *Chrysost.* Magdalenæ pœnitentia lachrymosa exæquatur martyrio. Lachrymarum argento peccatorum debita persolvuntur. *Anthioch. Luca 7.*

Magdalena post accepram peccatorum remissionem perpetuò flevit peccata. *August. Ambros.*

in eremo. *Quotidie*, inquit, *fleas peccata, quæ commisisti. Sic enim peccatrix illa Maria non solùm in domo Simonis, sed etiam post adventum Sancti Spiritus hoc idem ardenter perfecit. Semper enim dolebat: semper in vita sua, quæ commiserat, flebat.* Ad cujus exemplum omnes, qui sunt veraciter pœnitentes, adhortans etiam Ambrosius l. 2. de pœnit. c. 8. *Absterge*, inquit, *lachrymis cicatrices tuas.* (Quæ sunt vestigia peccati jam remissi, quasi vulneris jam obducti) *sic peccatum mulier illa in Evangelio, fœtoremque sui erroris absterserit. Sic culpam diluit, dum Iesu pedes lachrymis lavit. Vtinam mihi pedum tuorum lutum Iesu reserves: quos, dum in me deambulas, inquinasti. Vtinam sordes pedum tuorum detergendas mihi offeras; quas ego actu meo tuis affixi gressibus. Sed unde aqua viva, qua pedes tuos lavare possim? si aquam non habeo, habeo lachrymas: quibus me ipse diluam, dum pedes tuos lavo.* Solent Sancti viri obsequium, quod Magdalena præstitit pedibus Christi viventis, præstare pedibus Crucifixi, eos lacrymis detergendo. Magdalena enim, ut notat ibidem Ambrosius, *omnibus, qui volunt veniam promereri, magisterium præstitit.* Vnde fit, ut reliqui omnes prædestinati post peccatum, ejusdem exemplum imitari debeant, tanquam Ducis prædestinatorum ex pœnitentibus. Ideo autem, ut notat idem S. Ambrosius l. 6. in Luc. cap. 7. *cum lavit pedes Discipulorum, non lavit pedes suos Christus, ut lachrymis nos lavemus.*

Magdalena magistra pœnitentium. *Ambros.*

Ambrosius.

Christus ideo non lavit pedes suos cum discipulis, ut nos eos lachrymis lavemus. *Luca 22. Chrysost.*

Apparet idem tertiò in pœnitentia Petri, qui post trinam negationem *egressus foras flevit amarè.* Luc. 22. quod expendens Chrysostomus hom. 2. Pf. 50. *amarè*, inquit, *fudit lachrymas, & absterserit peccatum suum; ac recepit pristinam dignitatem.* Addit idem Chrysostomus hom. de Zona, regimen totius Ecclesiæ, quod antea fuerat Petro promissum, traditum illi post pœnitentiæ lachrymas. *Planctus* inquit, *illi subsidium fuit. Ideo Evangelista non eum simpliciter, sed magno dolore flevisse testatur. Illarum lachrymarum quantum meritum fuerit, nullus verbo poterit explicare: sed rerum demonstrat eventus. Post lapsum enim illius negationis, cui nullum malum poterat comparari, priorè eum reddidit Ecclesiæ: & totius orbis sollicitudinem, curamque commisit.* Idem testatur Ambrosius de pœnit.

Petri pœnitentia lachrymosa.

Petri lachrymis primatus Ecclesiæ traditur. *Ambrosius.*

Petri serm. 46. *Vide*, inquit, *quantùm Petro fletus profuerit, antequam fleret, lapsus est; postquam flevit, erectus est. Et, qui ante lachrymas prævaricator extitit, post lachrymas pastor assumptus est: & alios regendos accepit, qui priùs se ipse non rexit.* Quod confirmat quoque S. Anthiocus hom. 107. de compunct. ubi dicit Petro *creditas fuisse claves regni cœlorum, in gratiam lachrymarum.* Neque mirum, cum lachrymæ illæ partus fuerint oculorum Christi: dum *conversus Dominus respexit Petrum: & egressus foras flevit amare.* Luc. 22. quod expendens Ambrosius l. de Apolog. David. c.

Ambrosius.

Antiochus. Luca 22.

6. *Iesus*, inquit, *Petrum aspexit: & ille flevit. Negavit primò, & non flevit; negavit secundò, & non flevit: quia non respexerat eum Iesus. Negavit tertiò: respexit Iesus, & statim flevit.* Augustinus etiam tract. 66. in Ioannem. *Petrus*, inquit, *mortuus est negando: & resurrexit plorando. Mortuus est, quia ipse præsumpsit: resurrexit, quia ille respexit.* Signum igitur divini intuitus prædestinantis ad veniam sunt lachrymæ pœnitentis. Neque hæ lachrymæ in Petro fuerunt horariæ: sed per totum vitæ tempus, ut traditur, singulis noctibus, cum galli cantum inaudiret, memor peccati, flexis genibus, erumpebat in fletum, gallicinio aliorum oculos ad vigiliam, Petri etiam ad lachrymas excitante. Fletus autem adeo assiduus in eo fuit, ut testetur Nicephorus l. 2. cap. 37. habuisse *oculos quasi sanguine aspersos.* Quod referens Baronius tomo 1. anno 69. *fuit*, inquit, *oculis sanguineis, eò quod continuò ploravisse dicitur.* Sive quia lachrymæ ob salledinem oculos inflammassent: sive quia ex vehementia doloris lachrymas etiam sanguineas effudisset. Hæc de lachrymosa pœnitentia Petri.

Lachrymæ Petri, partus oculorū Christi. *August.*
Petrus mortuus negando surrexit plorando.
LIX.
Galli cātus Petro lachrymas excitabat.
Petri oculi aspersi sanguine. *Nicephorus. Baronius.*

Apparet idem quartò in aliis sanctis viris. Nam ex his, quorum scimus lapsum, scimus etiam lachrymas. Quippe inter sanctos illos pœnitentes, de quibus Climacus loco cit. *alij pavimentum madefaciebant lacrymis: alij, quia lachrymarum imbrem non habebant*, (id est quia non habebant lachrymas in tanta copia) *se ipsos miserabiliter lamentabantur.* De Augustino refert Possidonius in ejus vita c. 30. & 31. etiam in morbo extremo peccata toties defleta flevisse: & Psalmos pœnitentiales cum lachrymis recitasse. S. Hieronymus in Hier. c. 9. *si totus*, inquit, *vertar in fletum: & non sint lachrymarum guttæ, sed abundantia fluminis, non satis digne flevero.* Idem ita scribit de S. Paula in ejus epitaphio. *In ea fontes crederes lachrymarum. Ita leviora plangebat peccata, ut eam gravissimorum criminum ream crederes. Cumque à nobis crebrò moneretur, ut parceret oculis, ajebat longum risum perpeti compensandum esse fletu.* S. Olimpia Ablatii præfecti nepos, ut refert Palladius in Causiaco, *erat in compunctione, & frequenti profluvio lachrymarum. Et potiùs licebat fontibus æstate fluenta deficere, quàm ejus oculis lachrymas.* De S. Arsenio narrat Ruffinus linteolum semper gestasse ad abstergendas lachrymas. Plura non desunt exempla in vitis Sanctis, præsertim pœnitentibus. Quare, ut in nobis hoc signum prædestinationis appareat, orare debemus cum August. l. supp. p. 4. c. 2. *Da mihi Domine gratiam lachrymarum, sicut dedisti Patribus nostris, ut plangam me in tota vita mea, sicut ipsi planxerunt die, ac nocte.*

SS. Pœnitentium lachrymæ. *Climacus. Possidonius.*
Lachrymæ Augustini.
Lachrymæ Hieronymi
Lachrymæ S. Paulæ.
Lachrymæ S. Olympiæ. *Palladius.*
Lachrymæ Arsenii. *Ruffinus. August.*
LX.
Lachrymis promittitur beatitudo. *Matth. 5. Luca 6.*

Apparet idem quintò, quia ipsemet Christus inter alia prædestinationis signa lachrymas assignavit. Matth. 5. *Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.* Et Lucæ 6. *Beati, qui nunc fletis; quia*

ridebitis. Signum igitur futuræ consolationis & risus, est præsens lachryma, & fletus. Quod de fletu propter peccata interpretatur S. Ephrem. serm. 3. de compunc. Adeo autem Christus Dominus nostras lachrymas necessarias esse duxit ad salutem, ut cum crucem gestaret ad Calvarium, pro omnibus crucifigendus, mulieres, quæ ipsum sequebantur, admonuerit, ut seipsas, non ipsum flerent. *Nolite flere super me, sed super vos.* Lucæ 23. Quod adnotans Ambrosius l. 2. de pœnit. cap. 6. *ipse*, inquit, *nos flere vult, ut possimus evadere sicut habes scriptum in Evangelio, nolite me flere; sed vos ipsas flete.* Animadvertenda est circunstantia temporis. Quippe tunc à nobis exigit lachrymas, cum sanguinem fundebat pro nobis: perinde ac si diceret, non profuturum nobis Christi sanguinem, nisi jungatur cum nostris lachrymis. Ideo tunc dixit *vos ipsas flete.*

S. Ephrem.

Apparet idem sextò ex dictis SS. de virtute, & efficacia lachrymarum ad obtinendum prædestinationis finem. Quippe eadem, quæ in ordine executionis ad effectum prædestinationis sunt media, comparata ad ordinem intentionis sunt prædestinationis effectus, ut ostensum est tom. 2. l. 3. q. 15. atque adeo prædestinationis sunt signa: cum effectus signum sit suæ causæ, ut supra notatum est.

Lachryma Deum orat, & exorat. *Psal.* 6. *Thren.* 2. & 3. *Psal.* 38.

Primò igitur lachryma Deum orat, & exorat. Ideo lachrymæ dicuntur vocales Ps. 6. *Exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Thren. 2. *Nec taceat pupilla oculi tui.* Threnorum 3. *Oculus meus afflictus est, nec tacuit.* Ps. 38. *Auribus percipe lachrymas meas.* Habent nempe loquaces oculi linguam suam. Idcirco Christus Petrum negantem oculo admonuit, quando *conversus Dominus respexit Petrum.* Lucæ 22. Quod animadvertens Chrysostomus hom. 10. de pœnit. *Christus*, inquit, *respiciens in Petrum vocem misit per intuitum. Non enim ore loquutus est, ne inter Judæos proprium confunderet Discipulum: sed per oculum dimisit vocem, quasi diceret, Petre, quod dixi, factum est.* Petrus autem oculo admonenti oculo flente respondit: & *egressus foras flevit amarè.* Ideo Ambrosius serm. 46. de pœnit. *Petri lachrymæ*, inquit, *tacitæ quodammodo preces sunt. Veniam non postulant, & merentur: causam non dicunt, & misericordiam consequuntur. Vtiliores lachrymarum preces sunt, quàm sermonum. Ideo Petrus mavult causam suam flere, quàm dicere: & quod voce negaverat, lachrymis confiteri.* Hanc lachrymarum vocem agnoscens Augustinus l. medit. c. 36. ita Deum precabatur. *Da mihi irriguum lachrymarum fontem, ut ipsæ lachrymæ prodant, ipsæ loquantur, quantùm te diligit anima mea.* Idem epist. 121. c. 10. *aliud*, inquit, *est sermo multus: aliud diuturnus affectus. Hoc autem negotium plus gemitibus, quàm sermonibus agitur: plus fletu, quàm affatu.* Chrysostomus etiam loquens de Annæ fletu,

Lachrymæ vocales

Christus oculis allo quutus est Petrum. *Luc.* 22. *Chrysost.* *Ambros.*

Petri lachrymæ tacitæ preces. *August.*

Chrysost.

Solæ, inquit, *eius lachrymæ vocem emittebant omni buccina clariorem.* Neque facultas ad suadendum deest his vocibus: cum lachrymæ apud Deum vice fungantur oratoris. Idcirco Ambrosius in Psal. 37. *lachrymæ*, inquit, *solent legationem suscipere pro delictis.* Climacus etiam gradu 7. *mœstitia*, inquit, *& gemitus ad Deum clamant. Timoris autem lachrymæ legatione funguntur.*

Ambros. Climacus. Lachrymæ legationem suscipiunt apud Deū.

Quàm verò sit efficax lachrymarum legatio, explicat idem Augustinus præferens lachrymarum efficaciam efficaciæ orationis. *Oratio*, inquit, *ungit Deum: lachryma pungit. Illa lenit: hæc cogit.* Idem testatur S. Anthiocus serm. 107. de compunct. ubi *die*, inquit, *ac nocte plorabimus in conspectu Dei nostri. Vbi enim lachryma, ibi Dei clementia est exorabilis.* Probat id ex illo Iob 16. *perveniat deprecatio mea ad Dominum: coram autem eo stillet oculus meus.* Insuper exemplo utriusque Annæ. Nam prior *oravit ad Dominum flens largiter.* 1. Regum. 1. & ita Samuëlem obtinuit. *Altera item*, inquit, *Anna Ioachimi uxor flens in horto, cum petitionem suam offerret, promeruit accipere Virginem Mariam Dei, & Salvatoris nostri Matrem.* Sicut igitur Christus filius fuit lachrymarum Davidis, ut supra diximus cum Ambrosio: ita Maria filia fuit lachrymarum Annæ: ut modò diximus ex Antiocho. Qui ibidem *omnimodè*, inquit, *ante petitionem necesse est utaris præsidio lachrymarum.* Conjunxit hæc Ezechias 4. Reg. 20. Cui dicitur, *audivi orationem tuam, & vidi lachrymam tuam: & ecce sanavi te.* Fleverat Ezechias *fletu magno*, ut ibidem dicitur: & tamen Deus *vidit lachrymam, & sanavit:* quia vel una lachrymulæ vocula satis erat ad impetrandum. Quod perpendens idem. S. Anthiocus homil. 107. de compunc. *Ezechiæ*, inquit, *quod tantillum fudisset lachrymarum, accreverunt ad eius vitam anni quinque, & decem.* Una lachryma efficax fuit ad impetrandos annos decem, & quinque. Nulla quippe lachryma repulsam patitur. Ideo eleganter Cyprianus serm. 6. de cœna Domini. *In huius*, inquit, *præsentia sacramenti non supervacuæ poscunt lachrymæ veniam: nec unquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam. Quoties te in conspectu Domini video suspirantem, Spiritum Sanctum non dubito adspirantem. Cum intueor flentem, sentio ignoscentem.* Non minùs disertè. S. Ephrem sermon. 1. de compunct. *O lachrymarum*, inquit, *vis quousque pertingis, quæ nullis impedita retinaculis cœlum penetras? ô lachrymarum potentia, quomodo in ictu oculi, quasi præpetibus sublata pennis, in cœlum revehis, atque ascendis, & à Deo obtines postulata?* eloquentissimè idem prosequitur Laurentius Iustinianus lib. de ligno vitæ cap. 9. ubi, *O lachryma*, inquit, *humilis, tua est potentia, tuum est regnum. Tribunal iudicis non vereris: accusatoribus silentium imponis: non est, qui te ad Deum vetet accedere. Si sola intres, vacua non redibis. Quid*

Anthioc. Iob. 16.

1. *Reg.* 1. LXI. Maria filia lachrymarum Annæ. *S. Anthioc.*

4. *Reg.* 20.

Vna lachrymulæ vocula satis est ad impetrandum. *S. Anthioc. Cyprian.*

Eucharistiæ præsentia efficaciam majorem confert lachrymis. *S. Ephrem.*

Lachrymarum potentia.

Laur. Iust.

Lachryma vincit invincibilē, ligat omnipotentem. *August.* *Chrysost.* Lachrymæ delent peccata.

plura? vincis invincibilem, inclinas Filium Virginis, ligas Omnipotentem. Simile quid, & sublimius reperio apud Augustinum sermon. 11. ad fratres in eremo, ubi loquens de lachryma compunctionis, *Tu*, inquit, *flagellum Dei es, per quod Deus mutatur: Tu stimulus, per quem Deus ad homines inclinatur. Tu ligamen, per quod fortiter Deus astringitur.* Denique clarissimè Chrysostomus serm. de Moyse, *nemo*, inquit, *ad Deum aliquando flens accessit, qui non, quod postulavit, accepit.* Signum igitur prædestinationis maximum, est donum lachrymarum, utpote efficax ad impetranda omnia media requisita ad hunc finem. Deveniendo autem sigillatim ad media in particulari.

Anton. *Abbas.* *Nazianz.* *Hieronym.* Lachrymæ mundi piamentum. *S.Ephrem.* LXII. Vna lachryma multa potest abolere peccata. *S.Maximus.* *Ambros.* *S.Laurent.* *Novarien.* Oculi flendo delent peccata cordis

Secundò lachryma delet peccata. Plurima suppetunt ex Patribus testimonia; sed pauca ex iis deligam illustriora. Antonius Abbas, ut refertur in vitis Patrum tit. de jugi orat. Interrogatus quid faciendum esset pro peccatis, *qui vult*, inquit, *liberari à peccatis, ab eis fletu, & planctu liberabitur.* Nazianz. or. 3. *lachrymæ*, inquit, *peccati diluvium, & mundi sunt piamentum.* Videtur alludere ad diluvium universale, quo terra contaminata peccatis, aquis diluta est. Quod respexit etiam Hieronymus epist. 46. dum dixit, *vide quanta magnitudo sit fletuum, ut aquarum diluvio comparetur.* S. Ephrem. in illud Psalm. 38. *Auribus percipe lachrymas meas; ne sileas. Novi enim, quod si lachrymarum mearum memor fueris, iniquitatum mearum non recordaberis: cum vel perexigua lachryma multa possit abolere delicta.* S. Maximus hom. 3. de pœnitent. *Petrus*, inquit, *lavit lachrymis delictum, quod pudor est confiteri. In omni igitur culpa ante flendum est, quàm precandum.* Chrysostomus serm. de Moyse, *doleat*, inquit, *peccator aliud se esse, quod fuerat. Lavet lachrymis, quod delictis infecit. Curet fletibus, quod peccando vexavit: gemitibus purget, quod contemnendo commisit.* Ambrosius l. 9. in Lucam, *Petrus flevit amarè, ut lachrymæ lavarent delictum. Tu similiter lachrymis culpam dilue. Non invenio quid Petrus dixerit, sed quod fleverit.* S. Laurentius Novar. Episcop. hom. 1. de pœnit. *Da mihi*, inquit, *ocule liquorem tuum: & dele peccatum meum. Irruant aquæ tuæ: & obruant crimina. Hæc loquere cum oculo tuo, qui te scandalizavit. Punge venam cordis tui pœnitentiæ stimulis: & de ipso corde educas aquam vivam in capite profluentem. Ferat caput tuum fontem remissionis, & fluvium indulgentiæ. Exinde gemini currant rivi, fleantque ambo oculi pariter sanitatis rorem, atque indulgentiæ pluviam.*

Ephrem. Lachrymæ medicina vulnerum.

Hanc lachrymarum vim ad delenda peccata variis similitudinibus illustrant Patres. S. Ephrem serm. de pœnit. dicit per lachrymas sanari ægritudinem. *Accede*, inquit, *peccator: & pro medicamento offer lachrymas. Vult enim cœlestis medicus unumquemque suis sanari lachrymis.*

lachrymis. Nullius est negotij curari lachrymis. Hoc enim medicamentum non strictiùs devincit ; non exacerbat vulnus : sed brevi compendio sanat , & absque molestia. Bernardus tractu de modo vivendi cap.10. dicit per lachrymas, quibus interdum oculi corporis excæcantur, illuminari cæcos. *Compunctio* , inquit , *cordis sanitas est anima : quia tunc anima illuminatur , quando ad lachrymas compungitur.* Augustinus tract.66. in Ioan. dicit per lachrymas resuscitari mortuos. *Petrus mortuus est negando, resurrexit plorando.* Idem serm.24. comm. *Oportet,* inquit , *super animam criminis gladio interfectam totum pondus doloris effundi : si fortè possit lachrymarum fomentis , calore fidei suscitari.* Chrysostomus etiam hom.4.de pœnit. *Cum,* inquit , *mortuus ager fuerit , si mundus defleat omnis , nequaquam eum excitabit : ita ut non resurrectionis , sed lachrymarum ille sit fletus. In anima verò non sic : sed si mortuam fleveris , sæpe numero mortuam excitabis.*

LXIII. Lachrymæ cæcitatem oculis tribuunt, cordi adimũt. *Augustin.* Lachrymæ mortuos resuscitãt, *Chrysost.*

Præterea dicuntur lachrymæ, dum à peccato liberant, alia mirabilia operari. Augustinus in Ps.44.dicit per eas extingui incendia , *si ardet,* inquit, *conscientia delicti, lachrymis extingue flammam peccati.* In hoc autem est mirabile , quod guttæ aquæ insertæ in fornacem, ignem vehementiùs accendunt : lachrymarum verò vel una interdum gutta satis est ad extinguendum magnum incendium peccatorum. Ita ut , quemadmodum notat S. Ephrem serm.3. de compunctione, *magnum delictorum chirographum modicis lachrymis deleatur: igniſque ardens ibi exiguo fletu extinguatur.* Chrysostomus etiam hom.5. de pœnitentia , *Rogum* , inquit , *peccatorum extinguis non aquis multis , sed paucis cum lachrymis. Multus enim peccati ignis: & modica extinguit eum lachryma.*

Augustin. Lachrymæ extingunt incendia peccatorũ.

Ephrem. Magnum chirographum modicis deletur lachrymis.

Neque solùm per lachrymas liberari dicimur à peccatorum incendio , sed etiam à naufragio : in iisdem lachrymis naufragante peccato , quæ nobis portus sunt post naufragium. Ideo Petrus Cellensis l. de panibus c.12. *lachryma,* inquit , *vitiorum naufragium, portus est naufragantium.* Ibidem perpendit per lachrymas , quæ effectus sunt peccati, aboleri peccata. *De fonte* , inquit, *peccatorum exilivit vena omnium lachrymarum. Mirum in hoc Dei artificis ingenium, ut lachryma de pœnis erumpens peccatorum, absorberet omne peccatum.* Chrysostomus hom.2.in Ps.50. dicit peccata commissa, quæ secundùm præsentem justitiam scripta erant in codice illo æterno divinæ reprobationis, per lachrymas aboleri, *In codice* , inquit, *scripta sunt peccata tua. Spongia peccatorum tuorum lachrymæ tuæ sunt ; effunde lachrymas : & poteris delere peccata.* Quod intelligendum esse de quovis peccato quantumvis gravi dicit idem Chrysostomus hom.10. de pœnitentia, ubi loquens de Petri lachrymis. *Non fuit,* inquit, *paruus reatus Dominum negasse, sed magnus , & fortis : eum tamen lachryma delevere.*

Chrysost. Lachrymæ vitiorum naufragiũ, portus naufragantiũ.

Chrysost.

Lachrymis efficitur, ut neque vulneris supersit cicatrix.

Ita autem delent peccatum, ut quemadmodum notat idem Chrysostomus hom. 4. de pœnit. tanti vulneris *neque cicatrix, neque cicatricis superstit indicium. Extinguit enim peccatum, atque id neque esse facit, neque fuisse.* Certè divinam omnipotentiam effugit, ut peccatum, quod fuit, non fuerit: cum repugnet per quamcumque potentiam, quod factum, sit infectum. Hoc tamen tribuit Chrysostomus omnipotentiæ lachrymarum, quæ peccatum ita *extinguunt, ut id neque esse faciant, neque fuisse.* Quia scilicet ita perfectè per eas deletur, ac si nunquam fuisset.

Lachrymæ efficiunt, ut peccatum factum, sit non factũ.

LXIV. Lachrymis deaurantur peccata. *Gregor.*

Neque lachrymis solùm peccata deleri docent Patres; sed iis etiam quodammodo deaurari. Quod significare vult Gregorius l. 3. in 1. Reg. c. 6. per annos aureos, quos Philistæi Deo obtulerunt pro peccatis. *Ex auro*, inquit, *fieri ani similitudo cernitur: quia ad pretium æternæ salutis electis peccatorum turpitudines atteruntur, vel fortasse fletibus deaurantur. Quia dum commissa attentius lugemus, in iustitiæ splendore membra deauramus.* Ita res turpissima peccatum, signum fit prædestinationis speciosissimum; dum *fletibus deauratur:* lachrymarum argento in aurum veluti flavescente. Ex hac incredibili vi lachrymarum in ordine ad delenda peccata, concluditur magnum in iis situm esse prædestinationis indicium. Cum habeant se tanquam removens prohibens; removendo id, quod prohibet prædestinationis finem à quo unicè arcet peccatum. Ideo in hanc lachrymarum laudem copiosissimè effunduntur Chrysostomus, & Augustinus. Ille serm. de pœnitent. ubi *lachrymæ*, inquit, *sunt, quæ radunt rudera, & sanant vulnera. Lachrymæ sunt, quæ pœnitentiam armant, & indulgentiam provocant. Lachrymæ sunt, quæ cœlum pulsantes, crimina delent, & conscientiam degravant. Lachrymæ sunt, quæ reconciliant Deo, à peccatis redimunt animam, & eius sanant languores. Lachryma sordentem animæ vestem lavant: & dant illi remissionis candorem.* Augustinus ad fratres in eremo sermon. 11. *Monache*, inquit, *punge oculum mentis, ut lachrymæ prodeant compunctionis. O compunctio, sine qua adultis non valet baptismus; sine qua ad iudicium Domini corpus recipitur: sine qua infructuosa est omnis confessio: sine qua omnis satisfactio est inanis. O compunctio lachrymosa: ô lachryma mentem purgans, intentionem fœcundans, confessionem irrigans, animam sanctificans. O felix lachryma, tu carnalem cogitationem extinguis; peccatorum morbos expellis: culpæ virus evomis. O felix tabula, ô vitalis navicula, per quam naufragus redire potest ad portum. O aqua salutaris, per quam omne peccatum destruitur. O felix lavacrum pœnitentiæ lachrymarum: quod toties valet ad purgandum quoties purgatione indiget cor humanum. Hæc est herba cœlestis illius fullonis, quæ vestes servorum suorum deturpatas à sorde quotidie purgat. Hæc est cœleste*

Insignis Chrysostomi locus de efficacia lachrymarũ.

Insignis Augustini locus de cõpunctione, & lachrymis.

LXV. Lachryma vitalis navicula, per quam naufragus redit ad portum.

nitrum, quod de rore divinæ gratiæ confectum, abstergit maculas peccatorum. Hæc est lixivia, quæ interioris hominis caput abluitur. O lachryma, tu contra ruinas hominum suave solatium: quæ passionis Christi es vicaria: contra peccatum ponens remedium, ut per te toties cogatur Christus mori, quoties labitur homo in abyssum peccati. Quibus extremis verbis significatur, per lachrymas ex vera contritione procedens applicari peccatori meritum passionis: quasi toties Christus funderet pro eo sanguinem, quoties pœnitens fundit lachrymas.

Lachryma Christi passionis vicaria.

Tertiò lachrymæ prædestinationis sunt signa, & simul media, quia iram divinam placant: & supplicia ejus avertunt irroganda etiam in hac vita. Patet hoc ex Ninivitis, quorum fletu commotus Deus sententiam commutavit. Quod non jejunio, sed fletui adscripsit Ambrosius l. 2. de pœnit. c. 6. ubi, *flevit*, inquit, *Ninive populus: & denunciatum excidium civitatis evasit. Tanta enim est pœnitentiæ medicina, ut suam Deus videatur mutare sententiam.* Idem expendit Chrysostomus hom. de zona, ubi loquens de pœnitentia Ninivitarum, *ubique*, inquit, *saccus: ubique cinis: ubique gemitus.* Et ideo supra dixerat *Deum ad pœnitentiam brevis temporis exoratum, multorum laxasse veniam peccatorum.* In tribunalibus hujus sæculi non placatur reorum lachrymis ira judicis. Sed ante tribunal Dei, ut notat Paschasius Ratbertus l. 3. In Hieremiam, *lachryma solummodò, & preces ad judicem solantur reos*: quod fusiùs prosequens Chrysostomus hom. 6. In Matth. *in secularibus*, inquit, *judiciis quantumlibet post acceptam sententiam lamenteris, & lugeas, non effugies flendo supplicium. Hic verò, si toto corde ingemueris ad Deum, soluisti repente sententiam.* Quia, ut notat Tertullian. l. de pœnit. cap. 9. *hæc, dum deprimit hominem, relevat: cum squallidum facit, mundatum reddit: cum accusat, excusat: cum condemnat, absoluit.* Quod totum lachrymis tribuit Chrysostomus serm. de pœnit. Vbi, *magnus*, inquit, *profectus est lachrymarum: ut plorando servus propitietur dominum: filius lachrymis mitiget patrem: & asperam matrem plorans parvulus mulceat. Ita ergo & peccator iram Dei profusis fletibus removet.* Ideo S. Ephrem serm. de compunct. & salute, *quando*, inquit, *positi erunt throni, & judicium sedebit, aperienturque libri, tunc lachrymarum mearum memineris; & lachrymas meas ne fileas. Quicumque enim lachrymas ad tribunal illud præmiserit, confidenter ad judicium tuum accedet. Novi quantùm apud te valeant lachrymæ.* Signum ergo prædestinationis sunt, quia placant iram divinam, ex qua reprobatio.

Lachrymæ divinam iram avertunt.

Ambros. Mutant immutabilem. *Chrysost.*

Paschasius Ratbert. Chrysost.

Lachrymæ supremi judicis avertunt sententiam.

LXVI. Lachryma, dum accusat, excusat. *Tertull. Chrysost.*

S. Ephrem.

Quartò lachrymæ tentationes propulsant. Ideo Chrysostomus hom. 12. in epist. ad Coloss. *Hæ*, inquit, *lachrymæ sagittas maligni ignitas extinguunt.* Neque solùm tela adversariorum obtendunt: sed

Chrysost. Lachrymæ tentationes

propulsant, ad pugnam armant.

etiam hostes feriunt. Ideo habetur in vitis Patrum tit. de compunct. *cum tentaris adversus eos, qui te impugnant, gladium lachrymarum exacue.* Demum totum dæmoniacum bellum extinguunt. Idcirco Theodorus studites serm. cathec. cap. 41. *Dæmonum*, inquit, *extinguendo bello nihil tam prævalidum, quàm contritio cordis, preces, ac lachrymæ.* Ideo lachryma quasi custodis Angeli contra dæmonum insultus munere fungitur. Quamobrem Nyssenus enar. de vit. Moys. *Lachryma*, inquit, *fidelis quædam custos est eorum, qui veram quærunt virtutem*, & ut addit S. Ephrem. serm. de jud. & compunct. *lachrymæ fiduciam præbent: nec valent cogitationes sordidæ approximare animæ compunctionem habenti.* Denique lachrymis victoria promittitur. Vt enim ait Fulgentius ad Probam de orat. & compunct. c. 5. *Tunc adversarium vincimus, cùm lachrymis, & continua cordis humilitate pugnamus.* Neque lachrymæ victoriam solùm pugnanti; sed etiam vincenti triumphum exhibent. Ideo idem Fulgentius, *lachrymæ, quæ ex compunctione cordis nascuntur, & inimicum vincunt, & donum nobis lætitiæ triumphalis acquirunt:* quasi novo Capitolio extructo, juxta hunc Tyberim lachrymarum. Signa igitur etiam ex hoc capite sunt prædestinationis amplissima: quoniam, & victoriæ, & triumphi sunt signa lachrymæ triumphales.

Theodo. tomo 9. veterum Patrũ.

Lachryma custodis Angeli munere fungitur.

Nissenus.

S. Ephrem.

Fulgent.

Lachrymæ victoriam adpromittunt: triumphum exhibent.

LXVII. Lachrymæ animâ fœcundant virtutibus.

Quintò lachrymæ prædestinationis sunt signa: quia animam fœcundant virtutibus, quæ ad finem prædestinationis sunt media. Docent enim Patres, ita lachrymis fœcundari animam, sicut imbribus agri, Quod meliùs intelligetur, si Physicam lachrymarum spectemus originem. Quippe, ut notat Basilius or. 4. de gratiar. act. *quemadmodum nubilus, & densus aër in aquarum aspergines: ita vaporum crassamentum in lachrymas soluitur.* Plin. etiam l. 11. cap. 37. dicens *prodire ex oculis fletus, & rigantes ora rivos; quis*, inquit, *ille humor est in dolore tam fœcundus?* Quod ad spiritualem sensum trahens Chrysostomus hom. 4. ad pop. *Nonne*, inquit, *semina delatus imber germinare facit, & crescere: ut pietatis semen excitare, & vernare facit ex lachrymis delatus imber?* Idem hom. 2. de Anna, loquens de virtutibus, *hæ*, inquit, *longè redolentiores sunt vernis floribus: quæ non aquarum fontibus, sed lachrymarum imbre rigantur. Neque enim perinde amnium fontes floridos reddunt hortos, ut plantam precationis fontes lachrymarum rigantes faciunt in summam altitudinem adolescere.* Hæc lachrymarum irrigatio pœnitentiam reddit fructuosam, quæ prædestinationis est signum. Ideo Augustinus l. 21. de civ. cap. 24. alludens ad ea verba, *qui seminant in lachrymis*, &c. *Ninivitæ*, inquit, *in hac vita egerunt pœnitentiam fructuosam, velut in hoc agro seminantes, in quo voluit Deus cum lachrymis seminari, quod postea cum lætitia meteretur.*

Lachrymarũ origo.

Lachrymæ imber semina irrigans, flores producens.

Lachrymæ pœnitentiã reddunt fructuosam.

Fulgentius etiam de oratione ad Probam cap. 5. explicans illud Ps. 122. *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua. Quàm benè*, inquit, *Propheta semina bonorum operum riganda docet flumine lachrymarum. Omnia enim semina non germinant, nisi fuerint irrigata: neque de semine procedit fructus, si fuerit aquarum juvamine destitutus. Proinde nos quoque, si velimus fructus nostrorum seminum capere, non desinamus semina nostra lachrymis irrigare.* Ex his lachrymis germina, ac flores bonorum desideriorum, & fructus bonarum operationum existent. Nempe talis anima arbor illa est, de qua dicitur Ps. 1. *& erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo.* Ideo ad lachrymas adhortans Tertullian. l. de pœnit. cap. 4. *arbor*, inquit, *fias illa, quæ penes aquas feritur: quæ foliis perennat, & in tempore suo fructus agit: quæ non ignem, non securim videbit.* Nihil aptiùs dici poterat ad probandum has pœnitentiæ lachrymas prædestinationis esse signum, quàm per ea verba, *non ignem, non securim videbit.* Quibus alluditur ad reprobos, de quibus Christus Matth. 7. *Arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Sterilis autem arbor est cor reprobi ex inopia lachrymarum: ita ut possit dicere, *anima mea sicut terra sine aqua tibi* Ps. 142. Quod figuratum est in Anna Samuëlis matre: quæ sterilis fuit, donec *flens largiter votum vovit Domino* 1. Reg. 1. Idcirco, ut ait Chrysostomus hom. 6. in Matth. *Sterilitatem ejus in fœcunditatem Deus mutavit: & tanquam è duro saxo agrum fertilem reddidit.* Quod idem contingit in anima, quam è sterili fertilem reddit lachryma. Quamobrem Gregor. dialog. l. 3. cap. 34. *Qui*, inquit, *gratiam lachrymarum non habent, hi nimirum terram Australem, & arentem habent; & irrigua indigent: quia oportet, ut mala, quæ antea perpetraverunt, deplorent.* Quod si *terra proferens spinas, & tribulos reproba est, & maledicto proxima*, ad Hebr. 6. anima fructus proferens, utpote lachrymis fœcundata, prædestinationis signum obtinet: & benedictioni est proxima, de qua dicitur Matt. 25. *venite benedicti.*

LXVIII. Iustus arbor secus decursus lachrymarũ. *Psalm. 1. Tertull.*

Reprobi cor in terra inaquosa. *Matth. 7. Psal. 142.*

Anna Samuëlis mater ex lachrymis fœcundata. *1. Reg. 1. Chrysost. Gregorius.*

Lachrymis carẽtes terram irriguã postulant. *Hebr. 6. Matth. 25.*

Sextò lachrymæ gehennæ ignes extinguunt. Ideo Chrysostomus hom. 6. in Matth. *Tales lachrymæ, quales erant Davidis, ipsum etiam gehennæ incendium norunt extinguere.* Ephrem Syrus hom. 3. de compunct. *Largire mihi famulo tuo lachrymas, ut magnum illud delictorum meorum chirographum modicis lachrymis deleatur: igniſque ibi ardens exiguo fletu extinguatur. Nam, si hic mea peccata deflevero, illic inextinguibilem ignem evadam.* Idem serm. de pœnit. & patient. *Præparata*, inquit, *est gehenna ignis inextinguibilis, nisi flammam illam lachrymarum rore aspersérimus: nisi per pœnitentiam gehennæ incendium restinxerimus.* Petrus Cellensis l. de

Lachryma gehennæ ignes extinguit. *Chrysost. Ephrem.*

Petrus Cellensis.

Panibus c.12. *lachryma portas refringit inferni: carbones ferreæ fornacis extinguit.* Rationem reddit Bernardus serm. in illa verba Iob 5. *in sex tribulationibus liberabit te*: quia lachryma delendo peccata, subtrahit igni gehennali materiem. *Vtinam*, inquit, *daret capiti meo aquam, & oculis meis fontes lachrymarum. Fortè enim non reperiret ignis exurens, quod interim flens lachryma diluisset.* In hoc autem cernitur providentia Dei admirabilis, ut ignis gehennæ effugiatur lachrymis; quas ipsius gehennæ meditatio excitat. Duo enim lachrymarum, & compunctionis genera agnoscit Gregorius l.9. dial. c.34. Alterum ex amore cœlestium, alterum ex timore gehennæ: & de his exponit illud Iosue 15. *Deditque ei pater suus irriguum superius, & irriguum inferius. Quia*, inquit, *duo sunt compunctionis genera. Irriguum quippe superius accipit anima, cum sè in lachrymis cœlestis regni desiderio affligit. Irriguum verò inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem priùs inferius, ac post irriguum superius datur. Sed quia amoris compunctio dignitate præeminet, necesse fuit, ut priùs irriguum superius, & postea irriguum inferius commemorari debuisset.* Inter prædestinationis igitur signa est utrumque *irriguum inferius, & superius*: ut priùs scilicet defleantur peccata ex timore gehennæ: & hoc est *irriguum inferius*: tum defleatur præsens exilium ex amore cœlestium; & hoc est *irriguum superius*. Sed humilis Bernardus permanere semper volebat in irriguo inferiori: dum *firmum*, inquit, *est mihi propositum, nunquam ridendi, quousque audiam ex ore Dei illa verba, venite benedicti. Neque à fletu desistam, donec liber sim ab illa sententia, ite maledicti.* Ita apud Cornelium in Threnos Hierem. c.3. vers.48. Sic fletus ex gehenna extinguit gehennam. Immo, si in ea perpetuus est fletus, & stridor dentium, fletus fletu repellitur: sed modico, & brevi fletu, ingens, & æternus. Ideo Ephrem serm.1. de pœnit. *Plange*, inquit, *hic modicum, ne ibi plangas in sæcula sæculorum.*

Septimò lachrymæ Purgatorii supplent vicem. Chrysostomus hom.8. in Matth. *Sicut*, inquit, *ex aqua, & spiritu: sic rursus ex lachrymis, & confessione purgamur.* Sicut igitur, cum quis in baptismate renascitur ex aqua, & spiritu, non solùm culpa, sed etiam ipsa Purgatorii pœna remittitur: ita proportionaliter in confessione, & lachrymis: quæ habent vim maximè satisfactivam pro pœna. In quo sensu dixit S. Ephrem serm. de compunctione, & salute, *vel perexigua lachryma multa posse aboleri peccata*, id est pœnam multis peccatis debitam. Clariùs idem Chrysostomus hom. 5. de pœn. in illa verba, *lavabo per singulas noctes lectum meum. Satis*, inquit, *fuerat dicere, lachrymis meis stratum meum rigabo: cur prævenit, lavabo? ut ostenderet lavachrum, & purgationem peccati esse lachrymas.* Quoniam verò Deus videri non potest nisi à *mundis corde*, ex

LXIX. Lachryma materiam subtrahit igni infernali. *Bernard.* Lachrymarum, & cõ punctionis duo genera. *Gregor.* Irriguum inferius, & irriguum superius quid.

Bernard.

LXX. Ridendum nunquam, flendum semper. *Cornelius.* Fletus gehennæ, fletu repellitur. *S. Ephrem.*

Lachrymæ Purgatorii vices supplent. *Chrysost.*

S. Ephrem.

Chrysost.

LXXI. Lachrymæ lavachrum, & purgatio peccati.

Matt. 5. hanc cordis munditiam præstant lachrymæ. Ideo Bernardus in Scala claustr. tit. de signis Spiritus Sancti, *felices*, inquit, *lachrymæ, per quas maculæ interiores purgantur: per quas peccatorum incendia* (id est debita peccatis) *extinguuntur*. Incendia autem peccatis debita sunt, vel gehennalia, vel Purgatoria. Præterea idem serm. de convers. ad Cleric. c. 19. *Purgatur*, inquit, *lachrymis oculus antea caligans: & acuitur visus, ut intendere possit in serenissimi luminis claritatem*. Quod igitur præstat post hanc vitam Purgatorius ignis, præstant lachrymæ in hac vita. *Matth. 5. Bernard.*

Octavò lachrymæ prædestinationis sunt signa, quia æquiparantur baptismo. Hoc sequitur ex modò dictis: & est communis sensus Patrum, ut notat Trid. sess. 14. c. 2. ubi dicit, *ad remissionem plenam, & integram peccatorum per Sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, & laboribus pervenire nequaquam posse. Ut meritò pœnitentia baptismus quidam laboriosus à Sanctis Patribus dictus fuerit*. Cyprianus, aut alius auctor hom. de ablut. pedum. *Magdalena*, inquit, *usa capillis pro linteo, oculis pro baptismo*. Quasi Magdalena Christum lachrymis baptizasset, æmulata Baptistam: sed baptismo nobiliore, quàm eo, quo Dominum baptizavit Ioannes. Præterea Chrysostomus hom. 6. in Marc. loquens ex persona Davidis, *lachrymæ*, inquit, *meæ fuerunt pro baptismate*. Idem homil. 10. de pœnit. *Petrus*, inquit, *flevit amarè, secundum baptisma per lachrymas ex oculis ostendens*. Hieronymus adversus Pelag. *Pœnitentia gratiam baptismatis imitatur*. Climacus grad. 1. *Pœnitentia est revocatio baptismatis*. Chrysologus serm. 107. *lachrymæ peccata baptizant*. S. Leo serm. 9. de passione, loquens de Petri lachrymis, *Felices, Apostole, lachrymæ tuæ: quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis*. Bernard. sermon. 1. oct. Pasch. *Est*, inquit, *baptismus aliquis in compunctione cordis, & assiduitate lachrymarum*. Et infra. *Baptismi sacramentum quoniam iterare non licet; his, qui sæpe in multis offendunt, frequenti oportet ablutione suppleri*. Addit Climacus gradu 7. lachrymarum baptismum esse majorem, ac potentiorem. *Maior*, inquit, *ac potentior baptismate baptisma* (*etsi audax dictu id videatur*) *fons est lachrymarum. Illud præcedentia delicta purgavit: istud verò posteriora. Illud omnes ab infantia acceptum inquinavit: per hoc autem, & illud purgamus*.

Trident. Lachrymæ æquiparantur baptismo. LXXI. Magdalena Christum lachrymis baptizavit æmulata Baptistam. *Chrysost. Climacus. S. Leo. Bernard.* LXXIII. Lachrymæ baptismus potentior. *Climacus.*

Nonò lachrymæ prædestinationis sunt signa; quia æquiparantur martyrio: & sic æquivalent non solùm baptismo fluminis, sed etiam baptismo sanguinis. Expresse Chrysostomus serm. in Ps. 50. *Dicam tibi quid valeant lachrymæ. Quid martyribus maius qui animam suam ponunt pro amico suo? Grandis gloria martyrum: martyres effundunt sanguinem: peccatores effundunt lachrymas*. Ipsimet mar-

Lachrymæ æquiparantur martyrio. *Chrysost.*

tyres, dum effundebant sanguinem, Deo placuerunt propter lachrymas. Ideo Augustinus serm. 45. *de Sanctis Martyribus*, inquit, *dici potest, quia cum lachrymis seminaverunt. Vt eorum lachrymas consolaretur Christus, eos in se transtulit.* Non desunt huic lachrymarum martyrio animi vulnera. Quippe, ut notat Basil. hom. 4. de grat. act. *Lachrymæ exoriri solent ex impetu quodam, ac si vulnere percelleretur anima.* Huic vulneri dolor, & sanguis non deest suus. Quamobrem Nyssenus or. funebr. de Placilla, *Dolor*, inquit, *in corde delitescens per fletus, ac lamentationes exprimitur: ac vulnerum animi tanquam sanguis sunt lachrymæ.* Hunc sanguinem comitatur mors, & occisio. Nam, ut ait, Cyprianus, aut alius auctor hom. de ablut. pedum. *Magdalena mactata intrinsecùs anima, proprium in Sancta sanguinem intulit. Cor contritum erupit in lachrymas.* Neque id immeritò, quia lachrymarum fontem in corde constituunt medici. Ad quod alludens S. Laurentius Novar. Episc. hom. 1. cit. de pœnit. *pungit*, inquit, *venam cordis tui pœnitentiæ stimulis: & de ipso corde educes aquam vivam, è capite profluentem*, & ut habetur in vitis Patrum l. 5. bello 3. de compunct. *homo pungens cor suum producit lachrymas: & celeriùs Dei misericordiam provocat.* Lachryma igitur quidam sanguis est, ut modò diximus cum Nysseno: sed sanguis cordis est; & sic purior, ac delicatior, & vulnerato per dolorem corde, sanguis hic per oculos effluit. Fortasse totum hunc lachrymarum fontem prope cor delitescentem Christus effudit, cum *aperto lancea latere exivit sanguis, & aqua.* Ioan. 19. Quod indicat Cyprianus serm. de passione prope finem, ubi *De latere*, inquit, *tuo fons egreditur in vitam æternam profiliens.* Et infra. *Ex hoc fonte compunctionis, & lachrymarum perennes effluunt rivi.* Quasi omnes nostræ lachrymæ, rivi sint deducti ex illo lachrymarum fonte, qui ex Christi latere profilivit. Per martyrium igitur pœnitentiæ, lachryma effunditur, quæ sanguis est cordis. Immo, ut dictum est ex Nysseno, *tanquam sanguis est animi*: dum martyres effundunt sanguinem corporis. Funditur autem *sanguis animi* per oculos: quia, ut notat Plinius l. 11. cap. 37. *maximè in oculis inhabitat animus. Cum nulla ex parte maiora animi indicia cunctis animalibus: sed homini maximè, clementiæ, misericordiæ, odij, amoris, tristitiæ, lætitiæ.* In hoc igitur compunctionis martyrio dolor, vulnus, & sanguis animi præfertur quodammodò dolori, vulneri, & sanguini corporis. Præterea nobilitas martyrij mensurari etiam solet à nobilitate tyranni. In hoc autem lachrymarum martyrio tyrannus est Dei amor, quem offensum dolemus. Ideo amorem *dulcem tyrannum* appellat Nazian. or. 28. Carnifex autem animam crucians est Dei sanctus timor. Ideo Augustin. hom. 50. de util. pœnit. *Adsit*, inquit, *carnifex timor: inde animæ confitentis sanguis profluant lachrymæ.*

Martyres acquisierũt palmam per lachrymas. *August. Basilius. Nyssenus.*

Lachrymæ sanguis animi. *Cyprian.*

Lachrymarum fons in corde. *S. Laurent. Novarien.*

LXXIV. Christi vulnus in latere aquam in lachrymarum fontẽ profudit. *Ioan. 19. Cyprian. Nyssenus.*

Oculi sedes animi. *Plinius.*

LXXV. Amor dulcis tyrannus. *Nazianz. August.*

Decimò

Decimò lachrymæ prædestinationis signa sunt, quia gaudium Angelis pariunt. Ita Lucæ 15. *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Quod expendens Bernard. serm. 30. in Cant. Appellat lachrymas *vinum Angelorum. Gaudent*, inquit, *Angeli in conversione, & pœnitentia peccatorum salutem hominum sitientes. Lachrymæ pœnitentium, vinum eorum sunt: quod in illis vitæ sit odor, sapor gratiæ, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas, sanitas redeuntis innocentiæ, serenatæ suavitas conscientiæ.* Idem serm. 68. in cant. Lachrymas appellat Angelorum delicias. *Gaudent*, inquit, *Angeli ad pœnitentiam peccatoris. Quod si deliciæ Angelorum lachrymæ meæ, quid deliciæ?* Neque mirum, quod lachrymæ pœnitentium, sint Angelorum deliciæ: quando sunt deliciæ ipsiusmet Dei. Ideo dicitur Hierem. 31. ex persona Ephraim, *postquam convertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* Dicit autem mox de eo Deus. *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus:* sive ex Hebræo, *ipse mihi puer est deliciarum.* In quem locum Cornelius, *Vide*, inquit, *quid faciat pœnitentia, ut peccatores antea Deo exosi, postea ipsi sint in delitijs.* Hoc autem potissimùm efficiunt lachrymæ. Ideo dicitur Eccl. 35. de lachrymis. *A maxilla ascendunt usque ad cælum; & Dominus exauditor delectabitur in illis.* Ideo Anthiochus serm. 107. de compunctione, *Ante precationem*, inquit, *utere præsidio lachrymarum. Ipse enim Dominus noster summopere gaudet, dum orationem excipit, quàm lachrymæ comitantur.* Quia, ut ibidem addit, *rorulentæ aspergines lachrymarum, ut dulcor mellis sunt cordi, ut suave fragrans thymiama sunt Deo.* Hoc autem præcipuè verificatur de lachrymis ortis ex pœnitentia. Ideo dicitur Lucæ 15. *Gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis.* Quod expendens Chrysostomus serm. de Moyse, *Plus*, inquit, *Deus unius pœnitentia commovetur: quàm justorum merito delectatur.* Ideo hæ compunctionis lachrymæ Deum ipsum ad nos quasi pertrahunt. Quamobrem S. Ephrem sermon. de extr. jud. & compunct. *Compunctio*, inquit, *Spiritum Sanctum ad se invitat, ac pertrahit.* Immo, dum hæ lachrymæ videntur ad terram defluere, invisibiliter ascendunt ad cælum: & perpetuò in conspectu Dei asseruantur, juxta illud Psal. 55. *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Quod explicans Augustinus serm. 6. de Nativ. Domini. *Non cadit*, inquit, *ad terram lachryma nostra: quia verax est ille; qui dixit, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Idcirco Chrysostomus hom. 30. in Genes. docet lachrymas in conspectu Dei, & Angelorum apparere ut formosissimas margaritas. *Quidnam*, inquit, *oculis illis formosius perpetuo lachrymarum imbre, & quasi margaritarum decore ornatis?* Idcirco Magdalena, dum coram

Lucæ 15. *Bernard.* Lachrymæ gaudium Angelis pariunt.

Lachrymæ pœnitentiũ vinum Angelorum.

Lachrymæ deliciæ Angelorum.

Lachrymæ Deo sunt in deliciis. *Cornel.*

Eccles. 35.

Anthioch.

Lachrymæ mel cordi, thymiama Deo.

Lucæ 15. *Chrysost.* *S. Ephrem.* Lachrymæ Deum ad nos trahũt.

Lachrymæ dum in terram cadũt, ad cælum advolant. *Psal. 55.* *August.* *Chrysost.*

Lachrymæ in conspectu Dei margaritæ.

Christo fudit lachrymas, margaritas, quibus antea turpiter capillos ornaverat, formosiùs in oculis collocavit. Quamobrem Basilius hom. de lib. arb. tomo 1. Græcol. appellat *pretiosas Magdalenæ lachrymas instar Margaritarum è beatis illis oculis profluentes.* Ut mirum non sit sponsæ oculos commendari, ac laudari ex lachrymis, Cant. 7. *Oculi tui sicut piscina in Hesebon*, in quem locum Honorius, *Hesebon dicitur cingulum mœroris: & significatur Ecclesia, in qua est mœror pœnitentiæ*, Clariùs Ambrosius in Ps. 118. serm. 16. *Oculi tui sicut stagna in Hesebon. Oculus iste prævidet, quæ futura sunt: & Deum fletu, ac lachrymis emollire non desinit.* Lacrymæ igitur, per quas oculi pœnitentium ornantur, sunt in divino conspectu decoræ, gaudiumque Angelis, ac Deo afferunt. Contra horribiles sunt dæmonibus, quibus inferunt terrorem, ac pœnam. Ideo Petrus Cellensis lib. de pan. c. 12. *Satan*, inquit, *tolerabilius sustinet flammam suam, quàm lachrymam nostram: acriúsque contriti cordis lachryma, quàm flammæ infernalis torquetur incendio.* Ratio est in promptu; quia, sicut *super uno peccatore pœnitentiam agente, gaudium est in cœlo*; ita mœror in inferno.

LXXVI. Oculi sponsæ, laudantur ex lachrymis. *Honorius.* *Ambrosius.*

Lachrymæ pœnitentis incendium Satanæ. *Petr. Cell.*

Undecimò sunt lachrymæ prædestinationis signa, quia sunt Paradisus animæ in hac vita S. Ephrem or. de extrem. judic. & compunct. *Certò*, inquit, *scitote, fratres non fore in terra quid dulcius gratia lachrymarum. Si quis vestrum expertus lachrymarum dulcedinem, mediante oratione, desideraverit elevari è terris, totus hic extra corpus in cælum fertur: nec ampliùs eius conversatio invenitur in terris.* Chrysostomus præfert lachrymarum delicias terrestri Paradiso. Nam hom. 12. in epist. ad Coloss. *quemnam*, inquit, *fontem vis comparare cum lachrymis? eumne, qui est in Paradiso, & irrigat universam terram? sed nihil dicis æquale.* Rationem addit idem hom. 6. in Matth. quia, *sicut post vehementes imbres mundus aër, & purus efficitur: ita etiam lachrymarum pluvias sequitur tranquillitas, ac serenitas.* Hinc efficitur ut anima frui videatur deliciis cujusdam terrestris Paradisi. Idem in loco cit. ad Coloss. præferre videtur lachrymas etiam Paradiso cælesti. *Viderunt*, inquit, *illi oculi* (Pauli) *Paradisum: viderunt tertium cælum. Sed eos non tam censeo propter hoc spectaculum beatos, quàm propter lachrymas, per quas Christum viderunt.* Hæc de Paradiso, quem lachrymæ exhibent in hac vita prædestinationis pignus amplissimum.

Lachrymarum dulcedo. *S. Ephrem.*

Lachrymæ præferuntur terrestri Paradiso. *Chrysost.*

Pauli oculi beati ex lachrymis.

Duodecimò ducunt, & introducunt ad gloriam: & sic media sunt proxima ad prædestinationis finem, Psal. 125. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.* Ad quod alludens Basilius or. 4. de gratiarum act. *Lachryma*, inquit, *semen quoddam sunt, & fœnus: quibus æternum gaudium cumulatur, & crescit.* Sicut enim semen acceptum ex uno grano fruméti reddit centum grana cum fœnore:

Lachrymæ ducunt, & introducũt ad gloriã. *Psal.* 125.

LXXVII. Lachryma semen gloriæ. *Basilius.*

ita una lachryma reddit centum gaudia cum fœnore. Et sicut in semine spes est messis ; ita in lachryma spes est gloriæ : adeo ut illa dici possit Paradisus in semine. Et ideo appellatur à Basilio *semen aterni gaudij*, ut dictum est. Idem alia similitudine illustrant Patres, appellando lachrymas alas animæ, quibus ad cælum evehitur. S. Ephrem. serm. 3. de compunctione, *O lachrymarum*, inquit, *potentia : quæ, quasi præpetibus sublata pennis, in cælum revehis, atque ascendis.* Idem serm. de compunctione, & salute. *O lachrymarum*, inquit, *virtutem : qua ab inferis ad cælos usque reducis desiderantes te.* Chrysostomus l. 2. de compunct. *Compunctio*, inquit, *animæ alas innectit : & volare facit ad cœlum.* Neque hoc solùm : sed etiam, cum animam ad cælum usque subvexit, illi cœlum aperit. Ideo Chrysostomus hom. 3. de pœnit. *Pœnitentia*, inquit, *est lachrymarum impensa. Ipsa cælum aperit, & in paradisum ducit.* Laurentius Iustinianus l. de ligno vitæ cap. 9. *O lachryma*, inquit, *tua est potentia : tuum est regnum : tu cælum aperis.* Vnde fit, ut dici possit regni cælorum non aliam esse clavem, quàm argenteam lachrymarum. Ideo Hugo Cardinalis in ea verba Apocal. 3. *Qui habet clavem David, &c. Ecce dedi coram te ostium apertum*, &c. dicit hanc cæli clavem, esse pœnitentiam. *Qui vult*, inquit, *sine clave pœnitentiæ intrare in regnum cælorum, fur est, & latro.* Neque mirum, quod pœnitentiæ lachrymis datæ sint claves regni cælorum, sicut & Petro : quando *lachrymarum Passionis Christi vicariam* appellat Augustin. serm. 11. ad Fr. in Eremo : *& Petro creditas esse claves regni cælorum in gratiam lachrymarum* affirmat. S. Antiochus hom. 107. de compunct. Quod autem aditus ad regnum cælorum præcipuè pateat per lachrymas, colligere licet ex ipsismet portis, quas vidit Ioannes Apoc. 21. ubi *duodecim*, inquit, *portæ duodecim margaritæ sunt per singulas : & singulæ portæ erant ex singulis margaritis.* Per margaritas lachrymas significari vult Chrysostomus hom. 30. in Genes. ubi dicit *oculos esse lachrymarum imbre, quasi margaritarum decore ornatos* : & hom. 22. ad populum. Vbi, *respice*, inquit, *lectum Davidis : in quo tanquam margaritæ per singulas noctes Prophetæ lachrymæ congelabantur.* Quod facilè intelligitur ex ipso partu margaritarum nascentium ex rore cælesti : qui conchæ sinu receptus concrescit in gemmam. Ideo docet Plinius l. 9. c. 35. *partum concharum esse margaritas pro qualitate roris accepti.* Lachrymas autem ex divina inspiratione conceptas, ut cæli rorem agnoscit S. Ephrem serm. de pœnit. & Pat. & S. Antiochus hom. 107. de compunct. ubi appellat *lachrymarum aspergines rorulentas.* Quamobrem mirum non est appellari à Chrysostomo margaritas : cum ros hic in pupilla, veluti in parva quadam concha receptus, pœnitentiæ rigore conersetus, gelascere videatur in gemmam. Non vacat igitur mysterio,

Lachryma Paradisus in semine. *S. Ephrem.*

Lachrymæ alæ, quibus ad cælum ascenditur. *Chrysost.*

Lachryma clavis argēteaParadisi. *Hug. Card. Apocal. 3.*

Portæ Paradisi cur margaritæ. *August. S. Antioch.*

Apocal. 21.

Margaritæ lachrymarū symbola. *Chrysost.*

Margaritarum partus ex rore. *Plinius. S. Ephrem. Antiochus.*

Lachrymæ gelascunt in gemmas. *Chrysost.*

quod non alias regnum cælorum portas habere dicatur, quàm margaritas: cum *duodecim portæ sint duodecim margaritæ*: quia non aliunde patet ad gloriam aditus, quàm per lachrymas. Vnde colligitur potissimum prædestinationis signum esse lachrymas: quas qui habet, simul & claves habet, & portas regni cælorum. Ideo supra dictum est cum Chrysostomo hom. 3. de pœnit. *Lachrymas cælum aperire*; quia sunt claves: *& in paradisum ducere*; quia sunt portæ, per quas ad cælestem illam Hierosolymam ducimur. Signanter autem dicuntur esse *singulæ portæ ex singulis margaritis*: quia vel una contriti cordis lachryma satis est ad introducendum ad gloriam. Et ideo dictum est regi Ezechiæ 4.Reg.20. *vidi lachrymam tuam, & ecce sanavi te*. Et Lauren. Iustinian. loco cit. *O lachryma*, inquit, *tua est potentia: tuum est regnum.*

Lachrymæ cælum aperiunt, ut claves: ad gloriam introducũt ut portæ. 4.Reg.20. Laur.Iust.

Denique sine lachrymis intrari non posse in regnum cælorum, apertè colligitur ex Apocal.7. ubi cum loqueretur Ioannes de omnibus prædestinatis, & dixisset se *vidisse turbam magnam ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum, & in conspectu Agni*, subdit infra, *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Et rursus Apocal.21. cum de prædestinatis dixisset, *ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus*; statim subdit, *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Supponit igitur non aliorum oculos Dei visione fore beatos, quam eos, qui turgent lachrymis: lachrymas autem ipsas introducendas in cælum usque ad thronum Dei. Ideo S.Ephrem serm.de compunct. & salute, *ô virtutem*, inquit, *lachrymarum. Tu siquidem divino assistis throno cum gaudio.* Colligitur hinc etiam tanti pretii lachrymas esse in conspectu Dei, ut ipsemet eas, ne in terram decidant, suarum manuum quasi linteolo excipiat, *absterget Deus*, &c. Ideo Bernard. in declam. *Felices*, inquit, *lachrymæ, quas benigna manus conditoris absterget: Beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt.* Colligi etiam ex hoc videtur tantum esse in prædestinatis desiderium lachrymarum, ut vel in ipsa beatitudine lachrymas in promptu haberent, nisi Deus eas ex oculis abstergendo vetaret. Quod innuit Tertullianus de resurrect. carnis c.58. ubi *delebit* inquit, *Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: nempe ex iisdem oculis, qui priùs fleverant; quique adhuc flere potuissent, si non omnem lachrymæ nubem indulgentia divina siccaret.* Denique affirmat S.Ephrem loco cit. *peccatores effici beatos per lachrymas*: &, ut concludam cum Lauren. Iustinian. l. de ligno vitæ cit. *aqua hæc* (lachrymarum) *aut invenit, aut efficit Paradisum.*

Lachrymæ divino assistunt throno. S.Ephrem. Bernard. Lachrymas Dei manus abstergit. Tertull. S.Ephrem. Lachryma, aut invenit, aut efficit Paradisum.

LXXVIII. Prædestinationis signa

Ex his planè convincitur, pœnitentiam lachrymosam signum esse prædestinationis potissimum. Nam cum è statu conservatæ perpetuò baptismalis innocentiæ prædestinentur perpauci (qui ipsi neque de

hoc possunt esse certi : cum irrepere latenter potuerint peccata occulta, juxta illud Ps. 18. *ab occultis meis munda me.*) Supereſt ut potissima prædestinationis indicia reponi debeant in pœnitentia: quam passim docent Patres debere esse cum perpetuo peccatorum fletu conjunctam, ut ostensum est. Neque verò quis facilè potest opponere, sibi lachrymas in promptu non esse. Hoc enim ipsum conqueritur Ambrosius serm. 7. in Ps. 118. quod cui fuerunt in promptu peccata lachrymabilia, non sint in promptu lachrymæ. *Nescit*, inquit, *flere, qui flenda commisit : & cum sit ipse lachrymabilis, non habet pœnæ lachrymas suæ.* Ideo, ut infert Bernardus serm. de fallacia præsentis vitæ, *humanum cor lachrymas nesciens, non modò durum, sed & impurum esse necesse est.* Hoc convincit August. l. de pœnit. ex lachrymis, quæ fundi solent ob mala temporalia. *Sciat*, inquit, *se culpabiliter durum, qui deflet mortem amici, vel damna rei temporalis : & dolorem peccati non ostendit in lachrymis. Non est ergo, ut quis se excuset, non habere fontem lachrymarum, qui dolorem temporalem ostendit lachrymis.* Hoc ipsum lachrymarum donum, ut magnum prædestinationis signum à Deo enixè postulandum est precatione illa, quam adhibet idem Augustinus l. supput. par. 4. c. 2. ubi, *Da mihi, Domine*, inquit, *irriguum superius, & irriguum inferius : ut sint mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte.* Interim, qui ad peccata sua deflenda, non sine reprobationis indicio, experitur se durum, hoc ipsum deflere conetur, quod non flet : &, ut monet Climacus gradu 8. *Si non luget, propter hoc lugeat.*

potissimùm ex pœnitentia.

Peccator lachrymabilis non habet lachrymas.

August.

Peccator, si non luget propter hoc lugeat. *Climacus.*

Secunda conditio, quam requirit hæc satisfactio pro peccatis, ad hoc ut prædestinationis sit signum, est ut sit punitiva peccati. Ratio à priori est, quia per peccatum quis adhæresit creaturæ delectabiliter. Ergo per pœnitentiam debet recedere ab illa pœnaliter. Alioquin pœnitentiam non agit : cujus nomen ipsum sonat pœnam. Pœnitentia autem est medium necessarium ad finem prædestinationis. Et ideo dicitur Matth. 3. *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cælorum.* Hanc rationem insinuat Augustinus serm. 4. inter commun. ubi, *est*, inquit, *pœnitentia medicamentum vulneris, spes salutis, per quam Deus ad miserendum provocatur.* (Ecce prædestinationis signum, & medium) *sed pœnitentia à pœna nomen accepit : quia anima cruciatur, & caro mortificatur.*

Pœnitentia debet esse punitiva.

Matth. 3.

August.

LXXIX. Pœnitentiæ nomen à pœna.

Dividit Augustinus pœnalia pœnitentiæ in duo : in pœnam animæ, & in pœnam carnis. Pœna animæ, consistit in mœrore quodam : qui permanenter, & habitualiter debet perpetuò, post peccatum, comitari animam prædestinati. Ideo idem Augustinus ante lachrymas corporis requirit fletum cordis. *Dic*, inquit, *illi in fletu cordis. Aspice infelicem pietas immensa : respice crudelem misericordia publica : dele numerositatem criminum multitudo misericordiarum.* Hic mœ-

August.

Fletus cordis præcedat lachrymas corporis.

ror perpetuus ex peccatis commissis magnum est prædestinationis indicium : cum apparuerit fere semper in iis, quos scimus prædestinatos, ex pœnitentibus. Quorum Princeps David, ut notat Chrysostomus l.2. de compunct. cordis, post peccatum *ita erat in solio regali, tanquam esset vinctus in carcere. Iacebat in purpura, quasi in cilicio, cinere conspersus, & corde compunctus. Aula regalis erat ei tanquam eremi vastissima solitudo. Hæc omnia agebat in eo cordis compunctio, quæ facit animam horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lachrymas, risum effugere.* Non poterat meliùs forma præscribi prædestinatorum ex pœnitentibus : in quibus talis dolor remanet de peccatis commissis, ut dicere aliqui ex iis soleant, nullum sibi superesse de omni alio infortunio dolendi locum, quando totum dolorem sibi absorbent peccata.

Chrysost. Davidis mœror post peccatum.

Forma pœnitentium.

Alterum, in quo constituit Augustinus pœnitentiam peccati, est pœna corporis : cum dicat *per pœnitentiam animam cruciari, & carnem mortificari*, ut supra relatum est. Hoc ostendit pœnitentia Ninivitarum : qui *vestiti sunt sacco à majori usque ad minorem.* Ionæ 3. Quod expendens Chrysost. hom. de Iona, *ubique*, inquit, *saccus : ubique cinis, ubique lachryma : ubique gemitus. Nam & ipse Rex indutus cilicio, capiti cinerem imposuit. Et res admiratione digna gerebatur : cilicio purpuræ cedebat ambitio : & cinis diadematis obruebat ornatum.* Ex quibus fit, ut primus in electis veræ pœnitentiæ effectus esse soleat, abjectio pompæ vestium : cum apud antiquos quoque Romanos, Rei, cujuscumque essent nobilitatis, apparere solerent, ad provocandam misericordiam judicis, sordidati. Hoc specialiùs locum habet in mulieribus : in quibus superfluum ornatum, tanquam indicem pœnitentiæ fictæ, reprehendit Ambrosius l.2. de pœnit. cap. 9. ubi, *Videas*, inquit, *fœminas margaritis onerare aures ? curuare cervices : quas benè Christo, non auro inclinarent. Quæ se ipsas flere debebant, quia margaritam, quæ de Cælo est, perdiderunt.* Idcirco idem Ambrosius in epist. ad Virginem lapsam cap.8. *lugubris*, inquit, *tibi accipienda est vestis : & mens, ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Pallescat facies, quæ quondam virum impudicè. Totum corpus cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat : quia malè sibi de pulchritudine placuit.* Præstitit hoc, quamvis valde leviter in his peccasset, S. Paula. Quæ, ut refert Hieronymus in ejus epitaphio, admonentibus, ut aliquid de susceptæ severitate remitteret, respondere sic solebat. *Purganda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, & stibio sæpe depinxi. Affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis : longus risus perpetuo compensandus est fletu : serica pretiosa asperitate cilicij commutanda.* De Fabiola etiam, idem Hieronymus

Pœnitentiæ veræ signũ, mortificatio in vestibus.

Iona 3.

Ambrosius. Mulierum superfluus cultus reprehenditur.

Hieronym.

in ejus vita sic refert. *Faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat: oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat: sic dolebat* (de voluptatibus superfluis matrimonij) *quasi adulterium commisisset.* Ex quo apparet illud esse veræ pœnitentiæ signum, si tum in vestibus, tum in cæteris compensetur in pœna illud ipsum, quod fuit in culpa. Quod ad minimum requirit in pœnitentibus Paulus ad Rom. 6. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Rom.6.

Præstiterunt hoc egregiè duo prædestinatorum pœnitentium duces, David in veteri testamento, Magdalena in novo. Ille, quia oculis peccaverat, cum *vidit mulierem se lavantem.* 2. Reg. 11. oculis quoque pœnitentiam indixit, quod ipse profitetur Ps. 118. *exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.* Non enim dixit, quia non custodivi, sed quia ipsimet oculi *non custodierunt legem tuam*, illicito aspectu uxoris alienæ se lavantis. Idcirco David dicit se punire fletibus oculos; quia peccaverat per oculos: ut unde flammas hauserat, inde undas deduceret. Idque tanta vehementia, ut oculi ipsi descendere viderentur in lachrymas. Legunt enim septuaginta, *exitus aquarum descenderunt oculi mei*, eò quod, ut interpretatur Ambrosius serm. 17. in eum Ps. *ipsimet descenderunt oculi, Habet enim hoc vis summi doloris: ut cum lachrymis oculi ipsi videantur descendere.* Ad Davidis imitationem hortatur S. Laurentius Novarien. Episcop. hom. 1. de pœnit. eos quibus peccati occasio extitit oculus, *Cecidit*, inquit, *per oculum: contaminavit te aspectu suo? abluat te aqua sua. Induxit te in laqueum? eruat te de laqueo. Habet enim in se magnum lachrymarum auxilium. Dic illi; exue, quod implicasti. Tu me vulnerasti: tu me sana. Tu me polluisti: tu me purifica. Ablue, quod inquinasti: erige, quod elisisti: corripe, quod evertisti: absolue, quod per scandalum obligasti.* Hoc præstitit David, ut dictum est; qui punivit oculo culpam contractam per oculum: & in lecto *flevit singulis noctibus, quod una nocte peccaverat*, ut supra notatum est cum S. Ephrem serm. de jud. & compunct. Præstitit hoc Rahab meretrix; quæ, ut ex traditione Rabbinorum refert Lyranus in cap. 3. Iosue, ideo exploratores missos à Iosue *demisit per funem de fenestra, quia solita fuerat per funem excipere fornicarios, & emittere: ut sicut funis fuerat ei instrumentum peccati, sic ei fieret instrumentum salutis.*

David punivit in oculis, quod peccaverat per oculos. 2. Reg. 11. Psa. 118.

Ambros.

S. Laurent. Novarien.

Oculus fletu tergit, quod aspectu inquinaverat.

S. Ephrem.

Rahab instrumentū peccati cōvertit in instrumentū salutis.

Præstitit hoc idem exactiùs Magdalena; quæ omnia instrumenta iniquitatis convertit in instrumenta pœnitentiæ: præveniens exemplo dictum Apostoli, *sicut exhibuistis membra vestra*, &c. Nam, quia præcipuè oculis, capillis, osculis, & lascivo unguentorum usu

LXXXI. Magdalena instrumenta peccandi convertit in instrumenta pœnitentiæ.

peccaverat ; *lachrymis cœpit rigare pedes ejus : & capillis capitis sui tergebat : & osculabatur pedes ejus : & unguento ungebat* Lucæ 7.

Lucæ 7.

Gregor. Quod animadvertens Greg. hom. 13. in Evang. *Quod*, inquit, *sibi turpiter exhibuerat, jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat : sed hos jam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat : sed jam lachrymas capillis tergebat. Ore superba dixerat : sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia faciebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se reperit holocausta. Convertit ad numerum virtutum, numerum criminum : ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempsit in culpa.*

Cyprian. Cyprianus etiam, aut alius auctor hom. de ablut. pedum, de Magdalena loquens, *singula*, inquit, *suum præbuere ministerium. Cor contritum erupit in lachrymas : fides lavit : charitas unxit. De fonte cordis fletus hausit, quos protulit : de pœnitentiæ pyxide unguenta, quæ obtulit. Caput stravit pro suppedaneo : crinibus circumfusis pedes involuit, ac tersit. Nihil de se retinens, totam se tibi devovit : & tu affectum potiùs attendens, quàm factum, ungebas ungentem, abluebas lavantem, tergebas intrinsecùs pœnitentem.*

Magdalenę pœnitentia post ascensum Christi.

Hoc idem pœnitentiæ obsequium Magdalena Christo præstitit etiam post acceptam peccatorum remissionem. Nam, ut notat August. serm. 11. ad fratres in eremo, *Peccatrix illa Maria non solùm in domo Simonis, sed etiam post adventum Spiritus Sancti, semper dolebat : semper peccata, quæ commiserat, flebat.* Quomodo jam id præstiterit, apparet ex spelunca prope Massiliam : ubi triginta annis sub quadam rupe horrida pœnitentiam egit. Quod ipsamet revelavit cuidam Sancto viro Eremitæ in eadem spelunca degenti, ut habetur in rosa aurea Sylvestri, & apud Lipom. in ejus vita.

August.

Petri Pœnitentia post trinam negationem.

Hoc idem videre est in Petro, qui post trinam negationem, durissimam pœnitentiam egit toto vitæ tempore, *pane solo cum olivis, & rarò oleribus usus* : ut habetur apud Clementem recognit. l. 7. sive, ut vult Nazianz. or. de paupert. amore, *lupinis asse minuto venditis famem pellens.* Quia verò Petrus peccaverat ter negando, compensavit culpam Christo sui amoris affectum ter declarando, ut habetur Ioan. 21. Quod advertens August. tract. 123. in Ioann. *redditur*, inquit, *negationi trinæ trina confessio : ne minùs amori lingua serviat, quàm timori.* Ideò curare solent electi, ut in eodem genere ad minimùm totidem actus virtutis eliciant, quot in eo genere peccaminosos patraverint.

Clemens. Rom.

Nazianz.

Ninivitarũ pœnitentia.

Denique ipsimet Ninivitæ pœnitentiam egerunt non solùm in sacco, & cinere ; sed etiam in jejunio : promulgato edicto, ut *homines, jumenta, & boves, & pecora non gustarent quidquam.* Ionæ 3. &c. ut qui peccaverant per crapulam, pœnitentiam agerent per jejunium. Quod expendens Chrysostomus serm. de Zona, *Ebrietas*, inquit,

Ionæ 3.

Chrysost.

inquit, *& luxuria stantem everterant civitatem : commotam ieiunium solidavit.*

Incredibilia sunt, quæ narrat Climacus gradu. 5. de iis, qui post lapsum, ultro, & spontaneè includebant se in eo loco, quem *carcerem pœnitentiæ* appellant. *Vidisses*, inquit, *in illis æstuantes linguas, instar canum, ex ore procedentes.* (Nempe ob intolerabilem sitim) *ex his alij sub ardentissimo solis æstu se cruciabant : alij contrà acerrimo frigore se affligebant. Nonnulli, cum panis exiguum quid accepissent, reliquum manu longiùs projiciebant, indignos se, qui rationali cibo uterentur, esse dicentes : quippe qui irrationabiliter egissent. Quem apud illos locum risus habere poterat ? quem otiosus sermo ? quem iracundia ? Vbi apud illos festivitas ? ubi confidentia ? ubi corporis obsequium, & cura ? ubi vel vestigium inanis gloriæ ? ubi deliciarum expectatio ? ubi exigua vini cogitatio ?* &c. quæ fusiùs ibi prosequitur. *Climacus.* Carcer pœnitentium.

Hi sunt fructus digni pœnitentiæ, requisiti ad pœnitentiam fructuosam ; quæ, ut talis est, prædestinationis est signum, juxta illud Lucæ 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quæ verba expendens Greg. hom. 20. in Evang. *Aliud est*, inquit, *fructum facere pœnitentiæ aliud dignum pœnitentiæ fructum facere. Vt enim secundùm dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est, quòd quisquis illicita nulla commisit, huic jurè conceditur ut licitis utatur : sicque pietatis opera faciat, ut tamen, quæ mundi sunt, non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus est ; tantò à se licita debet abscindere, quantò se meminit : & illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis esse debet ejus, qui minùs, & eius, qui magis deliquit : aut eius, qui in nullis, & eius, qui in quibusdam facinoribus cecidit ; & eius qui in multis lapsus est. Per hoc ergo, quod dicitur, facite fructus dignos pœnitentiæ, uniuscuiusque conscientia convenitur, ut tantò maiora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò graviora sibi intulit damna per culpam.* Explicat hoc idem pensiculatiùs Chrysostomus homil. 10. in Matth. ubi explicans hæc eadem verba, *facite fructus dignos pœnitentiæ. Fructificare*, inquit, *poterimus, si peccatis adversa faciamus. Aliena rapuisti ? incipe donare iam propria. Longo tempore es fornicatus ? legitimum quoque usum suspende coniugij : ac perpetuam continentiam sæpiùs paucorum dierum castitate medicare. Iniuriam vel opere cuiquam, vel sermone feciſti ? refer benedictionis verba convicijs : & percutientes te nunc officijs, nunc etiam beneficijs placare contende. Delicijs ante, & temulentia diffluebas ? ieiunio, & aquæ potu utrumque tempera, ut famem superes imminentem. Vidisti impudicis oculis alienum decorem ? fœminam iam omnino non videas, maiore tectus cautione post vulnera.* Hæc ibi Chrysost. qui

LXXXII. Pœnitentiæ fructus, qui sint. *Luc. 3. Gregor.*

Pœnitentis compensatio pro peccatis. *Chrysost.*

rationem etiam horum reddens, *neque enim*, inquit, *vulnerato sufficit ad salutem tantummodò spicula de corpore evellere: sed debet etiam remedia adhibere vulneribus.*

Hæc pœnitentia fructuosa, ponitur signum prædestinationis à Patribus, per opera supererogationis præservativa à futuris peccatis, & satisfactiva pro præteritis. Tum ut peccator cum Deo redeat in pristinam gratiam: & pœnam illam evadat diminutionis divinorum auxiliorum; quæ causa est reprobis spiritualis ruinæ. Tũ ut possit ea opera Deo exhibere in hora mortis in compensationem eorum peccatorum, quæ tunc diabolus è suo codice proferet. Ita legimus apud Climacum grad. 7. accidisse cuidam sancto Anachoretæ: qui singulis peccatis sibi à Diabolo objectis certas quasdam, quas pro iis egerat pœnitentias, opponebat, ut dicetur tractat. sequ. Quamobrem hoc est eorum proprium, qui prædestinati sunt per pœnitentiam, ut præter pœnas rite à Confessario injunctas, ipsimet sibi ipsis voluntarias pœnas imponant commissis peccatis congruas; puta pro peccatis sensualibus tot gestationes ciliciorum, aut tot verberationes, quas disciplinas appellant, aut similes mortificationes in tactu. Pro peccatis superbiæ tot osculationes humi, prostrationes, aut similia. Pro peccatis ortis ex avaritia tot eleemosynas; & sic de cæteris: ut possit in hora mortis exprobranti diabolo respondere cum Anachoreta illo, *feci: sed pro hoc tot annis jejunavi: feci, sed flevi, sed ministravi.*

Bernard. Ideo unusquisque post peccatum, ut monet Bernard. serm. de septem donis Spiritus Sancti, *indicet sibi jejunia: corpus castiget, & subjiciat servituti: quia non nisi in manu forti liberatio est.* Idem exactiùs

August. docet Augustinus in serm. de igne Purgatorij, ubi cum multa statuisset facienda pro minutis peccatis, *pro capitalibus*, inquit, *criminibus* (pro peccatis mortalibus) *non hoc solùm sufficit: sed addenda sunt lachrymæ, rugitus, & gemitus: continuata tempore longo, & protracta jejunia. Largiùs eleemosyna erogandæ: in luctu, & tristitia multo tempore permanentes*, &c. Et rationem reddit in l. de vera, & falsa

Pœnitentia est dolentis vindicta. pœnitentia; quia *pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod commisisse dolet.* Propter hoc etiam, sive opera bona, quæ fiunt: sive mala pœnæ, & tribulationes à Deo immissæ ordinari solent à prædestinatis per voluntariam susceptionem ad recompensanda peccata. Et quia hæc non sufficiunt, magnum est prædestinationis signum frequens, & devotus Indulgentiarum usus; ut quidquid satisfactionis ex parte nostra deest, per Christi sanguinem suppleatur. Et hæc de secunda conditione satisfactionis, ut scilicet sit punitiva peccati.

LXXXIII.

Indulgentiarum usus prædestinationis signum.

Pœnitentia in prædestinatis Tertia conditio satisfactionis, ut complet prædestinationis signum, est ut non solùm sit vitæ emendativa, de quo supra dictum est, sed etiam meliorativa. Ratio est, quia Deus permittit prædestinatis

peccata, ut eis proficiant ad bonum. Sed non ad bonum æquale illi, quod fuisset citra peccatum. Nulli enim usui deserviret permissio peccati, quod est malum maximum, si citra hanc permissionem haberi potuisset æquale bonum. Ergo permissio peccati in prædestinatis à Deo ordinatur, ut eis cedat ad majus bonum, & juxta Paulum ad Rom. 5. *ubi abundavit delictum, ibi superabundet & gratia.* Ergo post peccatum tunc inerit prædestinationis signum, cum lapsus peccati fuerit occasio proficiendi: & sic verificetur, quod prædestinatis etiam peccata cooperantur in bonum. Hæc est expressa doctrina Ambrosii l. de Apolog. Davidis c. 2. ubi; *Sancti*, inquit, *Domini* (hoc enim nomine appellari solent à Patribus prædestinati) *qui consummare pium certamen gestiunt, & currere cursum salutis, si cubi fortè, ut homines, corruerint, natura magis fragilitate, quàm peccandi libidine, acriùs ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina. Vt non solùm nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum: sed etiam velocitatis incentiva cumulasse.* Hoc satis patet ex iis, quæ diximus de fructibus pœnitentiæ post peccatum. Ex quorum additamento electi meliores redduntur, quàm fuerant ante peccatum: ut habeatur intentum Dei de permissione peccati in electis. Quamobrem Gregorius l. 1. in Evangel. hom. 20. *Idcirco*, inquit, *Deus electos nunc in quibusdam lapsibus cadere permisit, ut eis per lamenta pœnitentiæ cœlestem patriam aperiret.* Explicans autem, quæ hæc sint, subdit, *exerceamus ergo nosmetipsos in lamentis: extinguentes fletibus, & dignis pœnitentiæ fructibus culpas, quas fecimus.*

debet esse vitæ melioriativa.

Ambros.

Prædestinatis peccata cooperatur in bonum.

Gregor.

Hæc vitæ melioratio, & cursus quidam velocior ad salutem in electis resurgentibus à peccato, apparet exemplo Davidis, aliorumque, quos supra adduximus: potestque adumbrata quadam similitudine de iis dici, quod de Essenis narrat Solinus. Qui *venere se penitus abdicabant: pecuniam nesciebant: palmis victitabant.* De quibus idem referens Plinius l. 5. cap. 17. *gens*, inquit, *æterna est, in qua nemo nascitur: tam fœcunda illis aliorum vita pœnitentia est.* Similiter hanc non Essenorum, sed electorum gentem pœnitentia propagat: cùm multò plures electi sint per pœnitentiam, quàm per innocentiam.

Essenorum mores, & austeritas.

Solinus.

Plinius.

Claudam hoc prædestinationis signum, desumptum à pœnitentia fructuosa, laudibus, quibus pœnitentiam extollit Chrysostomus hom. 3. de Pœnitentia. *Pœnitentia*, inquit, *est delictorum medicina, iniquitatum consumptio, lachrymarum impensa fiducia ad Deum, adversùs Diabolum arma, gladius vim ejus præcidens, & caput amputans, salutis spes, desperationis occasus. Ipsa cœlum aperit: ipsa diabolum superat: ipsa ducit in Paradisum.* Ecce quàm apertè in ea reponit prædestinationis medium, & signum. Præterea sermone de pœniten.

Chrysost.

Pœnitentiæ encomia.

O pœnitentia, inquit, *quæ peccatum remittis; & paradisum reseras: quæ ægrum sanas hominem, & tristem exhilaras: vitam de interitu revocas: statum restauras: horrorem removes: fiduciam præbes: reformas vires: gratiam abundantiorem refundis. O pœnitentia, quid de te novi referam? omnia ligata tu soluis: omnia soluta tu reseras. Omnia adversa tu mitigas: omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas: omnia desperata tu animas. O pœnitentia rutilantior auro, splendidior sole: quam non vincit peccatum: non defectio superat: non desperatio delet. Pœnitentia respuit avaritiam: horret luxuriam: fugat furorem: firmat amorem: calcat superbiam: linguam continet: componit mores: odit malitiam: excludit invidiam.* Et infrà. *Hæc est perfecta, & fructifera pœnitudo.* (Ecce pœnitentiam fructuosam de qua hactenus loquuti sumus) *sic pœnitenti præsto est Deus, esurienti vescitor, sitienti potator. O pœnitentia misericordiæ mater, & magistra virtutum, reos resolvis, reficis delinquentes, lapsos relevas, recreas desperatos. Per te nobis Christus regnum cælorum appropinquare facit, dicens pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum, Ita & Baptista clamat, facite fructus dignos pœnitentiæ: quoniam ecce adest regnum Dei* (Ex hoc apparet prædestinationis finem promitti pœnitentiæ fructuosæ) *Per te subitò rapuit latronem Christus ad regnum. Per te David post flagitium felix, iterum recepit Spiritum Sanctum. Per te Manasses*, &c. quæ videre est ibi copiosissimè aureo illo flumine redundantia. Similia habet Aug. tomo 10. serm. 4. inter communes. Denique pœnitentiam singulare esse prædestinationis & medium, & signum, maximè apparet ex eo, quod Christus, prædestinatorum omnium caput, susceperit Baptismum Ioannis, qui appellabatur *baptismus pœnitentiæ*. Marc. 1. &, ut notat Ambrosius l. 2. in Lucam c. 3. *Christus lavacrum pœnitentiæ non refugit.* In quo satis ostendit, quid faciendum sit unicuique fidelium, qui post commissa peccata sperare non potest prædestinationis terminum, nisi per pœnitentiam. Vt igitur hoc in se signum prædestinationis apponat, debet unusquisque reliquum vitæ tempus non nisi pœnitentiæ tribuendo ita apud se statuere cum Tertulliano l. de pœnit. cap. ultimo, *peccator totius notæ sum; & nulli rei, nisi pœnitentiæ natus.*

Augusti.

Marci 1. Ambrosius.

Christus lavacrum pœnitentiæ non refugit.

Homo pœnitentiæ natus. *Tertull.*

CAPUT VI.

Tertium reprobationis signum, pœnitentia aut ficta, aut infructuosa.

QVoniam tertium prædestinationis signum probavimus esse pœnitentiam non quamcumque, sed veram, & fructuosam; ideo

Dico sextò. Tertium reprobationis signum est pœnitentia, sive ficta, sive infructuosa. De ficta id omnino patet, quia pœnitentia ficta idem est, ac impœnitentia vera. Sed hæc est reprobationis signum, ut c.4. ostensum est. Ergo, &c.

LXXXIV. Reprobationis signũ pœnitentia ficta.

Confirmatur primò, quia pœnitentia ficta addit supra impœnitentiam quamdam abusum pœnitentiæ, & quasi mutationem medicinæ in venenum. Quia, ut notat Ambrosius l.2. de pœnit. c.11. *In ipsa pœnitentia fit, quod postea indiget pœnitentia.* Quod non fit sine nova injuria Dei pœnitentiæ institutoris; quia videtur illum peccator illudere, exhibendo fictam pœnitentiam pro vera. Sicut cum quis emptor venditori offert nummum adulterinum pro vero. Quæ est animadversio Tertulliani lib.de pœnit.c.6.ubi, *si*, inquit, *qui vendit, priùs nummum, quo paciscitur, examinat, ne scalptus sit, ne rasus, ne adulter; etiam Dominum credimus pœnitentiæ probationem priùs inire, tantam nobis mercedem, perennis scilicet vitæ, concessurum.* Quasi dicat, Deus non vendit regnum Cælorum exhibenti in pœnitentia ficta pecuniam adulterinam.

Ambrosius. Pœnitentia ficta injuriam irrogat Deo. *Tertull.*

Pœnitentia ficta pecunia adulterina.

Confirmatur secundò, quia discrimen inter pœnitentiam reproborum, & pœnitentiam prædestinatorum apparet in pœnitentia Saülis, & Davidis. Vterque enim peccavit, uterque dixit, *peccavi.* Ille 1. Reg.15. hic 2. Reg. 12. & tamen unius pœnitentia Deo displicuit, quia ficta: alterius placuit, quia vera. Saüli dixit Samuel, *projecit te Dominus, ne sis Rex*: quod est dicere, transtulit Dominus regnum tuum. Davidi dixit Nathan, *transtulit Dominus peccatum tuum.* Quod discrimen animadvertens Augustinus l. 22. contra Faustum cap.67. *cur*, inquit, *Saül per Samuelem correptum, cum diceret etiam ipse, peccavi, non meruit audire, quod David, quod ei Dominus ignovisset? In simili voce, quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat, quod divinus oculus discernebat.* Ratio autem fuit, quia Saül non dixit, peccavi, ex vera pœnitentia peccati: sed ex humano timore, ne ejus existimatio minueretur apud subditos. Ideo Saül secreto iterum dixit, *peccavi: sed nunc honora me coram*

Davidis, & Saülis pœnitentiæ discrimen. 1. *Reg.*15. 2. *Reg.*12. *Augusti.*

LXXXV. Regnandi aviditas causa regni amittendi.

senioribus populi mei, & coram Israël. Sed hæc pœnitentia orta ex aviditate regnandi fuit causa, ut regnum amitteret. Ideo dictum est illi, *projecit te Dominus, ne sis Rex.* Contra verò David dixit, *peccavi*, non ex timore temporalis supplicii, sed ex intimo dolore peccati cum vero proposito non peccandi. Quod expendens Fulgentius l. 2. de remiss. peccat. c. 15. *Saül*, inquit, *peccatum suum confessus est; nec tamẽ indulgentiam consequutus: quia cor ejus non erat rectum cum Deo. Illa enim peccati confessio ex timore fuit supplicij, non ex horrore peccati. Non odit, quod fecerat: sed timuit, quod nolebat.* Et infra, *ecce Saül dixit, peccavi: David quoque dixit, peccavi. Cum ergo in confessione peccati utriusque una vox fuerit, cur non una est utrique concessa remissio? nisi quia in similitudine confessionis videbat Deus dissimilitudinem voluntatis. Vnus enim conversus peccandi protinus abjecit desiderium: & pœnitendo ipse suum punivit admissum* (ecce pœnitentiam veram prædestinatorum.) *Alter verò confessionem quidem sui peccati protulit: sed affectum peccandi, perverso cordis vitio, non abjecit.* Ecce pœnitentiam fictam reproborum, eorum præsertim, qui ad sacramentum pœnitentiæ accedunt non tam ut remissionem obtineant, quàm existimationem ne amittant: dicuntque, *peccavi*, eodem planè modo, quo Saül: qui fuit figura reproborum, ex Gregorio in l. 1. Reg. c. 5. Contra verò pœnitentia prædestinatorum est ex intimo dolore peccati, sicut pœnitentiam Davidis. Ideo Ambrosius serm. 17. in Psal. 118. *à sancto*, inquit, *viro plùs culpa defletur, quàm ærumna.*

Fulgent.

Saül figura reproborum.

Gregor.

Ambrosius.

Confirmatur tertiò ex pœnitentia Iudæ: qui visus est habere multas circumstantias pœnitentiæ veræ. Primò pœnitudinem facti: ideo dicitur Matth. 27. *pœnitentia ductus.* Secundo restitutionem pecuniæ malè acceptæ iis ipsis, à quibus acceperat: ideo sequitur: *retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum, & senioribus.* Tertiò confessionem peccati, *dicens peccavi.* Quartò explicationem malitiæ specificæ cum suis circumstantiis, *tradens sanguinem justum.* Et tamen hujus pœnitentiæ finis fuit laqueus, & damnatio: ideo sequitur: *projectis argenteis in templo recessit: & abiens, laqueo se suspendit.* Quia nimirum illa fuit pœnitentia ficta, non tam ex horrore peccati, quàm ex humano pudore. Et fuit pœnitentia sine spe veniæ: quæ spes requiritur ad pœnitentiam veram. Quamobrem Fulgentius ep. 7. de recta pœniten. c. 5. *Salubris*, inquit, *conversio est, si nec pœnitentia sperantem: nec spes deserat pœnitentem. Iudas, qui Christum tradidit, peccati sui pœnitentiam gessit; sed salutem perdidit: quia indulgentiam non speravit.* In pœnitentia autem falla Iudæ animadvertere licet quid illi occasio fuerit, ut dolorem verum non habuerit, cum spe veniæ: quia scilicet malos confessarios sortitus est, peccatum suum impiis illis sacerdotibus confessus, qui dixerunt, *quid*

Iudæ pœnitentia infructuosa.

Matth. 27.

Fulgentius.

Spes requisita ad pœnitentiam.

Confessarii mali electio reprobationis medium.

ad nos? tu videris. Nam si ad Christum ipsum, vel saltem ad Apostolos accessisset, verum illi dolorem, & spem veniæ ingessissent. LXXXVI. Quæ est animadversio Ambrosij l.2.de pœn. cap.5. *arbitror*, inquit, *quod etiam Iudas potuisset non excludi à venia, si pœnitentiam non apud Iudæos, sed apud Christum egisset.* Augustinus etiam l. de vera, & falsa pœniten. cap.11. *Iudas*, inquit, *ivit ad Pharisæos: reliquit Apostolos. Nihil invenit auxilij, sed desperationis augmentum.* Unde fit, ut sicut magnum est prædestinationis signum confessarios eligere probos,& doctos: ita par sit reprobationis signum nullam,aut paucam adhibere in hoc diligentiam: sicut, quod multò est peius, studiosè eos deligere,qui laxiores habentur neque aut valde idonei, aut valde pij. Signũ est enim animi non curantis verum pœnitentiæ effectum:ad quem non minùs conducit bonus confessarius, quàm ad valetudinem recuperandam bonus medicus.Sicut igitur fictè valetudinem optat,qui æquali pecunia medicum non deligit meliorem,ita, &c.Atque hæc de reprobationis indicio ducto ex pœnitentia ficta.

Ambros. *Augusti.*

Quod verò attinet ad pœnitentiam infructuosam, quod hæc quoque sit reprobationis indicium, probatur. Quia pœnitentia infructuosa æquiparatur fictæ.Sed illa est signum reprobationis,ut ostensum est. Ergo, &c. Major probatur ex Patribus non agnoscentibus veram pœnitentiam nisi eam, quæ est cum fructibus supra allatis pœnitentiæ:qui consistunt in præcavendis peccatis futuris,& deflendis præteritis.Ideo Augustin. l.Eccles.dogmat.c.4.*pœnitentia*, inquit, *est pœnitenda non admittere, & admissa deflere.* Idem serm.1.de pœn. & jejunio, *si veram pœnitentiam vis agere, jam peccata noli committere: sed ieiunijs,& orationibus defle.* Idem serm.de Nativit.Domini. *Multi*, inquit, *assiduè se dicunt peccatores: & tamen delectat eos peccare. Professio est, non emendatio: accusatur anima, non sanatur: pronunciatur offensa, sed non tollitur. Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati: & amor Dei.* Explicans autem in quo consistat hæc vera pœnitentia, subdit, *quando fit ut sibi amarum sapiat in anima, quod antea in vita fuerat dulce: ut quod te priùs delectabat in corpore, ipsum te cruciet in corde; iam tunc benè ingemiscis ad Deum.* Ambrosius l.2.de pœniten.cap.5. *Qui agit pœnitentiam non solùm diluere debet lacrymis peccatum suum, sed etiam emendationibus factis tegere, & operire delicta.* Gregorius hom.34. in Evangel. *Pœnitentia est præterita peccata plangere, & plangendo non iterum admittere.* Quod aliorum quoque Patrum testimoniis probatum est supra cap. præc. Ergo, ubi non adsunt hi pœnitentiæ fructus, non agnoscunt Patres veram pœnitentiam: & sic pœnitentia infructuosa æquiparatur fictæ, quod erat probandum. Unde sequitur, quod si post peccatum pœnitentia ficta est reprobationis signum, idem planè dicendum sit de pœnitentia infructuosa.

Pœnitentia infructuosa reprobationis signũ.

Fructus veræ pœnitẽtiæ qui sint.

Augustin.

Ambros.

Gregor.

Confirmatur, quia sicut prædestinationis finis promittitur non cuicumque pœnitenti, sed facienti fructus dignos pœnitentiæ. Lucæ cap. 3. ita reprobationis finem Christus minatur non facientibus hos fructus Matth. 3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Fructus autem sunt in duplici differentia. Vel enim sunt fructus innocentiæ: & hi competunt pauciſſimis, ut dictum est. Vel fructus pœnitentiæ: & hi competere possunt quamplurimis, & omnibus post peccatum. Ergo post peccatum signum est reprobationis, si pœnitens fit arbor infructuosa, non faciés fructus dignos pœnitentiæ. Quod significavit etiam Christus tum in parabola de ficulnea infructuosa. Lucæ 13. *Ecce tres anni sunt, ex quo veni quærens fructum in ficulnea hac, & non inveni. Succidam ergo illam: ut quid etiam terram occupat?* cum in alia ficulnea: ad quam Christus cum venisset, *nihil invenit nisi folia tantum, & ait illi, nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & aresacta est continuò ficulnea.* Matth. 21. Quæ sine dubio referuntur ad reprobos à Deo maledictos, & arefactos, ut nunquam ex iis nascantur fructus bonorum operum in æternum. Quia non invenit in eis *fructus dignos pœnitentiæ*, ex Luc. 3. *ostendens*, ut notat Augustin. l. de vera, & falsa pœnitentia cap. 2. *pœnitentiam non sterilem, sed dignè fructificantem.* Hanc qui non spontaneè, & fructuosè exercet in præsenti vita, signum reprobationis gerit, tanquam involuntariè, & infructuosè, eam passurus in altera. Quippe, ut notat Anselmus in cap. 1. ad Cor. 12. *peccata sive parva, sive magna, impunita esse non possunt; quia aut Deo iudicante plectuntur, aut homine puniente.* Ideò, nè Deus ea puniat in æternum, hic ab homine temporaliter punienda. Sicut igitur pœnitentia fructuosa in hac vita signum prædestinationis est, & pignus beatitudinis consequendæ in altera: ita impœnitentia, aut illi æquivalens pœnitentia infructuosa in hac vita, signum reprobationis est, & pœnitentiæ infructuosæ in altera; quando erunt reprobi *pœnitentiam agentes, & præangustia spiritus gementes.* Sap. 5. quia scilicet, ut notat Augustinus enar. in Psal. 27. *ab ijs non evaditur pœnitentia: sed sempiterna erit pœnitentia, & nulla salus post pœnitentiam.*

Luca 3. Matth. 3. Fructus, vel innocétiæ, vel pœnitentiæ.

Luca 13. Ficulnea infructuosa quid significet.

Matth. 21.

Luca 3. Augustin.

Peccatum nullum potest remanere impunitum. *Anselm.*

Pœnitentia damnatorum infructuosa. *Sap. 3. August.*

CAPUT VII.

Quartum prædestinationis signum, tribulatio.

LXXXVII. Prædestinationis

POst accepta priora signa à peccatis, quæ ad prædestinationis finem impedimenta, ad reprobationis finem sunt media: aliud

prædestinationis,

prædestinationis, & reprobationis signum eruimus ab iis, quæ vel à peccatis abducunt, vel ad eadem adducunt. Dico igitur septimò. Quartum prædestinationis signum est temporalis tribulatio. signum tribulatio.

Probatur primò è Scripturis. Primus locus est Ps. 72. ubi cum disseruisset de prosperitate reproborum, *zelavi super iniquos pacem peccatorum videns*, &c. subdit de tribulatione electorum, *lavi inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die.* Unde mox infert, *si dicebam narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.* Perinde ac diceret, si res ita se habet, ut tribulatio in hac vita esset signum tribulationis in alia: utique nationem filiorum tuorum reprobavi, idest compellar, ut dicam electos omnes esse reprobos. quia scilicet, ut explicat Hugo Cardinalis in hunc locum, *sancti nullas hîc prosperitates sequuntur, omnes molestias amplectuntur.* *Psa. 72.*

Secundus locus est Matth. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, & Lucæ 6. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Signum igitur consolationis, & risus futuri, est luctus & fletus præsens. Ideo Chrysostomus hom. 66. ad populum Ant. *Tristemur*, inquit, *tristitia gaudij genitrice: non gaudeamus latitia tristitiæ parente. Lachrymas fundamus multam seminantes voluptatem: neque risu gaudeamus nobis stridorem dentium pariente. Affligamur tribulatione, ex qua remissio nascitur: non quæramus delicias, ex quibus tribulatio paritur.*

Tertius locus est Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Unde infertur iis, qui tribulationes non patiuntur, claudi aditum ad regnum Dei. Quæ est illatio Hieronymi epist. ad Ocean. de ferendis opprob. Ubi, *si*, inquit, *per multas tribulationes quibusdam aperitur aditus ad regnum Dei: illis utique clauditur, qui nolunt sustinere vel paucas.* Quod si *oportet in regnum Dei introire per tribulationes*, hæ utique erunt portæ: & sic, qui sunt in tribulationibus, signum habent prædestinationis potissimum, & introitus ad regnum Dei, quia jam constituti sunt in porta. Ideo Ioannes Abbas, ut refert in vitis Patrum lib. 3. num. 84. auctore Ruffino, *Hæc est*, inquit, *Dei porta, per quam patres nostri, per multas tribulationes, & injurias, gaudentes ingressi sunt in civitatem Dei.* Unde fit, ut non sine mysterio dicantur Apocal. 21. Civitatis cælestis *singulæ portæ, singulæ margaritæ.* Non solùm quia margaritæ symbola sunt lachrymarum, ut cum Chrysostomo ostendimus cap. 5. num. 87. sed etiam quia, ut notat Cornelius in eum locum, *singularis gratia est margaritæ, clara luce illustratam intus rubescere, ac veluti animam habere sanguineam.* Ut ex hoc ipso ostendatur ad regnum Dei non patere aditum, nisi per ærumnas, per lachrymas, per sanguinem, juxta id, quod supra dicebat Ioannes Abbas, *Hæc est porta. Per multas tribulationes*, &c. Neque mirum cælestis Hiero- *Act. 14.* *Hieronym.* tribulationes portæ per quas intratur ad cælum. *Ruffinus.* *Apoc. 21.* Paradisi portæ cur margaritæ. *Chrysost.* *Cornel.* Margaritæ intus rubescunt. Cælestis patria tota sanguinea.

solymæ portas esse sanguineas : cum ipsamet civitas tota præferat sanguinem. Quippe ejus, ut ibidem dicitur, *fundamentum primum iaspidis : & structura muri eius ex lapide iaspide.* Iaspis autem, ut alibi notavimus cum Hieronymo in Isaiæ 54. *est quasi mixto cruore subrutilans.* Pulchrè autem dicuntur cæli portæ margaritæ ; quæ, ut dictum est, *intùs rubescunt, ac veluti animam habent sanguineam:* quia regulariter non intrat adultus in regnum Dei, nisi qui vel martyr est corpore, multa sustinendo pro Christo: vel saltem martyr est corde, tribulationes optando, cum præparatione animi ad effundendum sanguinem pro Christo. Ideo Chrysostomus hom. 67. ad popul. *sanguine*, inquit, *plenam decet esse Christiani vitam: non alienum effundendo, sed ad effundendum suum se paratum præstando. Tanta ergo promptitudine proprium effundamus cruorem, cum pro Christo sit hoc agendum, quanta quis aquam effunderet : nam sanguis aqua est, corpus irrigans.* Hæc animi præparatio ad tribulationes perferendas, & sanguinem pro Christo, si oportuerit; effundendum, necessaria est in adulto ad gloriam. Et hoc est cæli *portas margaritas intùs rubescere, ac veluti animam habere sanguineam.* Cum igitur habeamus ex loco allato Act. 14. *oportere per multas tribulationes intrare in regnum Dei :* signum profectò habet quod mox futurus sit civis cæli, qui jam est in limine. Neque illi clavis deest : nam ipsamet tribulatio sive porta, sive clavis est cœli. Ut enim ait Chrysostomus hom. in Evang. Lucæ de divite, quæ habetur tom. 2. *Crux Christi, clavis est paradisi : crux Christi aperit paradisum.*

Paradisum non ingreditur nisi martyr, vel effectu, vel affectu.

Christiani vita dicitur plena sanguine.

LXXXVIII. Crux Christi clavis est Paradisi. *Chrysost.*

Quartus locus est ad Hebr. 12. *Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Ergo castigatio per tribulationes, signum est dilectionis ex parte Dei: & flagellatio signum est filiationis, ex parte nostra. *Quod si filij ; & hæredes,* ad Rom. 8. De hac autem flagellatione paterna Augustinus enarrat. in Ps. 62. *subtrahit*, inquit, *Deus nobis quæ necessaria sunt, & atterit nos : ut sciamus quia pater, & Dominus est, non solùm blandiens, sed & flagellans. Præparat enim nos cuidam hæreditati incorruptibili, & magnæ.* Ecce signum prædestinationis in tribulatione. Subdit infrà, *si erudis filium tuum, & flagellas ad disciplinam ; corrigis ne perdat nihil tuum, quod & ipse hic dimissurus est, sicut tu. Non vis ut nos erudiat pater noster in flagellis necessitatum, aut tribulationum ; qui nobis talem hæreditatem daturus est, quæ transire non possit ?*

Probatur idem secundò ex Patribus: quorum testimonia, quia partim modò supra attulimus, partim rationibus interserentur infra; unum hoc loco satis erit testimonium Gregorij, expressè hoc discrimen constituentis inter electos, & reprobos l. x. mor. cap. 17. in ea verba Iob, *lampas contempta*, &c. *Sæpe*, inquit, *contingit, ut electus quisque qui ad æternam felicitatem ducitur, continua hic adversitate*

Gregorius.

ed primatur. Non hunc rerum abundantia fulciat : non dignitatum gloria honorabilem ostendat : nulla ei obsequium frequentia suppetat : nullum hunc humanis oculis vestium pompa componat. A cunctis verò despicabilis cernitur : atque hujus mundi gloria indignus existimatur. Nihil clarius de adversitatibus, quæ contingunt ut plurimùm electis.

Probatur idem tertiò ratione. Prima ratio. Per tribulationes conformamur Christo, per prosperitates difformamur. Ergo per tribulationes habetur signum prædestinationis, per prosperitates reprobationis. Antecedens probatur, quia Christus ab infantia ad ultimum usque vitæ diem ætatem traduxit in ærumnis. Idcirco cum dixisset Isaias cap. 9. *Parvulus datus est nobis : & filius natus est nobis*, statim subdit, *& factus est principatus super humerum ejus.* Quod Tertullianus l. contra Iudæ. cap. 11. & alii interpretantur de cruce. Quia scilicet vix natus, ab ipsamet infantia crucem portavit, totaque Christi vita crux fuit. Consequentia probatur, quia Christus est causa idealis prædestinatorum, quos *prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui*, ad Rom. 8. Ergo signum, quod quis futurus sit conformis Christo glorificato, in hoc maximè situm est, quod sit conformis Christo crucifixo. Et sic ibidem Apostolus, *si compatimur, ut & conglorificemur.* Quamobrem Hieronymus epist. ad Heliod. *delicatus*, inquit, *es miles, si vis gaudere cum seculo: & postea regnare cum Christo.* Non decet autem, ut circumfertur ex Bernardo, *sub capite spinoso membra esse delicata.* Nam, ut ipse addit serm. 1. in cap. jejunii, *quidni caput suum membra sequuntur? An respuere tristem volumus, & communicare jucundis? si ita est, indignos nos capitis hujus participatione probamus.*

Tribulatio conformat Christo, prosperitas difformat.

Isaiæ 9.

Tertull.

Rom. 8.

Hieronym.

Bernard.

Confirmatur primò, quia ex Lucæ 24. *oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*, id est illi debitam alio titulo, eo quod esset *Dominus gloriæ*, ex 1. Cor. 2. Ergo multò magis oportet pati Christianum, ut intret in gloriam alienam, & sibi nullo alio titulo debitam.

Luca 24.

1. Cor. 2.

Confirmatur secundò ex Matth. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ergo, qui non *abnegat semetipsum, & tollit crucem*, non vult ire post Christum. Ergo signum est, quod non sit è prædestinatis; quorum dux, & caput est Christus. Ideo de reprobis dicit Matth. 10. *qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Idcirco etiam Ezech. 9. Prædestinati dicuntur signati tau. *Signa tau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus*, &c. Quia tau apud Hebræos signum crucis notabat, ut testatur Hieronymus, & Origenes in hunc locum, Tertullianus l. contra Iudæos, Ambrosius l. 1. de Abraham, Augustinus in dial. alterc. Eccl.

Matth. 16.

Matth. 10.

Ezech. 9.

Prædestinati signati Tau, id est cruce.

Hieronym. Origen. Tertull. Ambrosius. August.

LXXXIX Crux veluti tessera salvandorum. *Gretserus. Asconius.*

& Synagog. & alii. Quamobrem Sirii codices legunt, *signa crucem super frontes virorum gementium*, &c. Quia scilicet crux, per quam quælibet tribulatio adumbratur, signum est, & velut tessera salvandorum. Ideo signum Tau ab Ægyptiis Serapidis pectori inscribebatur, tanquam signum futuræ vitæ, ut probat Gretserus l. 1. de cruce c. 51. immo, ut testatur Asconius Pedianus, Iudices apud Græcos ad damnandum adhibebant litteram Theta, ad liberandum Tau. Denique electi Apocal. 7. Tau signantur in frontibus. *Nolite nocere terræ, & mari, quousque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Et infra. *Audivi numerum signatorum*, &c. quo loco interpretes volunt significari signatos fuisse electos signo Tau: adeo ut aliqui existiment, ut refert Alfonsus Salmeron in c. 24. Matth. Beatos omnes in cælo insigniendos esse in frontibus signo crucis, quasi trophæo. Vt quando Christus in cælo habet speciem crucifixi, juxta illud Apocal. 5. *vidi in medio throni Agnum stantem tanquam occisum*: electis, qui portarunt crucem post Christum, non desit in cælo species crucis. Quare signatis subditur, *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine Agni.* Vt significetur ab electis eò deveniri per participationem crucis Christi, per tribulationes, & sanguinem. Ideo etiam signum liberationis Hebræorum à servitute Ægypti, fuit *sanguis agni positus in superliminaribus domorum.* Exod. 12. qui agnus, ut testatur Iustinus in dial. cum Tryphone, *dum assabatur, speciem crucis præferebat.* Vt eo facto adumbraretur non haberi signum liberationis, & salutis, nisi per participationem crucis, & sanguinis. Vnde fit, ut Cornelius, & interpretes alii velint electos signandos esse in frontibus non solùm cruce, sed etiam sanguine: sicut superliminaria domorum in liberatione ab Ægypto. Vt vel ex hoc præferatur non habere electos aliud signum liberationis, & salutis, quàm ærumnas, crucem & sanguinem. Quod non intelligitur solùm per communicationem virtutis, quæ tota ex cruce Christi; sed etiam per participationem imitationis. Ideo unicuique dicitur, ut *tollat crucem suam.* Matth. 16. ut crux uniuscujusque socia sit crucis Christi. Et 1. Petri 2. dicitur, *Christus passus est pro nobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* In quo apertè ostenditur, si electi esse volumus per Christum, imitandum nobis esse Christum, non quomodocumque, sed in passione. Atque hoc fortasse fuit in causa, ut Christus ascensurus de Monte Oliveti ad Cælum, & impressurus ibi pedum vestigia, unde ad gloriam primus prædestinatorum assurgeret; idem Oliveti solum priùs largo sanguine aspergeret: quando oranti in Monte Oliveti, *factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*, Lucæ 22. quo nimirum ostenderet prædestinatis eum ad cælum sequentibus necesse esse ad gloriam per ejus ascendere vestigia, sed cruenta,

Crux signũ vitæ. *Asconius, Apocal. 7.*

Salmeron.

Beati in cælo insigniti signo crucis in frontibus. *Apocal. 5.*

Christus in cœlo exhibet speciem crucifixi.

Sanguis agni liberationis signum. *Exod. 12.* *Iustinus.*

Agnus Paschalis præferebat speciem crucifixi.

Matth. 16. *1. Petri 2.*

XC. Sudor sanguinis, & ascensio in cælum cur in Oliveto. *Lucæ 22.*

sed sanguinea, sed pœnas, ac dolores olentia. Vt mirum non sit quod ad civitatem illam, cujus portæ, ac muri rubescunt sanguine, ut supra ostensum est, via quoque sit ipsa sanguinea. Vnde concluditur tribulationes maximum esse signum prædestinationis ad gloriam: quia per eas electi, Christi prædestinatorum ducis passionem & crucem imitantur, non nisi per sanguinea vestigia ducentis ad gloriam. Via ad cælum sanguinea.

Secunda ratio. Tribulatio removet impedimenta ad salutem. Ergo effectus est prædestinationis ad salutem. Ergo & signum. Vltima consequentia patet, quia omnis effectus est signum suæ causæ: sicut fumus effectus est, & signum ignis. Prima consequentia patet. quia prædestinationis est coordinare media ad salutem, & sic etiam removere impedimenta, ex probatis tomo 2. l. 3. q. 2. Antecedens probatur, quia impeditiva salutis alia non sunt, quàm peccata, ut notatum est cap. 1. Hæc autem per tribulationes removentur. Et hujus ratio est, quia peccatum committitur per cæcitatem in intellectu, & pravum affectum in voluntate, juxta id quod dicitur Psal. 68. *Obscurentur oculi ne videant: & dorsum eorum semper incurva.*

Primò per tribulationes removetur cæcitas ab intellectu. Ideo dicitur, *vexatio det intellectum auditui.* Isai. 28. & *Virga in dorso ejus, qui indiget corde.* Proverb. 10. Hæc virga appellatur oculata Hierem. 1. *Quid vides Hieremia? Virgam vigilantem ego video:* sive, ut alii apud Viegam in Apocal. cap. 15. com. 1. sect. 1. *Virgam oculatam ego video.* Quia scilicet hæc virga, dum flagellat, oculos imprimit; efficiens ut homo correptus à Deo videat ea mala peccati, quæ antea non videbat. Idcirco eadem virga appellatur ibidem ab Hieremia *virga vigilans*, nempe causaliter, idest vigilare faciens. Quia virga tribulationis sæpissime excitat à lethali somno peccati; redditque hominem in suis actionibus vigilantem. Quò facit lectio Theodotionis, *virgam amygdalinam ego video.* Quippe de amygdala loquens Procopius in cap. 10. Isaiæ, *virga*, inquit, *hæc somnum summovere creditur.* Et ideo pro eodem habetur virga amygdalina, & virga vigilans; quia illa vigilantiam parit. Porro animadvertendum est florere amygdalas primo vere. Nempe, ut observat Plinius l. 16. cap. 25. *Floret prima omnium amygdala mense Ianuario.* Quapropter non sine mysterio virga tribulationis non cuicunque virgæ assimilatur, sed amygdalinæ. Quia, sicut hæc florens inter hyemalia frigora index est, & prænuncia proximè futuri veris: ita tribulatio inter asperitates ipsas, veluti hyeme efflorescens, signum, & index est futuri veris; nempe gloriæ per totam æternitatem vernantis. Hoc signum non habetur nisi in *virga amygdalina*, *virga vigilante*; quia tribulatio cæcitatem auferens peccati oculatum reddit intellectum, & vigilantem.

Isaiæ 28.

Viegas.

XCI.

Procopius.

Plinius.

Animadvertere hoc licet in Rege Antiocho: qui, cum post regales prosperitates, in morbum gravissimum, atque in ærumnas alias incidisset, *nunc*, inquit, *reminiscor malorum, quæ feci in Hierusalem, cognovi quia propterea invenerunt me mala ista.* lib. 1. Machab. cap. 6. Ecce oculum illi redditum à virga oculata. Licet hæc cognitio ex majori ejusdem culpa illi non profuerit ad salutem; quia progressa non est ad effectum voluntatis, de quo infra. Planiùs idem observare licet in Iob: qui tot flagellis attritus, Deo dixit, *Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te.* Ante tribulationes, vir alioqui cordatissimus, se Deum tantùm audivisse testatur; post tribulationes, etiam vidisse, *nunc oculus meus videt te*: quia scilicet hæc virga oculata oculos illi ad clariorem Dei cognitionem impresserat. Quod animadvertens Hugo Cardinalis in hunc locum. *Certior*, inquit, *cognitio visus, quàm auditus: & ideo Deum audivisse ante flagella, post flagella videre se dicit.* Atque ex his probatum remanet per tribulationes removeri impedimenta ad salutem, removendo cæcitatem ex parte intellectus.

Iob 42.

Hug. Card.

Quod autem tribulatio removeat etiam impedimenta ex parte voluntatis, removendo inordinatum affectum ad sensibilia, probatur à priori. Quia omnis inordinatus affectus ad sensibilia provenit ex bono delectabili: quod plerumque contrariatur honesto. Ergo omne id, quod removet delectabile, removet materiam talis affectus inordinati. Sed tribulatio removet delectabile, ut patet. Ideoque tribulatio à tribulis dicitur, quasi spinas interserat, ac tribulos rosis. Ergo, &c. Confirmatur exemplo infantium, quos dum nutrices ablactare decernunt, succos amaros circa papillas apponunt: ut ea amaritie deterriti dulcedinem lactis refugiant. Quippe eodem planè modo Deus, ut suos electos à mundi uberibus ablactet, pestiferam dulcedinem instillantibus, amara quædam admiscet, quibus ipsa iis terrena delectatio male sapiat. Ideo ambitiosis humiliationes permittit, juxta illud Psal. 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Sensui deditis morbos, ac molestias corporis: turpi amori mancipatis zelotypias, perturbationes, amaritudines, juxta illud Oseæ 2. *sepiam vias tuas spinis*, &c. ut mens, quæ pestifera dulcedine sensibilibus adhærebat, salutifera amaritudine ab iisdem aversa convertatur ad Deum. Ideo dicitur Psal. 49. *tribulationem, & dolorem inveni*; quia scilicet tribulatio tanquam medicina quædam amara, sed utilis, non refugienda est; sed quærenda, & invenienda. Quod animadvertens Augustinus in Psal. 49. in hæc eadem verba, *tribulationem, & dolorem inveni. Invenit*, inquit, *tribulationem tanquam aliquid utile. Putruerat tabe peccatorum suorum: invenit tribulationem tanquam ustionem, & sectionem.*

Psal. 49.

August.

In hoc autem obiter nota, quod aliquæ tribulationes inveniunt

nos, aliæ inveniuntur à nobis. De prioribus loquitur Propheta cum dicit Psal. 118. *Tribulatio, & angustia invenerunt me.* De posterioribus loquitur dum dicit Psal. 114. citato *tribulationem, & dolorem inveni.* Quippe aliquæ tribulationes adveniunt ab extrinseco, ut sunt persecutiones, calumniæ, jactura bonorum, miseria paupertatis, obitus charorum, morbi, & similia: & de his dicitur, *tribulatio, & angustia invenerunt me:* quia scilicet hæ tribulationes non quæruntur à nobis: sed contingunt nobis potiùs refugientibus, & invitis. Aliæ verò tribulationes sponte quæruntur ab electis, ut sunt voluntaria paupertas, castigatio corporis per jejunia, cilicia, flagella, & de his sponte quæsitis dicit Propheta, *tribulationem, & dolorem inveni.* Tam verò tribulationes necessariæ, quam voluntariæ, signa sunt prædestinationis ad gloriam. Quia tribulationes voluntariæ adhibentur ab electis tum ad majorem conformitatem cum Christo, de qua supra: tum etiam ad segetem patientiæ. Quippe *tribulatio patientiam operatur, patientia probationem: probatio verò spem: spes autem non confundit.* Tribulationes verò necessariæ immittuntur à Deo, tanquam medicamenta à cæleſti medico appoſita ad ſanandos vitiorum morbos, & inducendam ſalutem. Ideo relictus eſt Paulo poſt converſionem *ſtimulus carnis, & Angelus Satanæ, qui eum colaphizaret,* 2. Cor. 12. tanquam medicina ad curandas reliquias peccati, è cujus morbo recentiſſimè convaluerat. Quod adnotans Auguſtinus in Pſal. 21. *clamavit*, inquit, *Paulus ut referretur ab eo ſtimulus carnis, & non eſt exauditus: ut intelligeret homo medicum eſſe Deum, & tribulationem eſſe non pœnam ad damnationem, ſed medicamentum ad ſalutem. Sub medicamento poſitus ureris, ſecaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem; ſed audit ad ſanitatem.* Ex quo ulteriùs fit, ut proprium ſit electorum in his tribulationibus neceſſariis confugere quidem ad Deum orando, quemadmodum Chriſtus, *ſi poſſibile eſt, tranſeat ab ijs calix iſte:* ſed addendo etiam, *non mea, ſed tua voluntas fiat.* Ex qua oblatione tribulationes neceſſariæ, reddunturper acceptationem voluntariæ, quemadmodum æger ad ſectiones, uſtioneſque medici clamat: ſecari tamen ſe, & vri patitur, attendens bonum ſanitatis. Qui ſecus faciunt, bonum tribulationis ignorant: & ideo de iis, qui vehementiùs orant, quàm par eſt, ut à tribulationibus liberentur, dixit Paulus ad Rom. 8. *eos neſcire quid orent, ſicut oportet.* Quod explicans Auguſtinus epiſt. 121. *cur* inquit, *putamus hoc eum* (Apoſtolum) *dixiſſe, niſi quia moleſtiæ, tribulationeſque temporales plerumque proſunt vel ad ſanandum tumorem ſuperbiæ, vel ad probandam, exercendamque patientiam, vel ad quæcunque flagellanda, & abolenda peccata? Tamen nos neſcientes quid iſta proſint, ab omni optamus tribulatione liberari.* Ex his omnibus colligitur tribulationes remedia eſſe, & medicamenta curativa

Pſal. 118.

XCII.

1. *Cor.* 12. *Auguſt.*

Rom. 8. *Auguſt.*

peccati impedientis salutem, atque adeo signa esse perspicua prædestinationis ad salutem.

Tertia ratio. Tribulationes satisfactoriæ sunt pro pœna debita peccatis. Ergo signa sunt pœnæ in hac vita luendæ, non in altera. Ergo signa sunt futuræ retributionis præmij; & sic, prædestinationis ad salutem.

Antecedens probatur, quia pœnæ, aut voluntariè acceptæ, aut saltem patienter toleratæ aliquo modo resarciunt jus divinum læsum: ut patet in pœnis Purgatorij, quæ etiam sine libera acceptatione sunt suo modo satisfactoriæ. Ideo tribulationes etiam hujus vitæ comparantur igni purganti aurum. Eccles.2. *in igne probatur aurum, & argentum: homines verò receptabiles in camino humiliationis.* Aurum autem, dum in fornace flammescit, signum est quod postea futurum sit ornamentum lucens in torque, ac monili. Quod expendens August. in Psal.61. *nunquid*, inquit, *lucet aurum in fornace aurificis? in monili lucebit: in ornamento lucebit. Patiatur tamen fornacem, ut purgatum à sordibus veniat ad lucem. Fornax mundus, aurum iusti, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult aurifex facio: iubeor ego tolerare, novit ille purgare.* Tribulatio igitur habet vim purgativam eluendo debitum pœnæ relictum à peccato. Quoniam verò ex communi axiomate, *Deus non punit bis in idipsum*, idest quod idem peccatum punire non solet in hac vita, & in altera: ideo pœna in hac vita signum est pœnæ non eluendæ in altera; & sic signum est prædestinationis ad præmium: quia in altera vita, aut pœna retribuetur, aut præmium.

Psal.98. Illustratur hoc è Scripturis. Psal.98. *Deus tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Ergo conjunguntur, Deum esse alicui propitium, & ulcisci omnia ejus peccata: quia scilicet maxima propitiatio est, ultio delictorum in hac vita; in qua modica satisfactio eluit multa, graviaque peccata. Quod maximè declaratur ex iis, quæ accidere solent in humanis. Nam, si reus aliquis sit constrictus in carcere intra manus, potestatemque Principis, delictum capitale luit capite. Si verò extra carcerem; per sylvas vagatur liber, & campos; tunc facilè delictum capitale minori pœna transigitur, injungendo illi servitium militiæ, aut quid simile. Idem planè cum peccatoribus accidit; qui dum post hanc vitam in manus judicis veniunt ab eo *traduntur tortoribus quousque reddant universum de-*
Matth.18. *bitum.* Matth.18. Dum verò per hujus vitæ veluti campos, & sylvas errabundi vagantur, ac liberi, facile cum iis debitum æternæ pœnæ transigitur, commutando eam in pœnam aliquam temporalem faciendam in hac vita. Unde fit, ut pœna in hac vita misericorditer irrogetur, ne incomparabiliter gravius infligatur in altera: & sic signum est probationis divinæ ulti Dei in hac vita juxta illud citatum

Davidis,

Davidis, *Deus propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Quod explanans Augustinus enarrat. in hunc Psalmum: *non solùm*, inquit, *donans peccata, sed etiam vindicans propitius fuit. Videte fratres mei, illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat. Nam cui verè propitius est, castigat peccata, ne semper peccare delectet.* Et infra. *Vindicabat non irascens, sed propitius. Ad hoc vindicabat, ut perficeret cœptum, non ut damnaret electum.* Idem insinuatur Isai. 54. ubi dicitur ex persona Dei, *in momento indignationis abscondi faciem meam, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Quia scilicet momentanea, & levis Dei indignatio in hac vita compensat æternam, & inæstimabiliter graviorem, quæ futura fuisset in altera. Quapropter electi tribulationes temporales libentissimè amplectuntur, tanquam pignora æternæ misericordiæ. *Quis enim*, ut notat Augustinus serm. 30. de Sanctis, *nolit ad horam uri Laurentij igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium?* Quod dicit Augustinus *ad horam*, dicit Isaias loco cita. *in momento*: quia tribulatio etiam per totam vitam durans brevissima est, & momentanea: cum totum vitæ tempus cum æternitate comparatum vix videatur pertingere ad momentum: Hæc tamen momentanea tribulatio omen est æternæ fœlicitatis: ideo dicitur loco citato, *in momento indignationis meæ abscondi faciem meam parumper à te: & in misericordia sempiterna miseratus sum tui*, quia, ut notat in hunc locum Hugo Cardinalis, *maior est misericordia reducentis, quàm punitio abjicientis*, immo illa punitio signum est hujus misericordiæ: cum *Deus*, ut dictum est, *non puniat bis in idipsum.* Quocirca hæc esse solet communis, & quotidiana precatio electorum, *hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.*

Isaiæ 54.

August.

Hugo Card.

Hoc idem indicasse videtur Spiritus Sanctus Genes. 1. ubi dicitur, *factum est vespere, & mane dies unus.* Dies naturalis incipit à tempore matutino, & desinit in vespertinum: quæritur ergo, ut notat l. 2. exam. cap. 10. Ambrosius, *cur priùs vespere, postea mane Scriptura memoraverit: cum vespere finis diei sit, & mane finis noctis.* Explanasse videtur hoc mysterium David Psal. 29. cum dixit *ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Nempe dies spiritualis à vespere incipit, & desinit in mane: quia à fletu incipit, & desinit in lætitiam. Contra verò mundanus dies à mane prosperitatum, & lætitiæ incipit; sed desinit in noctem mœroris, & luctus. Ideo dicitur Hierem. 17. *diem hominis non desideravi*, quem locum expendens Gregorius l. 4. mor. cap. 15. *dies*, inquit, *iste desinit in noctem: quia temporalis prosperitas ad tribulationis tenebras perducit.* Mane igitur prosperitatum desinit in æternam noctem: vespere verò tribulationum desinit in æternum mane: quia *ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Et ideo in electis fit *ves-*

XCIII.
Dies electorum incipit à vespere.
Genes. 1.
Ambros.
Psal. 29.

Dies reproborum incipit à mane prosperitatum.
Gregor.

pere, & mane dies unus: & potest dicere unusquisque eorum cum Iob 17. *rursus post tenebras spero lucem*

Iob 17. Tribulatio pugna.

Quarta ratio. Tribulationes patienter toleratæ fundant meritum. Ergo signa sunt prædestinationis ad præmium. Consequentia patet, quia merito respondet præmium. Antecedens probatur, quia tribulationes adversantur naturæ, cum tales sint, quia afflictivæ naturæ. Ergo exhibent pugnam naturæ. Ergo exhibent materiam victoriæ: cum victoria non sit sine pugna. Ergo fundant meritum in victore, & sic præmium victori debitum.

2. Tim. 2.

Confirmatur ex 2. ad Tim. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Ergo certamen, & causa; & signum est consequendæ coronæ. Idcirco Ambrosius l. 4. in Lucam cap. 4. *si quando*, inquit, *tentaris, cognosce quia paratur corona. Tolle martyrum certamina, tulisti coronas: tolle cruciatus, tulisti beatitudines.* Ideo conspectæ sunt à Ioanne in electorum manibus palmæ: *& palmæ in manibus eorum.* Apocal. 7. quia palma symbolum est victoriæ: eo quod, ut nota Hugo Cardinalis in Psal. 91. *habet folia similia gladio:* gladius autem instrumentum est ad victoriam. Ideo etiam dicitur Psal. 91. *justus ut palma florebit*, sive quia palma arcta, & aspera habet initia versus terram, latissima verò, & pulcherrima est, ubi desinit versus cælum: ut significetur electos arctam, & asperam ducere vitam multis coarctatam angustiis in terra: sed quæ terminabitur in latissimam, & pulcherrimam in cœlo. Quæ est observatio Augustini enarrat. in hunc Psalmum, ubi, *justus*, inquit, *ut palma florebit, Fortè hoc significavit in palma; quia eius aspera radix videtur in terra: pulchra coma sub cælo est. Erit ergo & tua pulchritudo in fine.* Sive quia palmæ hoc est proprium, ut non succumbat oneri; sed quò magis pondere premitur versus terram, eò altiùs assurgat in cælum, ut indicat Plin. l. 17. c. 24. Quod proprium est electorum; qui quò magis adversitatibus premuntur in terra, eò altiùs per charitatem assurgunt, usque ad sedem obtinendam in cælo. Quamobrem Gerson Parisiensis p. 2. serm. de omnibus sanctis, *mansuetus*, inquit, *animus, quantò majores erunt tribulationes, tantò erit excelsior*, nempe palma, quæ pressa magis attollitur. Observandum etiam est hic ab aliis legi, *justus florebit sicut Phœnix.* Quod de Pœnice ave intelligunt Tertullianus l. de resurrectione carnis c. 21. & Epiphanius in Physiologia c. 11. Hæc autem, ut iidem notant, è constructo sibi tumulo rediviva consurgit; aque inter flammas, cineresque renascitur, vitam trahens è funere. Quapropter dicitur à Propheta, *justus florebit sicut Phœnix*, quia electus quisque nonnisi inter tribulationes, veluti inter flammas, ac cineres, ad æternam vitam enascitur. Quod adnotans Tertullianus loco cit. *justus*, inquit, *florebit sicut Phœnix, quia Phœnix floret de morte, ac de funere.* Fateor in hoc specialiter designari mar-

XCIV.

Palmæ cur in manibus electorum.

Hug. Card. Psal. 91.

Palma latior versus cælum.

August.

Palma non cedit ponderi.

Plin.

Gerson.

Tertull.

Epiphan.

Phœnicis renovatio.

Tertull.

tyres,quæ æternam vitam hauriunt ex interitu.Tribulationes tamen patienter toleratæ vicem ſupplent Martyrii. Ideo Chryſoſtomus homilia de divite : *habet*, inquit, *pax,habet & ſanguis loca ſua. Habet paupertas martyrium ſuum : & egeſtas benè tolerata facit martyrem.* Et ideo unuſquiſque electus dicitur *florere ſicut Phœnix*, redivivus de funere : *florere ſicut palma*, celſior ex pondere : & de ſingulis dicitur, *palmæ in manibus eorum*, ad ſignificandam victoriam, palmamque martyrii, cum tribulatio *benè tolerata faciat martyrem*, ut dictum eſt ex Chryſoſtomo. Idcirco, ut infert Ambroſius l.4. in Lucam c.4. *tentationem nunquam timere debemus. Etenim cauſa victoria,materia triumphorum.* Quod ſi in triumphis,ut notat Valtrinus de re militari l.7.c.8. geſtabantur ante rhedam triumphantis ſimulacra Provinciarum, urbiumque victarum, in quibus ſubigendis Duces fortiſſimi deſudaverant : ambigere non debemus quin in cujuſlibet prædeſtinati triumpho,ſimulacra illarum pœnarum ſpectentur,quas ille in præſenti vita fortiter toleravit. Ita in triumpho Stephani lapides, Laurentii crates ignea, Catharinæ rota,Petri crux,Pauli gladius emicarunt:&,ut notat S.Leo ſerm.in nativ.S.Lauren. *in honorem tranſierunt triumphi etiam inſtrumenta ſupplicij.* Idem ſentiendum videtur de cæteris tribulationibus electorum : quæ,ut revelatum cuidam traditur, incomprehenſibili quodam artificio, divina manu inſculptæ apparebunt in thronis adamantinis,aut ſmaragdinis,in quibus electi ſedebunt;ut unuſquiſque per totam æternitatem ſumma cum animi jucunditate ante oculos habeat ſingulas tentationes,tribulationes,ac pœnas, de quibus patienter perlatis in hac vita ſtrenuè triumphavit. Ideoque, ut benè dictum eſt cum Ambroſio, *Tentatio cauſa eſt victoria,materia trium.* Vnde concluditur tribulationem patienter perlatam prædeſtinationis & medium eſſe, & ſignum : quia materiam exhibet certaminis, victoriæ, triumphi. Quippe, ut notat Chryſoſtomus ſer. 1. de martyr. *Nullus athleta ſine certamine fortior dicitur : nemo miles ſine prælio hoſtem ſubjecit : nemo ſine victoria poterit coronari.*

Chryſoſt.

Paupertas tolerata facit martyrem.

XCV. Tentatio materia triumphorum.

S. Leo.

Tribulationes perlatæ inſculpūtur in thronis electorum.

Chryſoſt.

Quinta ratio, deſcendendo magis ad particularia,deſumitur à peculiaribus virtutibus, in quarum exercitio fundat tribulatio rationem meriti,& juris ad gloriam.Formari autem poteſt ſic.Tribulatio affert exercitium pœnè omnium virtutum.Ergo eſt ſignum prædeſtinationis ad gloriam. Conſequentia patet, quia virtutes ſunt prædeſtinationis tum ſigna,tum media:ſicut reprobationis, vitia. Antecedens probatur tum de virtutibus moralibus, tum de Theologicis.E moralibus ſeligemus tres, humilitatem, patientiam, fortitudinem. Primò tribulatio magiſtra eſt humilitatis.Omnis enim tribulatio eſt quædam naturæ humiliatio:humiliatio autem ad humilitatem eſt via, quod docens Bernardus epiſt. 88. *humiliatio*, inquit, *ad humilita-*

Bernardus.

Humiliatio ad humilitatem est via.

tem est via. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Nam si non poteris humiliari, non poteris prævehi ad humilitatem. Humilitas autem speciale continet exaltationis, & prædestinationis indicium, ut ostendetur c. 9. Secundò tribulatio mater est patientiæ. Ideo dicitur ad Rom. 5. *tribulatio patientiam operatur*, tum. ut causa materialis, quia præbet materiam, circa quam patientia exercetur: tum ut causa effectiva, excitando, & movendo ad patientiam.

Tribulatio mater patientiæ.

Ad Rom. 5.

Quamobrem Isidorus Peluſiota l. 3. epist. 26. *præcedit*, inquit, *coronam probatio, probationem victoria, victoriam patientia, patientiam afflictio, atque tentatio.* Ideo Sanctus Iob, qui prototypus fuit hominis tribulati, prototypus etiam fuit patientiæ. Quamobrem S. Prosper p. p. præd. c. 22. *Iob*, inquit, *athleta fortissimus in exemplum omnis patientiæ productus est*: quia scilicet in exemplum omnis tribulationis. Ideo B. Laurentius Iustinianus l. de patientia c. 3. *quemadmodum*, inquit, *in corporibus medicina reparat sanitatem: sic in animabus patientiam tribulatio generat.*

Prosper. Iob Prototypus tribulati.

XCVI. Tribulatio igitur prædestinationis est signum, quia patientia prædestinationis est medium. Idcirco in Scripturis patientia cum consolatione conjungitur, ad Rom. 15. *Deus patientiæ, & solatij*: non solùm in vita futura, sed etiam in præsenti. Ideoque dicebat S. Franciscus, *tanta est gloria, quam expecto, ut me omnis mortificatio, omnis humiliatio, omnis pœna delectet.* Ecce patientiam adnexam solatio, juxta illud Pauli, *Deus patientiæ, & solatij.* Tertiò tribulatio causa est fortitudinis. Hæc enim *versatur circa toleranda qualibet adversa*, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 4. ad primum. Quippe versatur circa ardua. Vnde fit ut tribulatio, quæ est aspera, arduaque naturæ, materiam præbeat fortitudini. Idcirco dicitur Ps. 7. *Deus fortis, & patiens*, nimirum in ipsomet Deo non est fortitudo sine patientia. Ideo Paulus 2. ad Cor. 12. *cum infirmor*, inquit, *tunc fortior sum.* Quia, ut notat Chrysostomus tract. de Pœnit. *fortiores nos tentamenta faciunt: teporem enim excutiunt, & sanctum feruorem immittunt.* Hanc veritatem Philosophi etiam ethnici agnoverunt: qui eos solos fortissimos prædicabant, qui libenter dura, & aspera patiebantur. Quamobrem Seneca cap. 1. de Providentia, *vir*, inquit, *fortis cum mala fortuna compositus spectaculum Deo dignum. Fortuna, ut gladiator fortissimus, sibi pares quærit: ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabritio, exilium in Rutilio, tormentum in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone.* Hæc fortitudo maximè exercetur in expugnandis vitiis; quod mirificè præstat patienter tolerata tribulatio. Idcirco dicitur Prov. 16. *Melior est patiens viro forti*: quia vir fortis corpore expugnat corpora; patiens verò fortis animo expugnat vitia. Quocirca Cyprianus in l. de bono patientiæ, *patientia*, inquit, *est quæ iram temperat, linguam frænat,*

S. Thomas.

Tribulatio mater fortitudinis.

2. Cor. 12. Chrysost.

Fortes ex ethnicis tribulati.

Seneca.

Prov. 16. Patiens melior viro forti.

Cyprian.

Patientiæ encomia.

libidinis impetum frangit. (Ideo ille , dum ſtimulis carnis tentatus , poſtea contumeliis affectus , cum ab eo quæreretur an adhuc tentatio carnis urgeret: admirabundus reſpondit, *vivere non licet; fornicari licebit* ?) *Hæc tumoris violentiam comprimit , facit fortes in adverſis , tentationes expugnat : perſecutiones tolerat , martyria conſummat.* Hæc de virtutibus moralibus tribulationem comitantibus , ut non immeritò Chryſoſtomus dixerit hom.9.in Matth. *tribulationes inſeparabiles quaſdam comites eſſe virtutum.* Quod verò attinet ad virtutes Theologicas, aio tribulationem fomentum eſſe fidei,ſpei,& charitatis. *Chryſoſt.*

Quod ſpectat ad fidem , hanc in tribulatione patienter perlata maximè exerceri patet ex eo,quod quis patienter tolerat amiſſionem bonorum viſibilium hujus vitæ , quia firmiter credit obventura illi bona inviſibilia in æterna vita : atque hilariter ſuſcipit mala ſenſibilia, quæ videt ; ut evadat mala ſpiritualia, quæ non videt. In hoc autem maximè exercetur fides,cum non ſiſtat in actu intellectus:ſed progrediatur ulteriùs uſque ad affectum,& praxim in re tam ardua, qualis eſt perpeſſio malorum hujus vitæ. Ideo dicitur ad Hebræos 11. *Fide obtulit Abraham Iſaac,cum tentaretur.* Quia ſcilicet fides effecit, ut Abraham mortificaret ſe in affectu filii ſui unigeniti Iſaac : evaginans gladium ad eum immolandum , juxta præceptum Domini. Fuit autem ea maxima tentatio,& tribulatio Abrahami;ideoque hîc dicitur,*cum tentaretur.* Sive quia,ut dicitur Geneſ. 22. *tentavit Deus Abraham* , injungens illi duriſſimum mandatum , ut ſuis manibus occideret unigenitum;qua afflictione nulla durior excogitari poteſt in hac vita. Sive quia,ut tradunt Rabbini,apparuit Abrahamo dæmon ſub ſpecie Angeli,eum deterrens , & revocans ab immolatione filii : ideoque dicitur,*cum tentaretur.* Hanc autem tentationem , animique ſummum angorem evicit fide : quippe *fide obtulit Abraham Iſaac.* Eſt ergo fides in Abrahamo operata tolerantiam ſingularis illius afflictionis,qua juſſus eſt tradere filium unigenitum ad immolandum : ad quod meritum remunerandum,vice unius filii dedit illi Deus ſobolem pœnè infinitam , ut pater eſſet omnium credentium. Quod obſervans Chryſoſtomus hom.de fide Abraham: *Fidei,* inquit, *pretium in filio conſpexit. Vnus filius Abrahæ exoptatur : & immenſa ei multitudo promittitur. Solatium unius hæredis conquiritur , & innumerabilis ſoboles deſtinatur.* Hoc totum tribuitur fidei Abraham , quam in illa tentatione exercuit , quando *tentavit Deus Abraham* , &c. qui juxta dictum Apoſtoli 1.ad Cor.10 *fecit cum tentatione proventum.* *Ad Hebr.11.* *Geneſ.22.* 1.ad Cor.10.

Hoc idem per ambages ſignificatum fuit ſponſæ, cui dictum eſt, *murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Cant. 1. per murænulas aureas ornamenta aurium intelligit Bernardus ſerm.41.

in Cant. unde fit ut murænulæ aureæ ornamenta sint fidei : idcirco idem Bernardus, *murænulæ*, inquit, *pretiosæ aurium sunt ornamenta : atque sunt propterea, quia fides ex auditu.* Observandum tamen est hæc ornamenta efficta esse in figuram serpentis : ideo Clemens l. 2. pædag. c. 12. *murænulas*, inquit, *aureas, & serpentes in decorem effinxit.* Murænulæ igitur aureæ vermiculatæ argento, tanquam ornamenta aurium sponsæ, fidei tribuuntur: quia per fidem serpentes ipsi aurei, & vermes efficiuntur argentei. Per serpentes autem, & vermes non nisi tribulationes, & persecutiones signantur, ut hic notat Philo Carpatius, & alii. Quæ tribulationes efficiuntur per patientiam aureæ, & argenteæ : quia, ut notat Ambrosius serm. 7. in Psal. 118. *Ecclesia cum uritur, detrimenta non sentit : sed magis ejus fulgor augetur.* Legit Apponius *catenulas aureas faciemus tibi.* Quia catenæ, quibus olim martyres vinciebantur, & nunc justi in injustis accusationibus, & carceribus vinciuntur, evadunt per tolerantiam aureæ. Ideo Paulus catenis oneratus, cum se & Apostolum, & doctorem gentium nominare posset, hoc maximè titulo gloriatur, *vinctus in Domino.* Quippe, ut ait Chrysostomus homil. de B. Iob, *catenæ circumdatæ sanctis illis manibus, Apostolatu, & doctoratu multò sunt illustriores.* Ideo dicitur catenulas aureas. Additur, *vermiculatas argento*, quia vermes corrodentes Iob, atque ex ejus ulceribus, cum sederet in sterquilinio, emanantes, de quibus ipse dicebat, *putredini dixi pater meus es ; mater mea, & soror mea vermibus*, Iob 17. erant per patientiam vermes argentei : ideoque dicitur, *vermiculatas argento.* Parum dixi vermes evadere argenteos ; quia patienter perlati gemmascunt in margaritas. Huc facit id, quod narratur in Chronicis Patrum Prædicatorum p. p. l. 1. c. 49. contigisse cuidam sanctæ mulieri, gravissimis doloribus cruciatæ. A qua cum vermes scatentes ex ulceribus, manu Dominicus sustulisset, tanquam ex rapina iratior, repetiit illa vermes suos. Hos raptor repente vidit conversos in margaritas, quæ rursus ulceribus restitutæ, in pristinam formam vermium redierunt. Quidni igitur à sponso dicantur vermes argentei, cum per tolerantiam sint quoque gemmei ? Cum igitur murænulæ aureæ vermiculatæ argento ornamenta sint aurium designatarum per fidem ; quippe, ut dictum ex Paulo, *fides ex auditu*, non obscurè significatur tribulationes adumbratas per serpentes, & vermes, effici aureas & argenteas per exercitium fidei. Ideoque dicitur, *murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento* ; quia scilicet, ut dictum est ex Ambrosio, in persecutionibus *detrimenta non sentiuntur : sed magis fulgor augetur.* Hæc de tribulatione prædestinationis signo, ut conducente ad exercitium illustrissimum fidei : quæ docet ærumnas temporales contemni, ut evadantur æternæ.

XCVII. *Ambrosius.*

Iob 17.

Quod verò tribulatio sit etiam incentivum spei, probatur eviden-

ter ex ratiocinatione Pauli, *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem: ſpes autem non confundit*, ad Rom. 5. In hoc autem dubitatio oriri poteſt, quod ſi in tribulationibus patientia oritur è ſpe (ideo enim eas libenter patimur, quia præmium tolerantiæ ſperamus) non apparet in quo ſenſu dici potuerit à Paulo ſpem oriri à patientia. Hanc dubitationem ſoluit Chryſoſtomus homil. in cap. 15. ad Rom. ubi, *viciſſim*, inquit, *altera parit alteram, tolerantia ſpem, ſpes tolerantiam.* Quomodo autem tribulatio ſpem pariat, explicat homil. in cap. 5. ad Rom. ubi, *afflictiones*, inquit, *ſpem ipſam non modò non tollunt, ſed etiam præparant:* & infra. *Spem in nobis vigere faciunt: cum nihil ſit, quod ſic nos ad bonorum ſpem comparet quàm bona conſcientia.* Nullum autem majus teſtimonium bonæ conſcientiæ, quàm ærumnæ, doloreſque patienter perlati. Sicut enim militi vulnera, cicatrices, laboreſque in militia tolerati magnàm ſpem præſtant apud Regem remunerationis, ac præmij: ita, &c. Ideo dicitur ad Rom. 12. *ſpe gaudentes, in tribulatione patientes.* Quia nimirum tribulationem præſentem inſeparabiliter comitatur ſpes futurorum: quæ ſpes gaudium etiam exhibet in præſenti vita. Ideo Philo apud Cornelium in Epiſt. ad Rom. cap. 22. ſpem vocat *gaudium ante gaudium.* quippe, ut notat Chryſoſtomus in hunc locum, *ante futura bona in præſenti etiam vita magnum bonum ex afflictione ſuſcipitur.*

ad Rom. 5.

Philo. Cornel.

Spes gaudium ante gaudium. *Chryſoſt.*

Magnum autem bonum eſt gaudium, quod præbet ſpes futurorum. Ideo S. Iob inter ſummos animi, corporiſque angores, bonis omnibus ſpoliatus, canebat hilariter, *in carne mea videbo Deum ſalvatorem meum:* (nimirum in carne illa ulceroſa, cum qua ſedebat in ſterquilinio) *repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Iob 17. Nempe, ut notat Gregorius l. 6. mor. cap. 13. *ſpes in æternitatem animum erigit: & idcirco nulla mala exteriùs, quæ tolerat, ſentit.* Hæc ſpes gaudium exhibebat Antonio; qui, ut refert Athanaſius in ejus vita, in eremo degens, inter ſummas corporis aſperitates *hilarem ſemper faciem gerens, liquidò oſtendebat ſe de cæleſtibus cogitare:* Ideo Abbas Apollo apud Palladium in Lauſiaco cap. 25. ſuos alloquens monachos, qui afflictationibus corporis, ac pœnitentiæ operibus, in deſertis locis, citra omne humanum ſolatium, incumbebant: *triſtentur*, aiebat, *mundani; qui aliam ſpem non habent: nos verò, qui tanta ſpe cæleſtis gloriæ digni habiti ſumus, quomodo non perpetuò lætabimur?* nimirum *in tribulatione patientes, ſpe gaudentes.* Idcirco tribulatio in Scripturis aſſimilatur flori; in quo ſpes inſidet fructuum. Hinc Cant. 2. *tempus putationis*, ſive ut legunt alij, *tempus tentationis advenit: flores apparuerunt in terra noſtra.* Tempus tentationum, eſt tempus florum: quia tentatio flos eſt, fructum promittens æterni gaudij. Quocirca Nyſſenus tract. de beat. *fru-*

Iob 17. Gregor.

Antonij facies ſemper hilaris. *Athanaſ. Pallad.*

Triſtandũ mundanis, gaudendũ juſtis.

Tribulatio flos fructũ promittens. *Cantic. 2. Nyſſenus.*

ctuum, inquit, *qui sperantur, flos afflictio est. Propter fructum igitur florem etiam decerpamus.* Electi ergo in afflictionibus positi flore gaudent in hac vita, fructibus in altera: hic gaudent spe, ibi re. Quippe, cum *tempus tentationis advenit, flores apparent in terra nostra. Fructuum autem, qui sperantur, flos afflictio est*, ut dictum est cum Nysseno. Ex his afflictionum floribus fasciculum sibi sponsa confecerat, cum dixit, *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur.* Cant. 1. Fasciculus inter sponsæ ubera collocandus confici solet è floribus: hic autem conficitur ex myrrha amarissima: quia scilicet *flos afflictio est.* Ideo Bernard. serm. 43. in Cant. *Myrrha*, inquit, *amara res, dura, & aspera tribulationem significat. Eam sibi* (sponsa) *delicti causa imminere prospiciens gratulabunda id loquitur, confidens se omnia viriliter subituram.* Appellat autem non fascem, sed *fasciculum myrrhæ*: quia tribulationes quaslibet levissimas existimabat, sive præ amore sponsi, sive præ spe præmiorum. Idcirco idem Bernardus: *propterea*, inquit, *non fascem, sed fasciculum dicit; quod leve præ amore ipsius ducat quidquid laboris imminet, & doloris. Benè fasciculus: quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Erit ergo quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modò est fasciculus myrrhæ.*

XCVIII. Fasciculus myrrhæ tribualtiones designat. *Cantic. 1. Bernard.*

Tribulationes cur fasciculus.

Hæc spes, tribulationum amaritudines dulces reddit: ideo subditur, *botrus cypri dilectus meus mihi:* Electis enim, quibus Christus est in hac vita *fasciculus myrrhæ*, propter amaritudinem afflictionis, futurus est in altera *botrus cypri*, propter suavitatem visionis. Quamobrem idem Bernardus serm. 44. *si dilectus in myrrha, multò magis in suavitate botri.* Adde hanc suavitatem non expectari, sed inter ipsas tribulationes sentiri, propter spem, per quam futura gaudia prægustantur. Quapropter dicitur à sponsa *botrus cypri dilectus meus mihi in vineis engaddi*, sive ut alij, *in fonte tentationis.* Ideo Theodoretus in eum locum, *in tentationibus*, inquit, *constituta, & à multis oppugnata* (sponsa) *tuam dicit sentio suavitatem.* Hoc videre licet in Stephano; qui, dum lapidaretur, inter amaritudines vulnerum, Paradisi præguftans dulcedinem, *ecce*, inquit, *video cælos apertos.* Act. 7. ita ut suavitas vicinæ gloriæ, quam spe oculisque præceperat, dulcissimos illi redderet lapides. Quapropter de eo canit Ecclesia, *lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Quia scilicet, ut notat Augustinus in Soliloquio cap. 22. ex aspectu imminentis præmij, *Christi dulcedo torrentis lapides Stephano dulcoravit.* Sensit ille, inter amaritudinem myrrhæ, suavitatem botri: ita ut simul posset dicere: *fasciculus myrrhæ, botrus cypri*, &c. quia electis ipsæmet tribulationum amaritudines spe futuri præmij dulcescunt in mella.

Tribulationum amaritudines comitatur dulcedo. *Bernard.*

Botrus Cypri Christus inter afflictiones. *Theodor.*

Stephano cur dulces lapides. *Act. 7.*

Augustin.

XCIX. Apes mel conficiunt è guttis maris, & rore cæli.

Huc facit id, quod de apibus dicitur; ab eis mel cõfici ex dulcedine roris, quem libant è floribus, & è guttis amarissimis, quas è marinis

aquis

aquis exorbent. Quod referens Hugo Cardinalis in Pſ. 92. *legitur*, inquit, *de Rege apum, quod mittat apes ad mare, ut inde afferant guttas maris, & ponant cum dulcedine florum: & inde conficiunt mel ex amaritudine, & dulcedine.* Cum igitur ipſa mellis dulcedo non poſſit ſine amaritie confici, videtur in hoc nos admoniſſe natura, æternæ conſolationis mel confici *ex amaritudine, & dulcedine:* ex amaritudine tribulationum, & dulcedine, quam ſpes affert conſequendi præmij. Quamobrem Chryſoſtomus hom. 15. in cap. 7. Act. *fer,* inquit, *hic tribulationem propter Chriſtum; nihil huic refrigerio par: ita ut quò maiorem dixeris tribulationem, eò majorem dicas voluptatem.* Ecce *faſciculum myrrhæ, cum botro cypri.* Ideo Propheta Pſ. 93. *ſecundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* In quem locum Auguſtinus, *multi*, inquit, *dolores, ſed multæ conſolationes: amara vulnera, ſed ſuavia medicamenta.* Ecce mel confectum ex guttis maris, & rore cæli; *ex amaritudine, & dulcedine*, ut dictum eſt cum Hugone. Idem confirmat Apoſtolus 2. ad Cor. 1. *ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Ubi; ut notat Chryſoſtomus, *ex ipſis afflictionibus conſolationem affert. Quid enim dulcius, quàm Chriſti afflictionum fieri participem, atque hæc illius gratia perpeti?* nimirum mel ex iis conficitur, in quo ipſamet amaritudo dulceſcit. Idcirco S. Franciſcus Xaverius, qui inter ſummos corporis labores, ærumnaſque clamabat, *non ſat eſt*, divinis in eo ſolatiis exuberantibus repetebat, *ſat eſt Domine, ſat eſt.* Quia iuxta dictum Apoſtoli, *ſicut in eo abundabant paſſiones, ita & conſolatio.*

Hug. Card.

Mel divinæ conſolationis, ex amaritudine, & dulcedine.

Chryſoſt.

Pſal. 39.

Auguſt.

2. Cor. 1.

Chryſoſt.

Tribulatio dulcis propter Chriſtum.

Franciſci Xaverij inter ærumnas conſolatio.

Denique Iacobi 1. *omne gaudium exiſtimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Ubi obſervandum eſt à Iacobo in tribulationibus non ſolùm reponi gaudium, ſed *omne gaudium:* quia gaudium, quod oritur ex proſperitate temporali, non eſt verum, & ſolidum gaudium, ſed falſum, & inane: cum metum contineat æterni mœroris, in quem deſinit. Gaudium verò, quod è tribulationibus oritur patiénter perlatis, eſt verum, ſolidum, immo *omne gaudium:* quia ſpem continet omnis boni, & perfectæ felicitatis, in quam deſinit. Quapropter Chryſoſtomus homil. 17. in cap. 7. act. Apoſt. *iſtud,* inquit, *magnum gaudium eſt, & lucrum afferens, quod à vinculis, quod à flagellis, quod à perſecutionibus, quod ab oblocutionibus, quod à mœſtis habet principium: & in bonum finem occurrit. Quod autem in mundo, ſecus ſe habet: incipit à ſuavibus, deſinit in triſtitiam.* Obſervandum eſt à Chryſoſtomo tribulationem appellari *gaudium lucrum afferens:* quia nimirum gaudium hoc oritur à ſpe lucri, & præmij aſſequendi. Illuſtrari hoc poteſt exemplo eorum, qui navant operam arti Alchimiſticæ. Quippe hi aſſiduè prope fornaces labo-

Iacobi 1.

Tribulatio omne gaudium.

Chryſoſt.

C.

Tribulatio aſſimilatur arti Alchimiæ.

rant, æstuant, desudant; & sæpe, viri alioquin nobiles, suis manibus ollas collocant, prunas sternunt, folles animant: in hac opera dies, menses, annos absumunt alacriter, expectantes propediem aurum, quod numquam vident, spe quidem fallaci semper, & irrita. Alacritatem multò majorem à fortiori conferre tribulatis debet spes solida conficiendi per tolerantiam, veluti per artem chimicam, nobilissimum, è vilissima miseriarum materia, aurum, & thesauros cumulatissimos meritorum. Ideoque à Chrysostomo tribulatio dicitur *gaudium lucrum afferens*, cum sit gaudium ex lucro Alchimistico.

Morbi dolores in massas aureas commutantur.

Cum quis igitur morbo urgetur, quot quotidie angores, doloresque corporis cum Christi angoribus, doloribusque conjunctos patienter tolerat, tot auri pretiosissimi massas reperietur vesperi confecisse: non, ut reprobi deliciis ac voluptatibns dediti, *thesaurizans sibi iram in die iræ*; sed cum electis, crucis Christi amatoribus, thesaurizans sibi misericordiam in die misericordiæ: quandoquidem *tribulatio gaudium est lucrum afferens*, tanquam ars alchimica conflandi aurum. Idcirco Ambrosius serm. 20. in Psalm. 118. *Fornax*, inquit, *quæ ferrea est fragilibus*, (nimirum iis, qui in tribulatione ab animi nitore deficiunt) *est perseverantibus aurea*; dolores scilicet, & ærumnas, in aureos transmutans cumulos meritorum. quod ipsum videtur innuisse sanctus senex cuidam discipulo doloribus cruciato, ut habetur in vitis Patrum cap. 3. num. 157. cui ille, *ne tristeris*, inquit, *ex infirmitate, vel plaga corporis tui. Si ferrum es, per ignem eruginem amittis: si aurum es, per ignem probatus à magnis ad majora procedis. Ne anxieris ergo, frater, si Deus te in corpore vult torquere.* Quia scilicet, quasi per artem Alchimisticam, in fornace tribulationis aurum vel conflatur, vel purgatur, vel conficitur, vel perficitur. Nempe tribulatio, ut dictum est cum Ambrosio, *fornax est perseverantibus aurea.*

Ambros. Tribulatio fornax aurea.

Vit. Patr.

Hæc firma spes, non quidem transmutandi terream materiam in massas auri; sed miserias & pœnas in gradus gloriæ, alacritatem præbebat martyri Ignatio: cum, ut refert Hieronymus in lib. de script. Eccles. martyrio proximus sic dicebat, *Ignis, crux, bestia, confractio ossium, membrorum divisio, totius corporis contritio, & omnia tormenta diaboli in me veniant: tantùm Christo fruar.* Hæc spes fruendi Christo ipsamet tormenta diaboli reddebat dulcissima: quia novo quodam, & longè sublimiori alchimiæ genere, infernus ipse per patientiam transmutatur in Paradisum. Hocque electorum est proprium, ut summas inter ærumnas, quæ quamdam inferni speciem præferunt, lætari, ac gestire videantur, perinde ac si essent in medio Paradisi. Ideo Paulus 2. ad Cor. 1. *Deus*, inquit, *totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Observandum, dum *consolatur in tribulatione*, appellari *Deum totius consolationis*: quia,

Hieronym.

Tribulatio animæ Paradisus.

2. Cor. 1.

si Deus totam consolationem exhibet in Paradiso, hanc etiam totam exhibet in tribulatione, quæ quidam est animæ Paradisus. Quamobrem Chrysostomus hom. 1. in epist. ad Cor. *Paulus*, inquit, *cum videret tentationes quotidie ingruentes, ita gaudebat, gestiebatque, non aliter quàm si in medio Paradisi vixisset.*

CI. In tribulatione Deus totius consolationis. *Chrysost.*

Advertendum tribulationem in Scripturis inferni nomine designari 1. Reg. 2. *Dominus ducit ad inferos, & reducit:* ideſt ad maximas afflictiones, quales videri possent prodire ab inferis, ut ibi explicat Hugo Card. Præterea Psal. 17. *dolores inferni circumdederunt me*: ideſt dolores maximi, quales, per figuram amplificationis, videri possent infernales. Ideo subditur, *in tribulatione mea invocavi Dominum.* Tribulatio igitur maxima inferni nomine designatur. Quare tribulati hac eadem phrasi uti solent, dicentes in summis afflictionibus, se esse in inferno. Hic autem tribulationum infernus, sublimissimo Alchimiæ genere, transmutatur per tolerantiam ab electis in Paradisum. Quippe inter summos angores, cum Paulo, *ita gaudent gestiuntque, ac si viverent in medio Paradisi.* Quia scilicet, *Deus totius consolationis consolatur eos in omni tribulatione*, ut dictum est ex 2. Corinth. 1. Hæc autem consolatio maximè præstatur per spem vivacissimam retributionis, ac præmii. Ideo dicitur ab Apostolo ad Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* Conjunguntur hæc simul, *gloriari in spe gloriæ filiorum Dei*, ideſt, quæ debetur filiis Dei, *& gloriari in tribulationibus:* quia ipsamet tribulatio spem continet gloriæ. Ideo Bernardus serm. 17. in Psal. Qui habitat, *non altera*, inquit, *gloriatio commendatur, sed additur mihi spes gloriæ: siquidem in tribulatione spes gloriæ.* Spes adeo certa, ut ipsamet gloria in tribulatione contineatur, quemadmodum fructus continetur in semine. Quapropter subdit idem Bernardus, *immo & ipsa in tribulatione gloria continetur: sicut spes fructus, & ipse fructus est in semine.* Quidni igitur in tribulatione sit pignus prædestinationis, & gloriæ; quando in ea per spem vivam contineri videtur ipsamet gloria? Et ideo ex Paulo, *qui gloriatur in tribulatione, gloriatur in spe gloriæ*, ut dictum est.

Tribulatio in Scripturis inferni nomine.

Rom. 5.

In tribulatione spes gloriæ.

Bernard.

In tribulatione gloriæ tanquam fructus semine.

Ii igitur, qui in tribulatione sunt positi, Paradisi gloriam quasi pugno conclusam habere videntur in manibus, dicentes cum Paulo 2. ad Tim. 2. *Fidelis sermo, si commortui sumus, & convivemus, si sustinebimus, & conregnabimus. Fidelis sermo*, nempe indubitatus, & certus ex Dei fidelitate: qui beatitudinem, & coronam promisit patientibus, juxta illud Iacobi 1. *Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Et quia de hujus promissionis fide dubitari non potest, ideo dicit, *Fidelis sermo, si sustinebimus, & conregnabimus*, quia ut notat Augustinus in Psal. 32.

2. Tim. 2.

Iacob. 1.

Augustin.

CII. Deus fidelis debitor, misericordissimus promissor.

Fidelis Deus est exhibens homini, quod promisit. Teneamus ergo fidelissimum debitorem: quia tenemus misericordissimum promissorem. Hac ergo Dei cautione præstita de danda corona certantibus, spes firma consurgit in iis, qui tribulationes æquanimiter tolerant, se coronam gloriæ recepturos. Quamobrem Bernardus serm. 7. in Psal. Qui habitat, *In spe*, inquit, *vivimus, fratres, nec in tribulatione deficimus: quod in expectatione simus ineffabilium gaudiorum. Neque enim vana nobis, & inanis expectatio, aut dubia spes* (ut esse solet in militibus qui pro temporalibus Regibus labores, & vulnera patiuntur) *innixa æterna promissionibus veritatis.* Vnde ita concludit, *Viriliter ergo sustineamus collectationes in hoc seculo, & persecutionem quamlibet æquanimiter patiamur.* Ex his perspicuè apparet in tribulatione æquo animo tolerata non solùm præclarissimè exerceri fidem, sed etiam maximè nutriri spem; quæ, ut etiam vocat Clemens Alexan. lib. 1. pædag. cap. 6. veluti *sanguis est fidei.* Vnde etiam sequitur in tribulatione contineri ex hoc capite maximum prædestinationis signum ex ratiocinatione supra allata Pauli. *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem; spes autem non confundit*, quem locum explicans Bernardus serm. 37. in Cant. *spes*, inquit, *non confundit; quia certitudinem infundit. Per hanc enim spiritus testimonium perhibet spiritui nostro quod simus filij Dei. Vnde ulteriùs infert, quod si filij, & hæredes.* Observandum tantam spem oriri ex tribulatione generosè perlata, ut dicat Bernardus, hac spe certitudinem infundi, quod simus filii Dei: idest moralem quamdam certitudinem per conjecturas, & signa maximè probabilia.

Clemens Alex.

Bernard.

Postremò non solùm tribulatio prædestinationis est signum, quia per eam maximè animatur tum fides, tum spes: sed etiam quia per eandem & probatur, & augetur charitas: quæ comes est certissima gratiæ, dispositionis ultimæ ad gloriam. Tria hæc, fidem, spem, charitatem, egregiè cum tribulationibus patienter perlatis Tertullianus conjunxit l. de patientia cap. 12. ubi docens cum patientia reperiri fidem, spem, charitatem, *Fides*, inquit, *quam Christi patientia induxit; spes, quam hominis patientia expectat; dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur.*

Tertullian.

Quoniam verò, ut notat Gregorius lib. 34. mor. cap. 13. *appellatione auri in sacro eloquio aliquando accipitur charitas:* tria habet aurum ex igne, probatur, purgatur, clarescit, sive illustratur; hæc eadem ex tribulatione habet charitas. Quod per tribulationem probetur, patet ex Eccl. 2. *in igne probatur aurum: homines verò receptibiles in camino humiliationis*, sive ut lectio Tigurina, *in fornace afflictionis.* Sicut igitur aurum verum ab adulterino per ignem discernitur, quòd illud igne perficitur, hoc absumitur: ita charitas vera ab adulterina,

Gregor.

Eccles. 2.

& fictiva in fornace tribulationis. Ideo Augustinus de tempore barbarico c. 3. *si aurum*, inquit, *es, quid times ignem?* Hoc aliis similitudinibus illustrans Basilius orat. de patientia, *ut gubernatorem*, inquit, *navis tempestas, athletam stadium, militem acies; sic Christianum hominem probat tentatio.* *Basilius.*

CIII.

Amor erga Deum efficax dignoscitur ab effectu.

Et ratio est à priori, quia amor Dei potest esse efficax, & inefficax: sicut aurum esse potest verum, & adulterinum. Amor autem inefficax, antequam probetur, speciem exhibet efficacis: sicut aurum adulterinum præfert speciem auri veri. Vt igitur discernatur ab inefficaci efficax, debet probari ab effectu, sive ab opere. Non potest autem probari ab opere delectabili; quia cum hoc sit allectivum voluntatis, discerni non potest an quis ad illud trahatur ab amore Dei, an verò ab amore ipsiusmet delectabilis, quod est ex se voluntatis tractivum: & sic discerni non potest an quis trahatur ab amore sui, an ab amore Dei. Oportet igitur ut amor Dei probetur ex opere arduo, in quo sit admixta ratio delectabilis, sed acerbi, insuavis, & asperi: quia cum ad hæc contraria naturæ non possit voluntas trahi ab amore sui, facilè probatur ad ea trahi ab amore Dei.

Contra verò cum quis Deo famulatur in prosperis, jurè potest ambigi an illud obsequium præbeat ex amore Dei, an ex amore sui. Quod calumniosè quidem, sed argutè animadvertit Satan in Iob, dum dixit, *numquid Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum ejus universamque substantiam per circuitum?* Iob. 1. Arguitur Iob à dæmone quod amore temporalium Deo serviret in prosperis; inde infert ejus erga Deum obsequium defecturum, si temporalia deficerent. Ideo subdit, *sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi*, quæ verba exponens Gregorius lib. 2. mor. c. 5. *ac si* inquit, *aperte dicat, qui tot bona in terra recepit, quid mirum est si pro eis se innocenter gerit? Innocens verè esset si bonus inter adversa persisteret.* Quod argumentum, quamvis prolatum à dæmone, quia fundamento rationabili nitebatur, permovit Deum ut immitteret illi tribulationes circa temporalia: quò manifestè probaretur ejus obsequium circa Deum, ex amore Dei oriri, non ex amore sui. Ideo Cyprianus lib. de mortalitate *delicata*, inquit, *jactatio est, cum periculum non est: Conflictatio in adversis probatio est veritatis.* Electi igitur per adversitates monstrentur, ut Paulus loquitur ad Ephes. 3. *in charitate radicati, & fundati.* Sicut arbor inter ventorum turbines radicum firmitatem demonstrat. Quapropter Cyprianus ibidem idem prosequens argumentum, *arbor*, inquit, *quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non movetur. Navis, quæ forti compage solidata est, pulsatur ictibus, nec perforatur.* *Iob 1.*

Per tribulationem igitur probatur charitas, quia per eam vera à

falsa dignoscitur:& unicuique de seipso innotescit an verè,& solidè, an fictè, & inaniter Deum amet. Idcirco dicitur Eccles. 34. *Qui non est tentatus, quid scit?* Nihil enim omnino scit qui seipsum nescit: &, ut notat Augustinus in Psal. 60. *Nemo sibi innotescit, nisi tentatus.* Vnde fit, ut sicut aurum per ignem, ita charitas per patientiam innotescat. Quod significans Tertullianus lib. de patientia cap. 11. *Dilectio*, inquit, *Christiani nominis thesaurus*, (ecce aurum) *nonnisi disciplina patientiæ eruditur.* Ecce fornacem, in qua dignoscitur.

Eccles. 34. Per tribulationē unusquisque sibi innotescit. *August.* *Tertull.*

CIV. Tribulatio non solùm probat, sed etiam purgat.

Altera auri proprietas in fornace est, quod non solùm probatur, sed etiam purgatur. Hoc in fornace tribulationis etiam competit charitati, quæ in ea & probatur, & purgatur. Sicut enim in auro, per ignem materia terrea, & quidquid est sordium excernitur: ita in charitate per tribulationem quidquid imperfectionis est expurgatur. Quamobrem Augustinus de temp. barbar. cap. 3. *Si aurum*, inquit, *es*, (utique per charitatem) *quid times ignem, qui tibi sordes tollet?* Addit Cassianus collat. 6. c. 11. *Omnes homines triplici ratione tentari, plerumque ob probationem, nonnumquam ob emundationem, interdum ob merita delictorum*; idest ad punienda delicta in hac vita. Tribulatio igitur non solùm immittitur ad probationem, sed etiam ad emundationem. Ideo Psal. 11. observantia præceptorum Domini, quæ utique habetur per charitatem, dicitur *argentum igne examinatum probatum terræ*; idest, ut explicat Bellarm. hominibus terræ, *purgatum septuplum.* Argentum non solùm probatum ad examen ignis, sed etiam purgatum septuplum, idest *perfectè purgatum*, ut glosat Hugo Card. quia charitas tribulationis igne examinata perfectissimè ab omnibus imperfectionum sordibus emundatur. Quamobrem Aug. in hunc Psal. *Argentum*, inquit, *igne examinatum, sunt præcepta Domini tribulationibus probata.* Tribulationes igitur ab electis Deus non aufert, donec illos perfectè purget, & mundet. Hoc animadvertens Chrysostomus homil. 4. ad pop. Antioch. *Sicut*, inquit, *aurifex, donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit: ita & Deus tribulationem non abducit, donec nos penitus emundaverit.* Quia nimirum unusquisque electus debet esse sive aurum, sive *argentum purgatum septuplum*, ut dictum est cum propheta.

Bellarm. *Psal.* 11. Charitas per tribulationem argentū purgatum septuplum. *Hugo Card.* *August.*

Chrysost.

Purgat autem tribulatio tum à culpis, tum à pœnis; illas præcidendo, pro his satisfaciendo. De utroque actum est supra. Nunc quod attinet ad purgationem à vitiis, addam insignem locum Chrysostomi hom. 66. ad pop. Antioch. ubi: *Tunc*, inquit, *anima purgatur, cum propter Deum tribulatur.* Explicans autem infra hujus purgationis modum subdit, *Tribulatio fastum contrahit: omnem excidit torporem: ad patientiam ungit: humanarum rerum vilitatem revelat: Omnes motus illi cedunt, invidia, æmulatio, concupiscentia*

Tribulatio emundat à vitiis omnibus. *Chrysost.*

pecuniarum, & corporum amor, arrogantia, fastus, ira & omne reliquum vitiorum examen. Observandum ab una virtute nonnisi unicum vitium expelli: à tribulatione verò, *omne vitiorum examen.* Quidni igitur dicatur per tribulationem purgari electos ut aurum, aut argentum *purgatum septuplum:* cum per eam ab omnibus vitiorum sordibus emundentur? Charitas igitur electorum in tribulationis fornace primò probatur: secundò purgatur ut aurum in igne.

Tertiò eadem charitas in tribulatione illustratur, ita ut augescat ejusdem nitor, ac splendor, non solùm per sublationem defectuum, sed etiam per augmentum perfectionis, & charitatis. Sive enim insitus auri, argentique nitor magis ex igne splendescat, sive non, de quo ambigi potest: certum est charitatis perfectionem, & claritudinem mirificè in igne tribulationis augescere, Hoc autem tali ratione demonstro. quotiescumque anima magis Deo conjungitur, tunc fit majus charitatis augmentum. quippe Deo conjungere proprium est charitatis. Et ideo appellatur ab Apostolo ad Coloss. 3. *vinculum perfectionis.* Sed per tribulationes anima magis Deo conjungitur. quod patet tum ex parte animæ, tum ex parte Dei. Ex parte animæ: quia hæc in tribulatione posita, in qua deficiunt humana subsidia, confugere cogitur ad divina. Ideo dicitur Psalm. 77. *cum occideret eos, quærebant eum: & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Quem locum explicans Hugo Cardinalis, *faciebant,* inquit, *sicut nauta: qui cum serenum est tempus, vacant lusibus: cum ingruit tempestas, invocant Deum. Sic homo ferè quilibet, dum est in prosperitate, nullum bonum facit; dum est in infirmitate; promittit quicquid potest.* Ad similitudinem utique Israëlitarum: qui, cum Deus *occideret eos, quærebant eum.* Idem de se profitetur David Psalm. 17. *in tribulatione mea invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi.* quod animadvertens Chrysostomus homil. 38. in Genes. *si prudentes,* inquit, *fuerimus, tribulationes nos magis Domino faciunt appropinquare.* Et Nazian. orat. ad cives Nazian. *anima,* inquit, *morbo affecta Deo propinqua est.*

CV. Charitas vinculum animæ cum Deo. *Coloss. 3.* Tribulatio confugere cogit ad Deum. *Psalm. 77.* *Hugo Card.* *Psal. 17.* *Chrysost.*

Exaudit autem Deus multò faciliùs in afflictione positos: & ideo cum dixisset Propheta, *in tribulatione invocavi Dominum,* subdit, *& exaudivit de templo sancto suo vocem meam.* quia, ut observat ibidem Chrysostomus, *tunc poterimus Dei nobis gratiam conciliare, cum fervidis lachrymis, & dolente anima accedimus.* Neque mirum quod Deus exaudiat preces afflictorum: cum etiam sine precibus ipsammet afflictionem patienter perlatam exaudiat. Ideo cum Agar ancilla Saræ expulsa esset à Domina, & omni humano auxilio destituta, dictum est illi ab Angelo Genes. 16. *audivit Dominus afflictionem tuam.* Habet quippe afflictio vocem suam, statim exauditam à Domino. Quod expendens loco cit. Chrysostomus, *videre licet,*

tribulationes approximant nos Deo. *Chrysost.* *Genes. 16.* *Chrysost.*

inquit, *afflictionis fructus in ancilla: quæ postquam à Domina afflicta fugit, statim supernam visitationem assequuta est.*

CVI. Deus adest specialiter tribulatis.

Scilicet in afflictionibus non solùm anima ex parte sua appropinquat Deo, sed etiam Deus animæ. Quamobrem dicitur Psalm. 34. *iuxta est Dominus iis, qui tribulati sunt corde.* Unde statim inferens prædestinationis & salutis indicium, subdit, *& humiles spiritu salvabit.* Quia tribulatio humilitatis est mater, ut probatum est supra. *Psal. 34.*

Psal. 90. Præterea Psalm. 90. *cum ipso sum in tribulatione.* Ex qua Dei speciali præsentia sequitur consequutio æternæ gloriæ. Ideoque subdit, *eripiam eum, & glorificabo eum.* Et ne intelligi hoc posset de gloria in præsenti vita; subjecit, *longitudine dierum replebo eum*, ideſt, ut exponit Augustinus, *vita æterna*, (longitudine utique, quæ totam æternitatem exæquat) *& ostendam illi salutare meum.* Quem locum *August.* expendens idem Augustinus, *noli*, inquit, *timere quando tribularis, quasi tecum non sit Deus: fides sit tecum, & tecum in tribulatione est Deus.*

Unde fit, ut quando electi innocenter persecutionem passi conjiciuntur in carcerem, cum ijsdem specialissimo modo in carcerem intret Deus, quasi vinctus cum vinctis, carcere detentus cum detentis. Quod de Iosepho in carcere falsa dominæ criminatione conjecto dicitur Sap. 10. *descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum.* Quia tot antè seculis, ante Davidis oraculum, illud verificari oportebat, *cum ipso sum in tribulatione.* Quod animadvertens S. Dionysius, dum in ignis clibanum coniiceretur, dixisse fertur, *& eris hic mecum, bone Iesu*, ut refert Hugo Cardinalis in Psal. 90. vers. *cum ipso sum in tribulatione.* Allusisse autem videtur ad illud Isaiæ 43. *cum ambulaveris in igne, non combureris.* Et infra, *noli timere, quia ego tecum sum.* In igne promittit non comburendum, quia Dominus cum illo in eodem igne futurus est. Hoc accidit in fornace illa Babylonica, in quam cum conjecti essent tres pueri, visi sunt inter flammas quatuor. Ideoque Nabuchodonosor stupens: *nonne*, inquit, *tres viros misimus? ecce video quatuor ambulantes; & species quarti similis filio Dei.* Quia scilicet tribus illis in tribulatione positis assistebat in specie humana ipsemet Deus, quasi idem cum illis supplicium subiturus. Quod adnotans Chrysostomus hom. de tribus pueris, *adest*, inquit, *amica maiestas: & patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari.* Ideo meritò Dionysius in fornacem ingressurus dicebat, *eris hic mecum bone Iesu*, ad verificandum Prophetæ dictum, *cum ipso sum in tribulatione.* Hoc idem & rogabat, & sperabat Iob inter summas afflictiones positus, dum dicebat, *pone me iuxta te: & cuius vis manus pugnet contra me.* Iob. 17. Quia scilicet, ut expendit Cyprianus exhort. ad mart. *maior est Dominus ad protegendum, quam diabolus ad impugnandum.*

Sap. 10. Deus carcere detentus cum detentis. *Hug. Card.* *Isaiæ 43.* Deus intra fornacem cum pueris Babylonicis. *Dan. 3.* *Chrysost.* *Iob 17.* *Cyprian.*

Denique,

Denique, tunc Deus maximè proximus, & propitius est tribulatis, cum illi maximè à se elongatum, & infensum putant. Quod innuitur Psal. 94. dum dicitur, *quadraginta annis proximus fui generationi huic.* Non utique in terra promissionis, sed in deserto: quando scilicet Hebræos quadraginta annis per deserti aspera, laboriosissimi itineris molestiis afflixit. Tunc dicit se illis proximum fuisse, quando illis videri poterat maximè infensus. Quamobrem alia lectio, qua utitur Ecclesia in Festo Epiphaniæ, sic legit, *quadraginta annis offensus fui generationi huic.* Tunc utique proximus, cum videtur infensus: quia tunc maximè adest suis electis, cum ij tentationibus, molestiisque afflicti maximè à se ipsis Deum elongatum existimant: &, ut notat Gregorius l. 24. mor. cap. 7. *dum subita tentationis procella tanguntur, despectos se à Deo, & perditos suspicantur.* Verùm, cum se à Deo despectos putant, tunc maximè diliguntur: & cum suspicantur se à Deo derelictos, tunc maximè est illis proximus, præbendo iis robur, vires, & patientiam ad tolerandum. Quod advertens Tertullianus lib. de patien. cap. 15. *ubi Deus*, inquit, *ibi & alumna eius patientia: & cum Spiritus Dei descendit, individua eum patientia comitatur.* Quapropter, cum quis multa patiendo, putat sibi Deum infensum, tunc sciat sibi esse maximè proximum. Quippe hæc in Dei vocabulario pro eodem habentur, *quadraginta annis offensus fui, quadraginta annis proximus fui.*

Psal. 94. Deus tunc proximus, cum videtur infensus.

Gregorius.

CVII. *Tertull. an.* Vbi patientia, ibi Deus.

Hoc animadvertens Sponsa rogabat sponsum ut fugeret, *fuge, dilecte mi: similis esto capreæ, hinnuloque cervorum.* Cant. 8. Hæc precatio quomodo cohærere potest cum ea, quam adhibuit Cant. 2. *revertere similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum*? Petere videtur contraria; ibi ut revertatur, hic ut fugiat; ibi ut adsit, hic ut absit; ibi ut appropinquet, hic ut elongetur. Hæc tamen, si subtiliùs penetrentur, contraria non sunt. Nam sponsus, cum in adversitatibus fugere videtur, abesse, & elongari; tunc maximè revertitur, adest, & se tribulatis approximat. Ideo assimilari eum vult *capreæ, hinnuloque cervorum.* Quippe caprea, cum dormit, uno saltem oculo vigilat; & cervus, cum fugit, oculos eò, unde fugit, convertit: ut significetur Deum, cum in nostris afflictionibus dormire videtur, tunc maximè nostro profectui vigilare: & cum velocissimè videtur fugere ut cervus, tunc potissimum oculos suæ benignitatis convertere. Quod mirificè explicans Paraphrastes Chaldæus: *fuge*, inquit, *dilecte mi, & in tempore tribulationis eris similis capreæ; quæ in tempore, quo dormit, unus eius oculus clausus est, alter apertus. Aut sicut hinnulus cervorum, qui in tempore, quo fugit, respicit post se. Sic tu respicies tribulationem nostram.* Hoc animadvertens B. Aloysius, dum divinis solatiis affluebat, sic Deum precabatur, *recede à me Domine, recede à me*: ac si cum sponsa diceret, *fuge dilecte*

Cant. 8. *Cant. 2.*

Cur sponsus assimiletur capreæ, hinnuloq; cervorum.

Caprea, cũ dormit, uno oculo vigilat.

Cervus fugiens post se respicit.

Paraphrastes Chaldæus.

B. Aloysius precabatur Dei recessum.

mi. Quod videtur cum amore pugnare, qui præsentiam exposcat. Quippe amor *& absentes desiderat, & præsentes cupit.* 9. ethic. 5. & *amicorum præsentia tam in prosperis, quàm in adversis rebus iucunda.* ibid. cap. 10. sponsa tamen amans clamat, *fuge, dilecte mi*; & Aloysius, *recede à me*, ita ut dicere possimus cum Poëta.

Aristot.

Votum in amante novum: cupimus quod amamus abesse.

Ovidius metamor.

Quia Deus, cum in desolationibus, quas electis immittit, ab iis videtur recedere; tũc maximè per arctiorem amorem iis conjungitur, & accedit. Idcirco Chrysostomus tract. de pœnit. *fortiores*, inquit, *tentamenta nos faciunt: ostenduntque Deo familiarissimos fieri.*

Chrysost.

Quando igitur Deus permittendo tribulationes maximas, videtur magis abalienatus à suis; tunc cum illis familiariùs agere ostenditur: & cum electos videtur omnino deserere, tunc iis maximè assistit, juxta illud Apostoli, *persecutionem patimur, sed non derelinquimur,* 2. ad Cor. 4. Quod mirificè innotuit in magno Antonio. Qui, ut refert in ejus vita Athanasius, cum pœne usque ad internecionem à dæmonibus cæsus, semimortuus jaceret, Christi Iesu, post fortissimam in tantis doloribus tolerantiam, aspectu dulcissimo recreatus; *ubi eras*, inquit, *Domine Iesu, ubi eras? quare non à principio affuisti, ut sanares vulnera mea?* respondit que illi Dominus, *Antoni hic eram: sed expectabam videre certamen tuum.* Adest igitur Christus inter afflictiones electis, cum ab iis videtur abesse. Unde fit, ut sicut milites in acie, cum sciunt se pugnare inspectante Rege omnia, pericula fortissimè subeunt, ut dignum præbeant Regi, auliciſque spectaculum: ita electi contra mundi, diabolique molestias in hac vita fortiter dimicant, tanquam milites præsente Rege: qui hanc unicuique specialem præsentiam spopondit, dum dixit, *cum ipso sum in tribulatione.* Ideoque Christus Antonio, *Aderam*, inquit, *expectabam videre certamen.* Utique certantem militem Rex spectabat, ille nempe, qui dixit, *cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.*

2. Cor. 4.

Athnas.

CVIII. Antonio Christus adest in pœnis.

Ex quibus omnibus jam apparet, per specialem quandam Dei præsentiam majorem fieri conjunctionem, & unionem Dei cum eo, qui tribulatur: quæ major conjunctio majus quoddam trahit vinculum charitatis. Quod si charitas inter sponsos & sponsas ardentissima in ipsis nuptiarum initiis esse solet; talem utique esse inter Deum, & homines in tribulatione collocatos ostenditur. Mysterium hoc subobscurè innuunt apud Prophetam electi, dum dicunt, *transivimus per ignem, & aquam: & eduxisti nos in refrigerium,* Psal. 65. Per ignem, & aquam hic tribulationes designari videntur. Dixerat enim, *posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra:* Et statim subdit, *transivimus per ignem, & aquam.* Quamobrem in hunc locum Lyranus: *per ignem*, inquit, *ut B. Laurentius; per aquam,*

Sponsalia inter Deum & tribulatos.

Psal. 65.

Lyran.

ut B.Clemens, & alij. Hæc autem elementa, ut refert Valerianus in Hierogl.lib.46. ante ſponſos prælata, nuptiarum erant auſpicia. *Sacris,* inquit, *nuptialibus, ignis, & aqua præferri ſolita. Nam & hujuſmodi donaria novæ nuptæ apponebantur.* Cum igitur in hac vita tribulationes immittuntur electis, *aqua, & ignis ſacris nuptialibus præferuntur, donaria novæ nuptæ.* Ideoque inter prædeſtinationis ſigna collocanda ſunt tanquam auſpicia nuptiarum. Quamobrem poſt ignem, & aquam ſubditur, *& eduxiſti nos in refrigerium,* utique in quietem thalami nuptialis.

Valerian. Aqua, & ignis auſpicia nuptiarum.

Ideò dicitur Geneſ.5. *Sponſus ſanguinum tu mihi es,* quia non deſponſatur Chriſtus animæ, niſi per paſſiones, & pænas, per vulnera, & ſanguinem. Quamobrem Ambroſius lib. de Iſaac, & anima cap.5. *hoc eſt,* inquit, *præclarum munus ſponſalium Chriſti, ſanguis ejus, & paſſio.* Pœnæ igitur donaria ſunt, quæ mittuntur ſponſæ. Nempe ſicut, ut refert Tacitus lib.de moribus Germanorum, mos eis erat inter munera ſponſalia clypeos ſponſis bellicos mittere: ita Chriſtus clypeos tolerantiæ ad ſuſtinendas pœnas. Neque mirum, cum lectus, in quo ſponſa requieſcit cum ſponſo, ſit crux, de quo Cant.1. *lectulus noſter floridus. Lectulus* anguſtus quidem, ſed *floridus*: ideoque in crucis titulo oppoſitum eſt, *Ieſus Nazarenus*, quod idem ſonat, ac floridus: quia Chriſtus in cruce floridus, ſed non aliis floribus, quàm pœnarum; quippè, ut verbis utar Baſilii, *tormentis, quaſi variis floſculis iucundabatur.* Cum Chriſto igitur *ſponſo ſanguinum*, pœnæ donaria, crux lectulus, clavi annuli. Ideoque legitur virginem Tereſam à Chriſto deſponſatam fuiſſe non alio annulo, quàm clavo, ut oſtenderet eſſe ſe *ſponſum ſanguinum*? & dictum eſt ſupra, *præclarum munus ſponſalium Chriſti ſanguinem eſſe, & paſſionem.*

Geneſ.5.

Ambroſius. Sanguis, & paſſio munera ſponſalia.

Tacitus.

CIX.

Baſilius ord. de S. Barlaam.

Clavi annuli ad deſpõſandum.

Indicavit hoc etiam Sponſa, dum dixit, *oſculetur me oſculo oris ſui.* Cant. 1. Ab illo autem poſcebat oſculum oris, de quo dicitur Apocal. 1. *de ore eius gladius utraque parte acutus exibat.* Non datur igitur à ſponſo ſponſæ oſculum oris, niſi accepto à ſponſa vulnere per gladium, qui exit de ore ſponſi: ut intelligatur verè eſſe *ſponſum ſanguinum*, cujus ipſummet oſculum eſt ſanguineum: quippe *præclarum munus ſponſalium Chriſti ſanguis eſt, & paſſio*; ut dictum eſt cum Ambroſio. Sanguis igitur, vulnera, pœnæ, & quidquid ad patiendum pertinet, pertinet etiam ad ſponſalia Chriſti cum anima. Quocirca dies paſſionis appellatur dies deſponſationis. Cant. 3. *Egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua in die deſponſationis, in die lætitiæ cordis ſui.* Hoc autem de Chriſto, à matre ſynagoga novercalia exercente odia, ſpiritis coronato explicant Bernardus, & alii. Diem autem paſſionis vocat *diem deſponſationis, & diem lætitiæ*: quia per pœnas, & vulnera Chriſtus cum anima deſponſatur. Quod adnotans Theodoretus

Cantic.1.

Apocal.1.

Oſculum ſponſi ſanguineum.

Cantic.3.

Bernard.

Theodor. in hunc locum: *ultro*, inquit, *ad novos cruciatus accessit. Quamobrem desponsationis diem illum vocavit, & diem latitiæ cordis ejus. Tunc quippe nuptiarum communio facta est.* Quando igitur tribulatio incumbit, passio, ignominiæ, crux: signum est sponsalium animæ Christianæ cum Christo: atque adeo unusquisque electorum diem tribulationis excipere solet, *ut diem desponsationis, & diem lætitiæ cordis sui.* Quia cum *ad cruciatus acceditur, tunc fit nuptiarum communio*, ut cum Theodoreto dictum est. Quoniam verò in nuptiis maximè feruet dilectio inter sponsam, & sponsum: hinc patet in tribulationibus maximè efferuescere charitatem; ideoque Chrysostomus tract. de pœnit. *per tentamenta*, inquit, *torpor excutitur, & sanctus feruor immittitur.*

Dies passionis dies est desponsationis.

Chrysost.

In tribulationibus triplex charitatis actus.

Hic autem feruor charitatis exerceri solet in tribulationibus ab electis tripliciter. Primo cupiendo pœnas: secundò gaudendo in pœnis: tertiò gloriando de pœnis.

Christi desiderium patiendi. *Luca 12. Euthym. Bernard.*

Quoad primum, hoc prædestinatorum est proprium, ut pœnas non tolerent modo fortiter, sed etiam cupiant ardenter. Hoc patet primò in capite prædestinatorum Christo, qui de se dixit, *baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiam illud?* Lucæ 12. idest Angor, & crucior ex desiderio patiendi, *velut anxius propter tarditatem*, ut explicat Euthymius in eum locum. Christum imitatus Andreas, dum festinaret ad crucem, *crux*, inquit, *diù desiderata, & concupiscenti animo præparata.* Quæ verba expendens Bernardus lect. de triplici gen. bon. *Andreas*, inquit, *non modò patienter, sed & libenter, & audenter ad tormenta, sicut ad ornamenta: ad pœnas, sicut ad delicias properabat.* Idem desiderium, ac veluti famem pœnarum prætulit Laurentius, dum dixit, ut in ejus actis legitur, *Hanc mensam appeto, hanc sitio; non est famelicus, qui escam; aut sitiens, qui potum tàm avidè cupiat, quàm ego hæc omnia tormenta sitio.* Sitis quippe acrior esse solet, quàm fames. Vt autem ostenderet hanc pœnarum aviditatem proficisci ab amore, subjecit, *ut amorem amori, dolorem dolori, mortem morti rependam Christo meo*: ut non immeritò de eo, ob ardens patiendi desiderium, pronunciaverit S. Leo: *segnior fuit ignis, qui foris ussit, quàm qui intus accendit.* Passim idem est videre in vitis Sanctorum. De S. Ephrem narrat Climacus, rogasse à Deo, ut sibi tentationes permitteret, tanquam materiam merendi. De quodam monacho refert S. Dorotheus doct. 13. cum se vidisset à tentationibus liberum, ingemuisse dicendo, *Ergone, Domine, indignus sum, qui patiar, affligar, & tribuler?* S. Ignatius Loiola, cum persecutio in illum commota esset Salmanticæ, jamque destinaretur ad carcerem, *Non sunt*, inquit, *tot Salmanticæ compedes, tot catenæ, quàm ego plures pro Christo cupiam.* S. Franciscus Xaverius, cum illi omnia ferè pœnarum, & ærumnarum ge-

Andreas properat ad tormenta sicut ad ornamenta.

Laurentii fames pœnarum. *Acta S. Laur.*

CX.

S. Leo serm. de S. Laur.

Tribulationum in Sanctis viris cupiditas. *Climacus. Dorotheus.*

In SS. Ignatio, & Xaverio patiendi ardor. *Ribadeneyra in ejus vita.*

nera in quodam mentis excessu præmonstrarentur, exclamasse traditur, *non sat est: plura, Domine, plura.* Quippè illi plus animi erat ad perferenda supplicia, quàm totis inferni viribus ad inferenda, ad imitationem Christi Domini, qui postquam mare passionum exhausserat, *dixit: Sitio.* Ioan. 19. De S. Teresa legitur, cum vita illi non nisi ad patiendum placeret, dicere solitam, *Domine aut pati, aut mori:* perinde ac si ostentans clypeum tolerantiæ, cum Laconibus diceret, *aut cum hoc, aut in hoc.* De Pio Quinto Pontifice sanctissimo legitur, in summis ita clamitasse doloribus, *auge patientiam: auge & dolorem.* Accepi à quodam viro religiosissimo, postquam illi Deus omnes afflictiones ademerat, affligi se maximè ex hoc ipso capite, quod non affligeretur: & crucem se ferre in non cruce. Idem dicere consueverat, cum Deo infinitè amabili, agendum esse affectu infinito; nempe cupiendo, præter id, quod actu patimur, pœnas pro ejus gloria, si fieri posset, infinitas: Deumque ita precandum, *modò sim immunis à culpis, impende in me cruciando omnipotentiam tuam.* Hoc patiendi desiderium ita prædestinatorum est proprium, ut revelatum fuerit personæ cuidam fide valde dignæ, Beatis intra Paradisi omnimoda gaudia satiatis, si quæ dari posset materia cupiendi, hanc non fore aliam, nisi iterum patiendi pro Christo: videbanturque huic animæ illæ felices quodammodo invidere, quod doloribus vexaretur. Hæc de primo dilectionis actu circa desiderium patiendi, quo catere solent reprobi, abundant electi.

Ioan. 19.

S. Teresæ precatio, aut mori, aut pati.

Plutarch. in Apopht. Pii V. in doloribus tolerantia.

Affectus electorum ad pœnas, si fieri posset, infinitus.

CXI. Beatis, si quod inest desiderium, inest pro Christo patiendi

Ex hoc oritur secundus, nempe gaudere in pœnis. Hoc primùm videre est in prædestinatorum omnium duce Christo, qui noctem illam doloriferam, qua tristatus est usque ad mortem, appellari voluit *diem lætitiæ cordis sui* Cant. 3. quod expendens Riccardus Victorinus in Cant. *cum*, inquit, *adversa patimini, egredimini filiæ Sion ab imperfectione, & impatientia, ut leviter feratis illata; videte Regem vestrum pro vobis passum*, &c. *lætitiam Regis vestri considerate.* Tale autem fuit Christo in pœnis gaudium, ut pœnas existimans delicias, cum de passione loqueretur, *baptismo*, inquit, *habeo baptizari.* Lucæ 12. baptismum passionem vocat, idest, ut explicat Cornelius, & alii, Balneum, quo eo maximè tempore, ad delicias utebantur ante cænam Propterea Petrum, cùm illum à passione dehortaretur (quod horrent aures) Diabolum appellavit, *vade post me Satana: scandalum mihi es.* Matth. 16. Iudam verò, qui eum passioni tradidit, amicum nominat, *Amice ad quid venisti?* Matth. 26. quia, ut notat S. Leo serm. de passione, *impiæ illæ manus, dum proprio incumbunt sceleri, famulatæ sunt Redemptori*: nempe obsecundando ejus desiderio, & præbendo ei materiam patiendi. Vlteriùs; pati fuit illi adeo dulce, ut dies integer passionis visus illi sit brevis hora, Ioan. 2. *nondum venit hora mea.* Insuper mare passionum, de quo dixerat per

Electionis est signum gaudere pœnis. *Cant. 3. Riccard. Victor.*

Christi gaudium in Passione. *Lucæ 12. Cornelius.*

Passio Christi balneus.

Matth. 16. Matth. 26.

CXII. os David, *veni in altitudinem maris.* Psal. 68. calix illi exiguus visus est, amica manu porrectus, *calicem, quem dedit mihi pater, non vis, ut bibam illum?* Ioan. 18. simili quoque ratione, vulnera, quibus largissimè confossus fuerat, quia levissimæ illi visæ sunt punctiones, ideo juxta Christi sensum dixit Ioannes Apocal. 1. *& qui eum pupugerunt.* Hortum denique sibi elegit ad crucem, quippe *erat in loco, ubi crucifixus est, hortus.* Ioannis 19. ut in Calvarii doloribus, quasi in horti amœnitatibus deliciari profiteretur: doloresque salutis nostræ causa susceptos videri flores, rosasque sanguine purpuratas. Ideoque Bernardus lib. de pass. c. 35. appellat, *rosas passionis effusionibus crebris sacratissimi sanguinis specialiter rubricatas.* Hos flores ille hortus protulit; ut mirum non sit quod de cruce dixerit, *lectulus noster floridus.*

Psal. 68. Mare passionis calix Christo exiguus. *Ioan. 18.* Vulnera punctiones levissimæ. *Apocal. 1.* Calvarii dolores horti deliciæ. *Ioan. 19.* *Bernardus.*

Denique Ita Christus cruce delectatus est, & doloribus; ut, quemadmodum notat Bernardus loco cit. *tota ejus vita crux fuerit, & martyrium.* Quapropter Isaias c. 9. cum ejus nativitatem prædixit iis verbis, *Parvulus natus est nobis,* statim crucem adjunxit, *& factus est principatus super humerum ejus*: quia, ut alibi notatum est, ab ipsismet incunabulis crucem gessit. Quod observans idem Bernardus lib. cit. c. 36. *Isaias,* inquit, *de nativitate Christi loquens, puer dixit datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus, crucem, quam imperij nomine significavit, nativitati statim adjungens: quia profectò à nativitatis exordio passio ejus simul exorta est.*

Vulnera rosæ passionis. Christi tota vita crux, & martyrium. *Isaiæ 9.* *Bernard.*

Hæc de Christo gaudente doloribus. Christum imitati sunt Apostoli, de quibus dicitur Act. ca. 5. *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Quod perpendens Chrysostomus in eum locum, *fortitudinis*, inquit, *excellentissimus gradus est, non tantum patienter, & libenter; sed etiam lætanter adversa ferre.* Inter cæteros Paulus 2. Corint. 22. *placeo*, inquit, *mihi in infirmitatibes, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Quod si gaudere solent homines maximè, cum thesauros reperiunt, juxta id, quod dicitur Iob. 3. *quasi effodientes thesaurum, gaudentque, cum invenerint sepulchrum*: Paulus gaudebat in infirmitatibus, angustiis, tempestatibus, quasi thesauris repertis intra horrores sepulchri. Quæ est observatio Chrysostomi homil. 8. de laud. Pauli ubi. *Non aliter*, inquit, *delectabatur naufragiis, quàm cæteri acquisitis gaudere solent thesauris*; ac si essent illi pretiosa pericula, & quodammodò gemmeæ tempestates. Quod videtur indicari Iob. 38. dum illi, inter summos dolores, & angores, dicitur, *numquid ingressus es thesauros nivis, & venti?* Eò quod nives, & venti, quæ tribulationum sunt symbola, arcani sint quidam thesauri solis Dei electis cogniti iisque non minùs jucundi, quàm thesauri esse solent avaris. Ideoque Paulus in laboriosis

Act. 5. *Chrysost.* *2. Cor. 12.* *Iob 3.* *Chrysost.* *Iob 38.*

pro Christo navigationibus *ingressus thesauros nivis, & venti*, juxta id quod diximus ex Iob, *non aliter delectabatur naufragijs, quàm cæteri acquisitis gaudere solent thesauris*, ut dictum est cum Chrysostomo. Expendant hoc, qui ad salutem animarum navigationes Indicas meditantur: neque tempestates, aut naufragia metuant, iis evasura in thesauros.

Paulo conformes in doloribus hilariter toleratis fuere Stephanus,& Laurentius. quippe, ut ait Augustinus in soliloq.c.22.*Christi dulcedo torrentis lapides Stephano dulcoravit: & craticulam Laurentio dulcem fecit.*Ars quidem apud dulciores reperitur, qua cerasa subamara melle perfusa, vel saccaro, dulcissimè deguſtantur: nulla tamen ars humana inveniri potest, qua lapides, aut crates ferreæ, mellis aut saccari condimento inter bellaria numerentur. Sola autem hoc efficit Christi charitas: quæ *lapides Stephano,& craticulam Laurentio dulcoravit*, ut dictum est cum Augustino. Dulcedinem quoque infundit Christi charitas ipsismet lignis. Dulcis quippe visa est crux Andreæ: dulcedinem sapuit ipsum lignum,& clavi,juxta id quod canit Ecclesia *Dulce lignum, dulces clavos.* Sed *quid mirum*, ut ait Bernard. serm.p.de S.Andrea, *si cruci suavitatem dedit, qui dedit & igni? aut quomodo crux iudicatur insipida, si dulce sapit & flamma: sapiebat Laurentio ignis, cum irrideret carnifices, judicem subsannaret.*

CXIII. Charitate infusâ lapidibus, & cratibus, & lignis, cuncta dulcescunt.

Hoc etiam experiuntur communiter electi. quibus destinatis ad æternas delicias, pœnæ, & ærumnæ temporales pro Christi amore patienter perlatæ, dulces esse solent. De iis dicitur Deut. 33. *Inundationem maris quasi lac sugent.* Quia etiamsi in eos mare tribulationum inundet; amarissimos fluctus quasi lac dulcissimum sugunt. *Quid enim*, ut addit ibidem Bernardus, *non sapiat quæ pro Christo est tribulatio?* Ideo Augustinus loco cit. *Tu es*, inquit, *Domine, dulcedo, per quam omnia amara dulcorantur.*

Deut.33. Tribulationes electis lacteæ. *Bernard. Augus.*

Hæc dulcedo in pœnis adeo incomparabilis est,ut eam quandoque electi ipsius Paradisi gaudiis anteponant.Quamobrem Virgo Tecla, ut narrat in ejus vita Basilius Seleuciæ Episcopus,inter supplicia sic dicebat: *Mihi omne etiam mortis, & discriminis genus subeundum, ipsiusmet Paradisi delicijs, epulisque præponitur.* Neque mirum: cum in Paradiso Deus,quando se Beatis fruendum exhibet,nonnisi tribulationum,& pœnarum imaginem præ se ferat.Quippe visus est Ioanni Apocalyp. 4. *similis aspectui lapidis Iaspidis.* Hæc gemma autem tribulationes designat. Sive quia guttis conspersa sanguineis, *quasi mixto cruore subrutilat*, ut notat Hieronymus in Isaiæ 14. sive quia *rutilis stellata punctis, nubes complexa nives imitatur*, ut lib. 39. cap 9. notat Plinius, cæli stellati serenitatem, procellarum,ac tempestatum imagine circumvallans. Nimirum ipsamet Dei facies tunc

Tribulatio Paradisi gaudiis anteponitur. *Basilius.*

Apoca.4. Iaspidis tribulationes designat. *Hieronym. Plin.* Beati memoria

tribulationum fruuntur.

se Beatis jucundissimam exhibet, cum sanguinem, nubes, nives, ideſt cum tribulationum præfert imaginem. Ut quando Beati in Cœlo earum frui non possunt præsentia, fruantur saltem memoria.

Lactant. Tribulatio beatissimos reddit.

Nempe tribulationes sunt beatitudinis complementum. Ideoque Lactantius instit. lib. 3. *Patientia*, inquit, *doloris beatissimum facit.* Hæc autem in doloribus beatitudo, & jucunditas nonnisi ab amore proficiscitur. Quippe, ut ait Chrysostomus in 2. ad Cor. 4. *Animæ Deum amantis munus est afflictiones ferre, tolerare tentationes: simulque gratias agere ei, qui se tentari permittit.* Rationem reddit Augustinus lib. de Sancta Vid. quia *nullo modo onerosi sunt labores amantium, sed ipsi delectant. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur.* Ideo ait Bernard. serm. 1. de S. Andræa, eos *qui proficiunt, crucem Christi portare libenter: qui consummantur in charitate, amplecti iam ardenter.* Hæc de secundo amoris actu, quem in tribulationibus, ac laboribus exercere solent electi, in iis gaudendo.

Chrysost.

Augusst.

Electi in tribulationibus gloriantur.

Tertius actus est, gloriari in tribulationibus, ideſt eas summo sibi honori ducere: quod proprium esse solet electorum. Hoc videre est primùm in Christo: cui prædestinati omnes conformari debent, tanquam *primogenito in multis fratribus*, ad Rom. 8. Ipse enim loquens de passione imminente, eam suam clarificationem appellavit, cum dixit, *Pater clarifica filium tuum.* Ioannis 17. Quæ verba exponens Augustinus tract. 104. in Ioann. *Passione*, inquit, *dicitur clarificatus à Patre.* Passione utique inter sputa, flagella, opprobria clarificatus, cum *tenebræ factæ sunt super universam terram* Matt. 27. Quod adnotans Hilarius lib. 3. de Trinit. *Conspuendus*, inquit, *erat, flagellandus, crucifigendus: sed clarificat Pater, deficiente Sole.*

CXIV.

ad Rom. 8.

Passio, Christi clarificatio inter tenebras obscurari solis.

Ioan. 17.

Augusst.

Matth. 27.

Hilar.

Præterea in cruce sibi principatum constituit, juxta oraculum Isaiæ cap. 9. *Factus est principatus super humerum eius.* Quod observans Tertullianus lib. contra Iudæos, *Quis*, inquit, *Regum insigne potestatis suæ humero præfert? Solus Rex novus Christus Iesus novam gloriam, & potestatem humero suo extulit, ut exinde regnaret.* In quo veluti throno regni sui insignitum se ostendit sex illis titulis, quos ibidem subdidit, facta crucis mentione, Isaias: *& vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Admirabilis*, propter patientiam; *consiliarius*, propter sapientiam; *Deus*, propter declarationem Divinitatis; *fortis*, propter victoriam de diabolo, morte, & peccato; *pater futuri seculi*, propter electos, quos è lateris confessi vulnere parturivit; *princeps pacis*, propter pacem mundo redditam: quæ omnia exhibuit in cruce.

Crux principatus.

Isaiæ 9.

Tertull.

Christus in cruce Rex, sex titulis insignitus.

Denique Regis titulum, quem recusavit vivens inter plausus obsequentium turbarum, libenter accepit moriens inter odia persequentium

quentium : non alibi sibi regnum constituens, quàm in opprobrio crucis. Quia *in cruce*, ut notat Beda in Matth.26. *licet pro nobis hominis infirmitate dolebat : super crucem tamen regis majestate fulgebat.* Christum imitatus est Paulus, qui de seipso pronunciat, *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* ad Gal. 6. Et, ut hæc gloriatio intelligatur de crucis opprobriis ad se translatis, subdit, *per quam mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Quæ verba expendens Augustinus serm.20. de verb. Apost. *poterat*, inquit, *Apostolus gloriari in sapientia Christi, poterat in maiestate : sed dixit in cruce, Vbi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit. Vbi humilitas, ibi majestas ; ubi infirmitas, ibi potestas ; ubi mors, ibi vita.* Hoc commune esse electis omnibus significans idem Paulus, dum dixit ad Rom.5. *Gloriamur in tribulationibus.*

Pauli gloriatio de cruce.

ad Gal.6.

Augusti.

ad Rom.5.

Hæc autem gloriatio oriri potest ex duplici capite. Primum est gloria Dei, alterum gloria nostra. Gloriantur præcipuè electi in tribulationibus, quia tribulatio nostra est glorificatio Dei multipliciter. Primò, quia perducit homines ad cognitionem propriæ vilitatis. Quamobrem David Psalm.118. *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Secundò, quia perducit ad cognitionem potentiæ divinæ. Ideo dicitur Psal.49. *Invoca me in die tribulationis : eruam te, & honorificabis me.* Tertiò, quia est ostensio divinæ bonitatis, amabilis super omne bonum : quæ amabilitas maximè ostenditur amplectendo ex ejus amore, quoad fieri potest, omne malum : & quò malum, quod pro Dei amore toleramus, est majus ; eò magis declaratur Dei amabilitas, pro quo libenter amplectimur tale malum, cum voto tolerandi majora. Ita pulchritudo mulieris eò plus innotescit, quo plus pro ejus amore laborum, ac dolorum subitur. Quartò tribulatio justorum est glorificatio Dei, quia testimonium affert æternæ vitæ, vindicans providentiam à calumnia. Nam cum ad divinam providentiam pertineat nulla bona irremunerata relinquere, nulla mala impunita ; dum videntur in præsenti vita mali prosperitatibus affluere, boni adversitatibus cruciari : argumentum est evidens dari vitam alteram, in qua justorum opera præmium à Deo habeant ; improborum delicta pœnam.

Gloriatio in tribulationibus ex duplici capite.

Tribulatio nostra, est glorificatio Dei multipliciter.

Psal.118.

Psal. 49.

CXV. Quinque Chrysostomi rationes, cur Deus tribulationes electis immittat.

Has omnes, aliásque rationes, cur Deus tribulationes electis immittat, tradidit Chrysostomus hom.1.super illud Apostoli. *Modico vino utere*, Ubi, *Prima*, inquit, *ratio est, quia cum facilè in arrogantiam propter meritorum magnitudinem extollantur, sinit ipsos affligi. Secunda, ne cæteri de ijs majorem habeant opinionem, quam humana patiatur natura ; & ipsos Deos, non homines arbitrentur. Tertia, ut Dei virtus appareat, per ægrotantes & compeditos exuberans. Quarta, ut ipsorum patientia manifesta fiat, non propter mercedem Deo servientium, ut post tot mala sincera in ipsis ostenda-*

tur benevolentia. Quinta, ut de resurrectione cogitemus. Cum enim virum iustum innumera passum mala, atque ita hinc digressum vides; oportet ex hoc omnino aliquid de alio judicio cogitare. Hæc ibi Chrysostomus aurèè: quæ multis postea sigillatim confirmat. Ex his liquidò apparet, tribulationes justis immissas dirigi ad Dei gloriam.

3. Reg. 8. Nebula tribulationis est symbolum. *Hug. Card.* Tribulatio est ipsamet Dei gloria. *Psal. 90. Glossa.*

Atque hæc fortasse est ratio, cur in sacris literis nebula dicatur gloria Domini 3. Reg. 8. *Nebula implevit domum Domini.* Et paulo post, *Impleverat gloria Domini domum Domini.* Quem locum explicans Hugo Cardin. *Nebula*, inquit, *idest gloria Domini.* Quia scilicet non in sole prosperitatum, sed in nebula, quæ sua obscuritate tribulationum est symbolum, sita est Dei gloria. Quod si tribulatio signum est divinæ præsentiæ, juxta id quod dictum est ex Psalm. 90. *cum ipso sum in tribulatione:* nebula, ut observat in loc. cit. Regum Glossa, *signum erat divinæ præsentiæ*; & sic dum tribulationem adumbrat, ipsamet nebula est gloria Domini, ut dictum est cum Hugone. Electi igitur cum Paulo *gloriantur in tribulationibus*; quia ex amore, quo feruntur in Deum, gloriantur de Dei gloria.

Tribulatio gloria electorum.

Alterum caput gloriationis est, quia tribulatio à Deo sive immissa, sive permissa, est electorum gloria: idque ex triplici capite. Primò, quia per eam conformantur Christo in eo, quod omnium gloriosius est in Christo. Ideo Petrus epist. 1. cap. 4. *Si exprobramini*, inquit, *in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, & gloriæ, & virtutis Dei, super vos requiescit.* Quidquid est honoris, & gloriæ, in opprobriis collocat. Quia ut notat Cyrillus Hierosol. catech. 13. *Gloriatio Ecclesiæ Catholicæ est omnis Christi actus: gloriatio verò gloriationum est crux.* Christus quippe gloriosiorem se præbuit cum passus est pro creaturis, quàm cum condidit creaturas. Quod animadvertens Chrysostomus hom. 4. in epist. ad Hebræos, *Deus*, inquit, *in hoc eum* (Christum) *honoravit, quod per passiones deduxit carnem susceptam: eaque susceptam passum esse, longè majus est, quàm mundum fecisse, & ex nihilo produxisse.* Passiones autem ita gloriosæ sunt Christo, ut quando post mortem visus est Ioãni Apoc. 1. cum tanta gloria, ut de eo dixerit, *Facies sicut sol lucet in virtute sua:* visus etiam sit in medio tribulationum, & passionum. Subdit enim, *Pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti.* Quia sicut aurichalcum in igne clarescit, ita Christi humanitas in fornace tribulationis. Quæ animadversio est Ruperti in eum locum. Ubi, *Sicut*, inquit, *aurichalcum multis ignium impendijs perducitur ad colorem auri: ita & illa humanitas per multas tribulationes passionis, & mortis, perducta est ad gloriam majestatis.* Ut scilicet cum electi purgantur tanquam aurum in camino tribulationis, sciant se in hoc conformari cum Christo. Quamobrem Bernardus sermon. 17. in

CXVI.

Cyrillus.

Chrysost. Christus admirabilior in passione, quàm in creatione. *Apoc. 1.*

Rupert.

Bernard.

Psalm. Qui habitat, *Bonum*, inquit, *mihi tribulatione magis amplecti te, in camino habitare te mecum, quàm esse sine te vel in cælo.* Quia scilicet Christi *pedes similes aurichalco, sicut in camino ardenti.* Christus autem ideo passus est plùs quàm cæteri, ut tanquam *primogenitus in multis fratribus*, illustrior esset quàm cæteri. Quod adnotavit Chrysostomus loco cit. ubi, *Fecit*, inquit, *Deus omnibus illustriorem primogenitum.* Et infra, *In hoc primùm eum honoravit, quod per passiones deduxit.* Electi igitur cum Paulo gloriantur in tribulationibus, quia milites conformantur Duci, membra capiti. Quippe juxta effatum illud Bernardi, *non decet sub capiti spinoso membra esse delicata.*

Christus in fornace tribulationis.

Chrysost.

Bernard.

Secundò electorum tribulationes gloriæ sunt ipsorum, quia augent cumulum meritorũ. Sicut igitur milites gloriantur vulneribus; quia materiam apud Regem exhibent præmiorum: ita, &c. Quod notans Chrysostomus hom. 17. in c. 7. Act. cum ad tribulationes libenter subeundas hortaretur exemplo militis, *Miles*, inquit, *qui pluribus impetitur vulneribus, & resistit, nonne cum magna redit voluptate, vulnera testimonium libertatis habens, fulgoris, & claritatis?* Quod etiam animadvertit Seneca lib. de provid. c. 4. ubi, *Pati*, inquit, *gloriæ pars est. Militares viri gloriantur vulneribus*: gloriantur autem tanquam de servitio Regi exhibito, inspectante Rege. Quod perpendens Cyprianus epist. ad Thibarit. *Prœliantes*, inquit, *& pugnantes spectat Deus, spectant Angeli, spectat & Christus.* Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas præsente Deo congredi, & Christo judice coronari? Hoc argumento solabatur afflictiones suas Stephanus monachus. Qui, ut refertur in histor. tripart. lib. 8. c. 1. sic secum animo reputabat. *Crucem hanc si merui, feram; ut pro peccatis satisfaciam: si non merui, feram; ut coronam augeam. Vt ut erit laudem habebo, decusque vel pœnitentiæ, vel patientiæ.*

CXVII.

Chrysost.

Electi gloriantur tribulationibus, ut milites vulneribus.

Seneca.

Electi pugnant in tribulationibus, spectante Christo.

Cyprian.

Histor. trip.

Tertiò tribulatio est electorum gloria, tanquam suprema gloria, quæ conferri solet à Deo sibi clarissimis. Ideo habetur Tobiæ 12. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Quia, ut notat Chrysostomus epist. 8. ad Olympiam de tribulatione loquens, *Hæc est coronæ perfectio, hoc virtutis cacumen, hæc fortitudinis aperta probatio.*

Tob. 12.

Chrysost.

Tribulatio virtutis cacumen.

Hoc apertiùs videre licet in Iob, qui cum talis esset divino testimonio, ut *similis ei non esset in terra.* Iob 1. factus est ærumnarum omnium scopus, singularis patientiæ documentum. Quod in maximam ei gloriam cessit. Ideo Tertullianus lib. de pat. c. 14. *Felicissimus*, inquit, *ille qui omnem patientiæ speciem adversus omnem diaboli vim expressit. Quale in eo feretrum diabolo extruxit. Quale vexillum de hoste suo extulit, cum ille ad omnem acerbum nuntium nihil ex ore promeret, nisi gratias Deo?* clariorem porro reddidit

Tertull.

Iob feretrũ Diaboli, vexillum Dei.

CXVIII. Iob ex tribulatione clarior. *Chrysost.*

Iob tribulatio, quam prosperitas, etiam cum virtute traducta. Quod argumentum uberiùs prosequens Chrysostomus loco citato, *Quando*, inquit, *erat Iob illustrior, cum domum suam omnibus adventantibus aperiebat; an cum, ea ruente, verba amara non protulit? Quando splendidior, cum sacrificabat pro filiis suis, & eos ad concordiam congregabat; an cum, iis amarissimo mortis genere extinctis, pertulit quod evenit? Quando ille potius radiavit, cum de tonsura ovium suarum calefacti sunt humeri nudorum; an cum audiens ignem descendisse de cælo, & exedisse cum pastoribus greges, non est turbatus? Quando major eluxit, cum sanitate corporis ad oppressorum patrocinium utebatur; an cum hoc idem corpus, ideſt indigentium scutum, vermibus videbatur absumi?* Concludit tandem clariorem fuisse Iob in tribulationibus patiendo, quàm fuerat ex heroïcis aliis virtutibus operando. Ideo, *Illa quidem, præclara erant facinora; ista verò omnia, passiones. Sed tamen ista eum clariorem fecere, quàm illa.*

Electi omnes tribulati. *Hebr.* 11.

Hæc clarissima dignitas patiendi, electis tum veteris, tum novi testamenti collata est. De prioribus habetur ad Hebræos 11. *alij distenti sunt: alij ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti.* Inter hæc tamen omnia sublimes, & clari: ideo subdit, *Quibus dignus non erat mundus.* De posterioribus dicitur 2. ad Timot 3. *Omnes, qui piè volunt vivere in Christo Iesu persecutionem patientur.* Quod expendens Chrysostomus homil. 66. ad pop. Antioch. *Tu*, inquit, *neque paulo melior es, neque Petro; qui nunquam requiem assecuti sunt; sed fame, & siti, & nuditate laboraverunt.* Et infra, *Omnes sanctos Deus per tribulationes, & angustias agebat.* Denique de electis utriusque testamenti dicitur Sap. 3. *Deus tentavit eos, & invenit eos dignos se: tanquam aurum in fornace probavit eos.* Dum dicit, *Invenit eos dignos se:* dignitas tribulationis ostenditur, quæ reddit homines dignos Deo. Dum dicit; *Tanquam aurum in fornace*, &c. tribulationis ostenditur claritas. Quippe, ut notat Tertullianus lib. de habitu mul. *Aurum terræ nomen in igne relinquit, atque exinde de tormentis ad ornamenta, de suppliciis in delicias, de ignominiis in honores metalli refuga commutatur.* Christus autem, & ad ejus similitudinem electi, ut notat Petrus Cellensis lib. 1. mysticæ expositionis tabern. *tabernacula sunt de auro purissimo, quod igne clarescit, malleo proficit, passione dulcescit, & omni pretio pretiosius eluceſcit.*

2. Tim. 3. Chrysost. *Sap. 3.* *Tertull.* *Petrus Cellensis.*

CXIX. *Cornel.*

Hæc tribulationum claritas claritati regiæ comparatur, quæ suprema est inter humanas. Ideo dicitur Apocal. 1. *Particeps in tribulatione, & regno, & patientia.* Quia scilicet, ut hic notat Cornelius,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Christianorum regnum est tribulatio. Ideo Paulus ad Galat. 6. passiones tanquam insignia jactans regalia. *Ego*, inquit, *stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* In quem locum Chrysostomus, *Non dixit,* inquit, *habeo, sed porto: tanquam aliquis de trophais glorians, signisque regalibus.* Idem homil. 8. de laudib. Pauli, *Non minùs,* inquit, *plagis suis gaudebat, quàm triumphis regiis.* Progreditur ulteriùs Chrysostomus, tribulationibus postponens consulatus, & regna. Ideo hom. de patientia Iob, *Magna,* inquit, *dignitas, regno, & consulatu, universisque major pro Christo ligari.* Vnde infert hom. 9. in c. 4. ad Ephes. *Malle se videre semel Paulum è carcere exeuntem cum vinctis; quàm millies videre Reges, & consules cum illa satellitum stipantium caterva.* Quippe, ut supra diximus, pro Christo ligari dignitas est, regno, consulatuque major. *Chrysost.*

Huc facit id, quod de Sancta Catharina Senensi legitur. Cui cum Christus coronas duas obtulisset, gemmeam unam, alteram spineam, illam regni, hanc passionis insigne: hanc arripuit, neglecta illa. Neque immeritò; cum regnum sublimius oculo fidei in corona spinea cerneret. Quod mysterium innuitur Isaiæ c. 9. iis verbis, *Factus est principatus super humerum ejus.* Vbi, ut notat ibi Cornelius, legitur ex Hebræo, *Factum est imperium è spina.* Quia scilicet Christo corona spinea, cæteris corona tribulationis designatæ per spinam, principatum, & imperium exhibet. Ideoque Catharina coronam sibi non in gemma delegit, sed in spina. Hoc totum operatur charitas, & dilectio. Idcirco, ut est antiquorum Rabbinorum traditio, in annulo Salomonis insculpta videbatur complicata quædam spinarum textura, cum inscriptione, *Victoria amoris,* quia nimirum hoc amor evicit, ut foret *imperium in spina*: idque quovis terreno regno nobilius; quia *pro Christo pati dignitas est regno major*, ut dictum est cum Chrysostomo. *Isaiæ 9.*

Salomonis annulo insculptæ spinæ.

Hanc dignitatem non regno solùm, sed etiam ipso Apostolatu majorem existimavit Paulus, dum dixit. *Obsecro vos vinctus in Domino* ad Ephes. 4. Erat ille & Apostolus, & vas electionis, & doctor gentium: hos tamen titulos minùs fecit, quàm hunc, *Vinctus in Domino.* quia scilicet tribulatio patienter passa pro Christo, dignitas quodammodo major visa est Apostolatu, & Doctoratu gentium. Quæ est animadversio Chrysostomi loco citato. Vbi: *nihil,* inquit, *tam clarum est, quàm vinctum esse pro Christo: ita ut catenæ illæ Apostolatu, & Doctoratu multò sint clariores, majorique veneratione dignæ.* *Ad Ephes. 4.* Paulus clarior ex vinculis quàm ex Apostolatu.

Tribulari pro Christo dignitas Apostolatu major. *Chrysost.*

Porro inter Apostolatus miracula nullum illustrius, quàm resurrectio mortuorum. Hac tamen tribulatio est illustrior: atque admirabilius est pati pro Christo, quàm mortuos suscitare. Ideoque Chrysostomus ibidem: *Si quis,* inquit, *mihi mortuos suscitare dederit; non*

Tribulari pro Christo illustrius est quàm mortuos suscitare.

hoc, sed catenam eligerem. Ratio hujus est, quia mortuos suscitare est gratia gratis data, quæ conferri potest à Deo etiam inimicis. Pati verò ex amore in Christum, non confertur nisi amicis: cum charitas sit habitus concomitans gratiam sanctificantem. Præterea resurrectio mortuorum est merè opus Dei absque ullo merito resuscitantis. Pati verò spontaneè est cum merito patientis: & sic constituit sibi Deum præmii debitorem. Hanc rationem reddit Chrysostomus homil. 4. in epist. ad Philipp. ubi, *Pro Christo*, inquit, *pati munus est admirationis majoris, quàm mortuos suscitare: nam illic quidem debitor sum, hic verò debitorem habeo Christum.*

CXX. Tribulatio confertur cum Paradisi gloria.

Denique tribulationis dignitas non solùm transcendit has omnes gratias gratis datas; sed confertur etiam cum ipsamet Paradisi gloria. Ideo de Paulo loquens Chrysostomus homil. 40. *Livoribus*, inquit, *quos ei verbera inferebant, quasi quibusdam gloriabatur coronis: tribulationibus ut diliciis utebatur: squalore carceris ut Paradisi amœnitate gaudebat.* Addo, eligibilius fortasse fore amanti Christum, pati pro Christo, quàm gaudere cum Christo. Quod annotans idem Chrysostomus hom. de patientia Iob, *si quis*, inquit, *amat Christum; novit quod dico. Eligeret fortasse vinctus esse pro Christo, quàm cœlos inhabitare.* Addubitat etiam an vinciri pro Christo clarius sit, quàm sedere à dextris Christi super sedes duodecim cum Apostolis. Ideo subdit. *Nam fortè hoc clarius, quàm in dextris ejus sedere: hocque clarius, quàm super duodecim sedes sedere.*

Chrysost. Tribulatio Paradiso antefertur.

Demum, omni dubitatione postposita, passiones pro Christo proponit toti gloriæ Paradisi. Ideo, *si quis*, inquit, *me cælo condonet omni; vel ea, qua Pauli manus vinciebatur catena: hanc ego honori præponerem.* Vlteriùs, Pati vincula Angelis & Potestatibus Deo fruentibus anteponit. Quamobrem subdit: *Si quis me cum Angelis statuat, aut cum Paulo vincto, vincula eligerem. Si quis me cum illis statuat Potestatibus, quæ circa thronum sunt, aut vinctum talem; talem eligerem potiùs etiam vinctum.* Nimirum ad Angelorum gaudia trahi poterat amore concupiscentiæ, honesto quidem, & sancto: ad vincula verò, & tribulationes pro Christo, nonnisi amore amicitiæ. Cohærenter autem Chrysostomus loquitur, dum ipsummet Paulum vinctum cum Paulo ad cælum rapto, & ibi, ex Augustini aliorumque sententia, Deum vidente, comparans: Paulum beatiorem ex vinculis, quàm ex Dei visione pronunciat hom. 5. de patientia Iob. Vbi, *Non eum*, (Paulum) inquit, *sic dico beatum, quod tertium usque ad cælum, & in Paradisum raptus est, quàm quod in vincula conjectus.* Iurè igitur Paulus, cæteris postpositis, hoc maximè titulo gloriatur, *vinctus in Domino.* Nimirum pati pro Christo absolutè dignitatibus omnibus antefertur. Ideo concludit Chrysostomus hom. cit. de beato Iob. *Nihil melius, quàm*

Paulus beatior ex vinculis quàm ex raptu ad cælum.

August. hom. 46. ad fratres de eremo. Chrysost.

mala pati pro Christo. Summa igitur dignitas, pro Dei amore susceptа tribulatio, quæ honoribus omnibus antecellit. Unde fit ut de ea electi, ex amore, quo propter Deum in illam à Deo aut immissam, aut permissam feruntur, tanquam de re honorificentissima summopere glorientur. Unde fit ut ab ejus gloria collata iis in hac vita, pignus habeant æternæ gloriæ conferendæ iisdem in altera; & in Paradiso tribulationis, arrham habeant Paradisi exultationis. Ex his omnibus firmum omnino remaneat, in tribulatione pro Christo patienter susceptа signum inesse pœnè perspicuum prædestinationis ad gloriam. Quod erat probandum.

Summa dignitas pati pro Christo.

Tribulatio Paradisi arrha.

Amplio hoc dictum primò ad omnes eos, qui non solùm pro fide Christi, sed etiam aut pro justitia, aut inoocenter, aut quomodocunque in pœnam præteritarum culparum, patienter tribulationes tolerant. Quippe hoc ipsum est eas tolerare pro Christo: sive ut conformentur Christo passo: sive ut per eas evellantur ab iis, quæ contradicunt voluntati Christi: sive ut per eas pro peccatis præteritis satisfaciant Christo. Totum hoc est persecutionem pati pro Christo, si tribulatio patienter feratur. Ideo Iob non pro fide Christi passus, sed innocenter passus à Chrysostomo æquiparatur martyribus hom. de B. Iob. ubi, *visa*, inquit, *est profecto magna martyrum gloria: sed nescio an minor fuerit S. Iob.* & hom. in 2. ad Cor. plurimis simul martyribus illum exæquans, *Quis est*, inquit, *martyr cui hic non possit æquari? Immo martyres innumeros hic unus æquat.* Patientia igitur sine ferro, & sanguine reddit martyrem. Ideo Gregorius lib. 3. dial. cap. 26. *ij*, inquit, *qui occulti hostis insidias tolerantes, suosque in hoc mundo adversarios diligentes, cunctis carnalibus desideriis resistentes, per hoc quod se omnipotenti Deo in corde mactaverunt, etiam pacis tempore martyres fuerunt.* Idem omnino contingit in iis, qui patienter pœnas tolerant, sive à Deo, sive ab hominibus pro peccatis illatas. Idcirco fortasse S. Latro, qui crucem pro patratis delictis patienter sustinuit, à Hieronymo appellatus est martyr, epist. 13. ad Paulinum. Vbi; *Latro*, inquit, *crucem mutat Paradiso: & homicidij pœnam facit martyrium.* Unde inferre possumus cum eodem Gregorio lib. 2. in Evang. hom. 35. *nos sine ferro posse esse martyres: si patientiam veraciter in animo custodimus.*

CXXI.

Iob ob patientiam æquiparatur martyribus. *Chrysost.*

Gregor. Patientia in tribulationibus facit martyrem.

S. Latro martyr patientiæ. *Hieronym. Gregor.*

Amplio secundò ad tribulationes voluntarias, quas electi sustinent se affligendo jejuniis, ciliciis, flagellis, aliisque id genus asperitatibus. Quippe eò magis meritoriæ sunt, quò magis habent de libero. Quod animadvertens Anselmus in comm. ad Rom. 5. in ea verba, *gloriamur in tribulationibus. Tribulationes*, inquit, *quibus patientia fidelium probatur, non solùm eas debemus intelligere, quæ extrinsecus accidunt, ideſt de damnis, vel languoribus, vel quolibet corporis cruciatu: sed eas etiam, quas intus sibi faciunt, vel perferunt: dum in requie positi semetipsos affligunt.*

Voluntariæ afflictiones corporis numerantur inter tribulationes pro Christo. *Anselm.*

Amplio tertio ad eos, qui tentationes tolerant, iis viriliter obstendo. Ideo dicitur Eccles. 2. *Fili accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Quæ verba expendens Gregorius 24 moral. cap. 33. *non ait*, inquit, *ad requiem, sed ad tentationem, quia hostis noster quantò magis nos sibi rebellare conspicit, tantò ampliùs expugnare contendit.* Tentatio igitur signum est, quod anima jam ad Dei servitutem accesserit. Ideo dicitur, *accedens ad servitutem Dei præpara, &c.*

Eccles. 2. Gregor.

CXXII. Tentationis triplex genus.

Tentatio autem tribus modis potest accidere, in quorum unoquoque prædestinationis est signum. Primò potest insurgere ex propriis passionibus, per motus rationi rebelles. Quibus dum voluntas resistit, fit quoddam internum certamen, ac lucta inter sensum, & rationem sui obluctantem. Hanc inter tribulationes, quas pro Christo electi perferunt, numerandam censet Anselmus loco citato, dum dicit, *tribulationes, quibus patientia fidelium probatur, esse eas etiam, dum obsistunt voluptatibus suis, refranando libidinem, & quæ ad bonum continentiæ pertinent, faciendo.* Quam tribulationem appellat Anselmus, persecutionem vocat Chrysostomus in acta Apost. homil. 24. hancque majorem esse affirmat, quàm fuerit tyrannorum persecutio contra fidem. *Vides*, inquit, *nunc majorem esse persecutionem, invadentibus nos undique passionibus, tanquam bestijs?* Alludit ad eos, qui ad bestias damnabantur, earumdem expositi sive morsibus, sive unguibus. Idem clariùs explicavit Hieronymus epist. 1. ubi: *Inde*, inquit, *me persequitur luxuria: inde avaritia conatur irrumpere. Inde venter meus vult mihi Deus esse pro Christo: & compellit libido, ut Spiritum Sanctum fugiam, & ejus templum violem.* Non est igitur sola persecutio, cum tyrannus, cum satelles, cum ad idololatriam compellit carnifex: sed etiam cum ad peccandum impellit tyrannis concupiscentiæ: adsuntque stimuli carnis tanquam satellites, mœror ex fuga voluptatis tanquam carnifex. Quod etiam adnotavit Origenes hom. 7. in Genes. ubi *Non illam*, inquit, *solùm persecutionem putes, quando furore Gentilium ad immolandum idolis cogeris: sed si fortè te voluntas carnis illiciat, si tibi libidinis alludat illecebra; hæc tanquam persecutionem fuge.* Denique ipsa præceptorum observantia contra inclinationem sensus, muta quædam persecutio est tolerata propter Deum. De qua dicit Propheta Psal. 16. *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* In hoc sensu dicitur à Paulo 2. ad Tim. 3. *omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Quia, ut ait S. Leo sermon. 9. de quadrag. *nunquam deest tribulatio persecutionis, si non desit observantia pietatis.* In hac autem persecutione, signum prædestinationis ex tribulatione habet qui suggestionibus sensuum non consentit. Neque enim Deus electis concedit carnis, passionumque molestias non sentire:

Anselm. Tribulatio ex motibus passionum persecutioni æquivalet.

Chrysost. Persecutio propriarum passionum major, quã tyrannorũ.

Hieronym.

Origenes.

CXXIII.

Psal. 16.

2. Tim. 3. S. Leo.

Persecutionem pro Christo patitur, qui

tire: sed tantùm tribuit non consentire. Ideo Bernard. de inter. domo; *molestia*, inquit, *est lucta, sed fructuosa: quia, si habet pœnam, habebit & coronam*; (Ecce prædestinationis pignus) *non nocet sensus, ubi non est consensus: immo, quod resistentem fatigat, vincentem coronat.* Hæc de tentatione ex propriis passionibus insurgente.

suggestionibus sensuum non consentit. *Bernard.*

Alterum tentationis genus est à Dæmone, sive immittendo cogitationes turpes contra castitatem: sive dubia contra fidem: sive spiritum blasphemiæ contra Deum, aut sanctos: sive spiritum tristitiæ, & desperationis; sive anxietates, & scrupulos. Quæ omnia ad genus quoddam pertinent persecutionis tantò acrioris, quantò occultioris; tantò sævioris, quantò tyrannum habet peiorem, nempe diabolum. Quod observans Augustinus in Psal. 127. *Non*, inquit, *quia Diabolus modò per Reges non sævit, ideo non Christiani persecutionem patiuntur. Si mortuus est Diabolus, mortuæ sunt persecutiones. Si autem ille adversarius noster vivit, unde non tentationes suggerit? unde non sævit? unde non ruinas procurat, & scandala?* Hæc autem dæmonum oppugnatio prædestinationis est signum. Neque enim eos oppugnant, qui suis passionibus regendos se tradunt. Iis quippe proprij appetitus sunt pro Dæmonibus: & ut dixit, referturque in vitis Patrum lib. 7. cap. 25. Abbas Abraham, *nostræ nobis voluntates Dæmones factæ sunt.* Sed eos oppugnant, qui obsistunt: atque ad eos infestandos sæviores redeunt, à quibus victi sæpius discesserunt. Quod adnotans Climacus gradu 27. *Nullum*, inquit, *certius argumentum est, quod Dæmones à nobis sunt victi, quàm si nos acerrimè oppugnent. Si enim illis omnino resistas fortissimè, oppugnabunt te acriter.*

In tentationibus non nocet sensus, ubi non est consensus.

Tentatio à dæmone persecutionis est genus. *Augusti.*

Improbis proprij appetitus sunt pro dæmonibus. *Vit. Patr.*

Climacus.

Dæmones eos acriùs oppugnant, à quibus victos se agnoscunt.

Addo, quantò quis oppugnatur acriùs, tantò signum habere majus prædestinationis insignioris per merita uberiùs cõgregata. Sicut piratæ eas naves acriùs insequuntur, quas norunt esse mercibus onustiores: ita & Dæmones eas maximè animas invadunt, quas vident meritis ditiores: ut majorem ex iis prædam percipiant, per scandalum proximorum. Quæ est animadversio Chrysostomi hom. 31. in Gen. ubi, *quemadmodum*, inquit, *piratæ, quando vident navem multis mercibus oneratam, tunc potissimùm variis moliuntur insidijs, ut navigantes possint mercibus spoliare: ita sanè Diabolus, cum videt spirituales divitias coacervatas, tunc quasi pirata circuit: ut quidquid in nobis est spiritualium divitiarum prædetur.* Hoc breviùs explicans Euthymius in Matth. 4. *Diabolus*, inquit, *ubi divitias congregatas videt: ibi aciem instruit.* Ad morem utique latronum, qui ditioribus insidiantur. Ad hoc fortasse significandũ Christus ipse tentari voluit post baptismum: ut intelligeremus electos, ideſt membra Christi, tunc maximè tentari, cum videntur proficere. Quæ est observatio Gregorij lib. 28. moral. cap. 7. ubi *Hoc*, inquit, *in seipso Dominus*

Dæmones, sicut piratę, naves ditiores invadunt. *Chrysost.*

Euthym.

Christus cur tentari voluerit post baptismum.

Greger.

figuravit : qui diabolum nonnisi post baptismum se tentare permisit : ut nobis innueret, quod membra eius, postquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum insidias tolerarent.

Iob 40. Iordanis electorum symbolum.

Hoc idem alia similitudine innuitur Iob 40. ubi de Diabolo loquens, *absorbebit*, inquit, *fluvium ; & non mirabitur: & habet fiduciam, quod Iordanis influat in os eius.* Iordanis fluvius Christi Domini baptismate sacer, electorum, & sanctorum est symbolum ; in quos diabolus impetum facit: ut eos tanquam fluvios meritis inundantes absorbeat. Quæ est expositio Gregorij lib. 33. mor. cap. 6. in ea verba, *habeat fiduciam quod Iordanis*, &c. *Illos*, inquit, *magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studijs jungi iam cælestibus contemplatur.* Idem significatur Habacuc. 1. cum de Diabolo dicitur, *cibus eius electus.* Quod perpendens Hieronymus. ad Eust. de cast. Virgin. *Escæ*, inquit, *eius electæ sunt. Iob subvertere cupit : & devorato Iuda, ad cribrandos Apostolos expetit potestatem.*

Gregorius.

CXXIV. *Habac* 1. Dæmonis cibus electus. *Hieronym.*

Quando igitur alicujus animam Diabolus famelicus expetit, signum est quod illa sit inter electos : quandoquidem *escæ eius electæ.* Quod docens S. Leo serm. 1. de quadrag. *intelligamus*, inquit, *quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus : tanto nos vehementius ab adversarijs impetendos.* Quia, ut Hilarius notat in cap. 4. Matth. *Victoria est ei magis exoptanda de sanctis.* Victoria autem de hoc hoste magis est nobis expetenda, quàm de aliis : & oppugnari à Dæmone, non expugnari, maximum prædestinationis est signum. Quippe nihil hoc hoste fortius. Nimirum, ut refertur in vitis Patrum lib. 7. cap. 25. ex effato Abbatis Lisoi, *infirmos quosque non dignatur appetere : sed fortes magis, ac magnos deijcere per diversa præcipitia aggreditur.* Ideo ob eximiam fortitudinem assimilatur leoni, rugitu ipso feras cæteras exterrenti. 1. Petri 5. *tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret.* Ab electis tamen quasi formica æstimatur. Ideo appellatur à Gregorio lib. 5. moral. cap. 16. *myrmicoleon.* Quia, ut ibidem subdit, *hoc animal valde parvum, formicis adversum, formicas ut leo devorat : sed ab alijs quasi formica devoratur. Quia diabolus contra electos est timidus, contra subditos audax.* Nihil illo callidius. Nempe, ut notat Isidorus lib. 1. de summo bono, *Dæmones triplici acumine præscientiæ vigent, scilicet subtilitate naturæ, revolutione superiorum potestatum, experientia temporum.* Idcirco ut advertit Cyprianus tract. 3. de præl. simpl. *Diabolus dictus est serpens : quia cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens occultis serpit accessibus ; ea est eius astutia, ea circumveniendi homines cæca, & latebrosa fallacia : ut asserere videatur nocte m pro die, venenum pro salute, desperationem pro obtentu spei, sub prætextu fidei perfidiam.* Denique nihil illo pravius, aut malignius. Quod advertens Augustinus sermon. 4. ex commen. *Quid*, inquit, *pravius*

S. Leo.

Hilarius. Oppugnari à dæmone, non expugnari, maximum prædestinationis est signum. *Vit. Patr.*

Dæmonis fortitudo. 1. *Petri.* 5.

Dæmon cur dictus myrmicoleon. *Gregor. Isidor.*

Dæmonis calliditas.

Cyprian.

Dæmonis malignitas. *August.*

quid malignius, quid hoste nostro nequius : qui posuit in cælo bellum, in Paradiso fraudem, inter primos fratres odium, in omni opere nostro zizaniam? Cum hoc hoste tam forti, tam cãllido, tam truci quotidie congredi, nec succumbere, magnum profecto prædestinationis est signum : quando scilicet quis suggestiones diaboli tolerat, non admittit. Quia nimirum, ut ait Gregor. lib. 5. in 1. Reg. c. 13. *virtus maligni spiritus nulla est in electorum certamine: si ipse in mala cogitatione non permittitur residere.* CXXV. *Gregor. Augustin.*

Dæmonis malitia fabricatur electis coronas.

Porro dæmonis potentia, calliditate, malitia Deus utitur ad fabricandas suis electis coronas. Quippe, ut ait in Psalm. 60. Augustinus, *non potest quis coronari, nisi vicerit : nec potest vincere, nisi certaverit : nec potest certare, nisi inimicum, & tentationes habuerit.* Sicut autem Christus prædestinatorum omnium princeps tentari voluit ex Matth. 4. *ductus spiritu* (utique sancto) *In desertum, ut tentaretur à Diabolo*, qui, juxta Maldonatum, & alios, fuit ipsemet Lucifer princeps Dæmonum: ita prædestinati tanquam Christi milites cum Luciferi militibus congrediuntur, simili successu victoriæ. Ideo enim tentatur, ut sit electis in tentatione prototypus. Quippe, ut ait Gregorius hom. 16. in Evang. *Redemptor tentari voluit, ut tentationes nostras suis tentationibus vinceret : sicut mortem nostram venerat sua morte superare.* Tentari igitur à Diabolo, & obsistere, prædestinationis est signum : quia in Christo capite prædestinatorum præcessit.

Matth. 4. Maldonat. Cũ Christo in deserto congressus Lucifer. *Gregorius.* Christus electis in tentatione prototypus.

Tertium tentationis genus est, idque nobilissimum, tentari à Deo. In hoc videntur Scripturæ loca inter se pugnantia. Nempe dicitur Iacobi 1. *Nemo, cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. Deus enim neminem tentat.* Ex alia vero parte dicitur Genes. 22. *Tentavit Deus Abraham.* & Sap. 3. *Deus tentavit eos : & invenit eos dignos se.* Quæ conciliantur, quia Diaboli tentatio, incitatio est ad peccatum : & in hoc sensu *Deus neminem tentat.* Dei verò tentatio probatio est ad coronam, præbendo materiam patientiæ, obedientiæ, &c. Et in hoc sensu *Deus tentavit Abraham*; suosque electos in dies tentat. Quamobrem dicitur Deut. 13. *tentat vos Dominus Deus vester; ut sciat si diligitis eum.*

Tẽtatio esse potest etiã à Deo. *Iacobi* 1. *Genes.* 22. *Sap.* 3. Deus in quo sensu tẽtet. *Deut.* 13.

Hæc autem, quæ immediatè est à Deo tentatio, fieri solet per subtractionem spiritualium consolationum; ex qua ariditas spiritus, & tædium. Quippe Deus conversionis initio quandam infundere solet spiritualem dulcedinem, ut eâ mœror levetur, qui oriri solet cum à pestifera mundi dulcedine avellimur. Hoc lacte consolationum spiritualium filios adhuc infantulos nutrit, donec firmentur ad majora. Tum ad probationem virtutis, & purgationem peccatorum priorum, subtrahit hæc divina solatia. Quod signum non est derelictionis à Deo, sed potiùs prædestinationis : ad cujus finem consequendum

Deus tentat, subtrahendo à proficientibus spiritualia solatia.

anima quasi ablactata jam proficit. Hæc est communis doctrina Sanctorum, quam inter cæteros fusè tradit Gregorius lib. 24. mor. c. 7. ubi, *Tres*, inquit, *modi sunt conversorum, inchoatio, medietas, perfectio. In inchoatione inveniunt blandimenta dulcedinis, in medio certamina tentationis, ad extremum perfectionem plenitudinis. Priùs ergo illos dulcia suscipiunt, quæ consolentur: postmodum amara, quæ exerceant: & tunc demum sublimia, quæ confirment.*

Gregor. Tres electorum status, inchoatio, profectus, perfectio.

Cantic. 1.

Hoc videtur implesse sponsus Cant. 1. dum post oris oscula, de quibus dictum fuerat, *Osculetur me osculo oris sui*; increpationes subjecit dicens, *si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi.* Quia post blandimenta consolationum ita Deus agit cum anima, quasi eam sibi jam desponsatam domo depellat. Ideoque anima divino solatio destituta, despectam se à Deo & perditam suspicatur. Sed hoc signum potiùs est confirmatæ jam familiaritatis cum Deo, post prima oscula sponsalitii. Quod totum egregiè adnotavit Gregorius loco citato. Vbi loquens de Deo subtrahente proficientibus primam conversionis dulcedinem. *Sponsam suam*, inquit, *vir quisque priùs dulcibus blandimentis fovet, quam tamen jam conjunctam asperis increpationibus probat: probatam verò securis cogitationibus possidet.* Hoc adamussim facit Christus cum anima, sponsus cum sponsa. Priùs dulcibus blandimentis fovet, ea dicente, *osculetur me osculo oris sui.* Postea verò asperis increpationibus probat, cum ei dicit *egredere & abi.* Post probationem verò iterum pax, & securitas: quia *probatam securis cogitationibus possidet.* Quod ipsum indicavit sponsa Cant. 2. cum dixit, *Læva ejus sub capite meo: & dextera illius amplexabitur me.* Sinistra manus desolationes, dextera consolationes designat. Cum ergo sponsus sponsæ capiti per temporales desolationes apponit sinistram, signum est perspicuum eam æternis consolationibus à sponso amplectendam esse per dexteram. Quæ est expositio Bernardi serm. 4. de virg. nativ. ubi: *Læva*, inquit, *medetur; dextera amplectitur: in læva merita, in dextera præmia continentur: in dextera delicia, in sinistra sunt medicinæ.* Anima igitur, quæ sponsi sinistram experitur, expectet amplexum dexteræ.

Gregor.

CXXVI. *Cant. 2.* Tribulationes per lævam, consolationes per dexteram designatur. *Bernard.*

Alio quoque sublimiori modo Deus torquet animas electorum per jaculum charitatis. Hoc significavit sponsa, dum dicit, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cant. 2. sive, ut cum Septuaginta legit Gregorius lib. 2. in Ezech. ser. 15. *Quia charitate vulnerata sum.* Vulnus hoc charitatis dolorem afferre solet electis ex absentia sponsi, & desiderio æternæ vitæ, cum incertitudine adipiscendi. Præ hoc dolore, omnes alii, Deum amantibus, videntur leves. Nempe, ut ait Gregorius loco citato, *Vilis fit animæ ipsa sui corporis salus, quia transfixa est vulnere amoris. Vnde & in Canticis dicit, Vulnerata charitate ego sum. Mala autem salus est cordis,*

Charitatis vulnus in sponsa. *Cant. 2. Gregor.*

quando dolorem hujus vulneris nescit. Porro vulnus hoc non mortis, sed salutis est signum : & sic vitale vulnus, non lethale. Ideo subdit, *cum anhelare jam in cœleste desiderium, & sentire vulnus amoris cœperit ; fit anima salubrior ex vulnere, quæ prius ægrotabat ex salute.* Qui igitur *hujus vulneris dolorem non sentiunt*, damnationis, & mortis habent indicium ; quia *ægroti sunt ex salute.* Anima verò, quæ dolorem hunc sentit, prædestinationis, & salutis habet indicium ; quia *fit salubrior ex vulnere.* Charitatis vulnus vitale.

Cruciatus autem hic cordis, qui excitari solet in justis ex desiderio æternæ vitæ, dicentibus cum Paulo, ad Philipp. 1. *cupio dissolui, & esse cum Christo*, signum est prædestinationis potissimum. Tum quia desiderium hoc proficiscitur ex charitate in Deum, quæ semen est gloriæ. Tum quia hoc igne purgatæ perficiuntur animæ : dum, ut addit Gregorius loco cit. *nullam præsentis vitæ consolationem recipiens, ad eum, quem diligit, medullitus suspirat, feruet, anhelat, anxiatur.* Quippe *spes, quæ differtur, affligit animam* Prov. 13. *Ad Phil. 1.* *Gregorius.* *Prov. 13.*

Ad idem genus afflictionis, quo Deus ipse suos electos affligit ex vulnere charitatis, dolor pertinet ex offensis, quas electi vident gravissimas patrari quotidie contra Deum. Ideo David Psalm. 118. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Et rursus, *vidi prævaricantes, & tabescebam, quia non custodierunt eloquia tua.* Tantus nimirum dolor erat, ut tabem, & quasi phthisin induceret. In quo sensu dicitur 2. Petri 2. de Sodomitis, quod *justam animam* (nempe Loth) *iniquis operibus cruciabant.* Quod explicans Augustinus, *Loth*, inquit, *persecutionem patiebatur non vapulando, sed malos videndo.* Quod justis omnibus accidit. Quippe, ut in sententiis adnotat S. Prosper, *Magnus bonorum labor est, mores tolerare contrarios.* Hanc *persecutionem* appellat Augustinus ; quam scilicet animæ diligenti Deum amor commovet. Nam, ut ait Nazianzenus or. 28. *Dulcis tyrannus amor* : sub quo patiuntur electi *martyrium cordis*, ut appellat Bernardus serm. in signum magnum. Hoc martyrium tolerabat Paulus, dum dixit, *Quis infirmatur, & ego non uror?* 2. Cor. 12. Quod specialissimè agnoscitur in Virgine prædestinatorũ exemplari, & regina. Quandoquidem, ut ait Bernardus serm. 20. super Cant. *Maria in se tota grande, & suave amoris vulnus accepit.* Ex quo vulnere dolores illa immensos pertulit, tum ex absentia filii ; tum ex offensis, quas patrari videbat in filium. Hoc martyrium cordis, amore sive tyranno, sive carnifice, qui experiuntur cum Virgine, arrham habent prædestinationis pœne certissimam cum eadem ; tanquam ii, quos ipsemet *Deus tentat, & invenit dignos se* Sap. 3. Et hoc est tertium, & perfectissimum tentationis genus. Ad quod prædestinationis signum in tribulatione positum ampliatur. *1. Petri 2.* *Augusti. apud Cornelium* *2. Timoth. 3.* *S. Prosper.* *Nazianz.* *Bernard.* *2. Cor. 12.* *Bernard.* *Sap. 3.*

CXXVII. Tribulationes in electis quandoque prosperitatibus admiscentur.

Amplio idem quartò ad eos, qui prosperitates tribulationibus intermiscent. Neque enim Deus electos omnes adversitatibus semper exercet: sed ex electis non paucos modò per adversa ducit, modò per prospera: inter vices modò novercantis, modò obsecundantis fortunæ. Nempe, ut exerceant humilitatem in prosperis, fortitudinem in adversis. Ideo rogat Ecclesia, ut simus *inter prospera humiles, inter adversa securi.* Quod adnotans Bernardus serm. in signum magnum, *Bernard.* *agit hoc*, inquit, *in cordibus electorum gratia prærogativa divina, ut eos nec humilitas pusillanimes faciat*, (utique in adversis) *nec magnanimitas arrogantes*, utique in prosperis.

Abraham à Deo tentatus decies.

Hoc videre licet in plerisque electis veteris testamenti. Nam Abrahamo, quem decies Deus tentavit rebus adversis, ut notat Cornelius in Genes. 22. concessit etiam multas prosperitates, nempe divitias plurimas Genes. 12. victoriam de quinque Regibus Genes. 14. filium ex uxore sterili Genes. 21. prosperam denique valetudinem, & *mortem in senectute bona* Genes. 25. Ioseph um, post odium fratrum, post venditionem Ismaëlitis, post servitutem, post calumnias, post carcerem exaltavit: & constitutus est *Dominus in universa terra Ægypti.* Genes. 41. Moysen, post vitam humilem, & pastoritiam, evexit ad regimen totius populi Israëlitici, ut esset *Deus Pharaonis.* Exodi 7. David post persecutiones Saülis exexit ad regnum: post rebellionem Absalonis diutissimè firmavit in regno: & *regnavit quadraginta annis*, 2. Reg. 5. Denique Iob patientiæ prototypus primò per prospera ductus est, tum per adversa: quibus iterum prospera successerunt. *Et addidit Deus omnia, quæ fuerunt Iob, duplicia.* Iob 42. Quas rerum alternationes, & vices ipsemet adnotavit, dum dixit, *Noctem verterunt in diem: & rursum post tenebras spero lucem.* Iob 17. nocte enim adversitas, die prosperitas designatur. Sicut igitur alternant nox, & dies: ita adversitas, & prosperitas. Quod expendens Gregorius lib. 13. mor. cap. 15. *Quia*, inquit, *justi noverunt & adversa transire, & prospera rursus illucescere, aptè subjungitur, rursus post tenebras spero lucem. Lux enim post tenebras designatur: quia ita hic adversitas, & prosperitas alternant, ut sibi succedere invicem non desinant.*

Genes. 12. *Genes.* 14. *Genes.* 21. *Genes.* 25. *Genes.* 41. *Exod.* 7. 2. *Reg.* 5. Iob per adversa ductus, & prospera. *Iob* 17. Prosperitas per diem, adversitas designatur pernoctem. *Gregorius.*

Tribulationi succedit prosperitas, ut ver hyemi. *Genes.* 8. *Chrysost.*

Hoc idem ostendit anni varietas hyeme horrescentis, vere florentis, æstate, autumnoque fructificantis, tum rursus hyeme sterilescentis, ut rursus verner. Quod innuitur Genes. 8. *frigus, & æstus; æstas, & hyems; nox, & dies non requiescent.* Quia scilicet tribulatio, & prosperitas sibi alternatim succedunt. Quod animadvertens Chrysostomus hom. 4. ad pop. Antiochen. *Sicut*, inquit, *ex remissione tribulatio facta est: ita ex tribulatione remissionem expectare convenit... Neque enim semper hyems, neque semper æstas. Neque semper procella, neque semper serenitas. Non semper nox, neque semper dies.*

Sic neque semper tribulatio ; sed erit & remissio. Id etiam fortasse causæ est, ut humana vita texturæ cuidam assimiletur in Cantico Ezechiæ, Isaiæ 38. *Præcisa est velut à texente vita mea : dum adhuc ordirer, succidit me.* Quemadmodum enim textura è diversis filis, colcribusque invicem alternantibus sæpe conficitur, ut varietas ipsa deloctet : ita humana vita ex adversis, prosperisque contexitur. quod observans Chrysostomus hom.8.in Matth. *misericors*, inquit, *Deus mœstis rebus quædam etiam iucunda permiscuit. Quod certè in sanctis omnibus facit : quos neque tribulationes, neque incunditates sinit habere continuas : sed tum ex adversis, tum ex prosperis iustorum vitam admirabili varietate contexit.* Ecce texturam ex filis variis, planè *velut à texente.*

CXXVIII. Vita humana ex prosperis, adversisque contexitur.

Chrysost.

Alia similitudine idem innuitur Psalm.32. *Confitemini Domino in cithara : in psalterio decem chordarum psallite illi.* Quippe in cithara chordæ sibi respondent variæ: quarum aliæ sonum edunt graviorem, aliæ suaviorem. Et in his neque citharœdus nervos immoderatè intendit, ne abrumpantur: neque nimiùm remittit, ne harmonia deficiat. Ideo laudandum Dominum in cithara jubet Propheta, ut electorum vita concentum Deo edat ex varietate chordarum, tum graviorum in adversis, tum suaviorum in prosperis: neque nimis intensis per nimias tribulationes: neque nimis remissis per nimias prosperitates. Hoc quippe modo *confitebimur Domino in cithara*, harmoniam divinis auribus efficientes, conflatam ex prosperis, & adversis. Est animadversio Chrysostomi homil.cit.ad pop.Antioch.ubi, *Sicut*, inquit, *citharœdus neque nervum intendit, ut non abrumpat ; neque ultra modum remittit, ne harmonia concentum lædat : sic & Deus agit*, (magnus utique citharœdus) *neque in remissione continua, neque in longa tribulatione nostram constituit animam. Non sinit in continua esse remissione, ne segniores fiamus : neque in continua tribulatione, ne concidamus.*

Psal. 32.

Tribulatio, & prosperitas Deo cõcentum edunt, ut chordæ variæ in cithara.

Chrysost.

Denique hoc electi de se profitentur Psal.65.dum dicunt, *Transivimus per ignem, & aquam : & eduxisti nos in refrigerium.* Profectò per ignem tribulationem significari manifestum est è Scripturis, ex eodem Psalm.65. *Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum*, & subdit. *Posuisti tribulationes in dorso nostro.* Per aquam verò, quæ Valeriano in Hierogl.lib.38.ubertatis, & abundantiæ est symbolum, non incongruè potest prosperitas designari. Dicunt ergo electi, *transivimus per ignem, & aquam*, idest per adversa, & per prospera, est expositio Augustini enarrat. in hunc Psal. ubi, *Quando*, inquit, *sunt res angustæ, & infelicitates in hoc mundo, quasi ignis est. Quando sunt res prospera, & abundantia seculi circumfluit, quasi aqua est. Vide ne te ignis exurat ; ne aqua corrumpat. Per ignem transi ad aquam, ut transeas & aquam.*

Psal.65.

Psal.65. Igne tribulatio designatur.

Valerian. Aqua prosperitatis symbolũ.

August. Per adversa transeundũ ad prospera.

Electi Deo gratias agunt in utraq; fortuna. *Iob.* 1.

Ex his collige non debere de hoc signo prædestinationis, quod in tribulatione ponitur, desperare eos, quibus prosperitates aliquæ obveniunt in hac vita tribulationibus intermixtæ: modo in prosperitate non tumescant, in tribulatione non deficiant; sed in omni fortuna de utriusque Deo gratias agant. Hoc egregiè præstitit S. Iob. qui in prosperitate *consurgens diluculo offerebat holocausta*: in adversitate *corruens in terram adoravit, & dixit, Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Iob 1. & increpans conjugem, quæ eum ad impatientiam incitabat, *Si bona*, inquit, *suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* Iob 2. Tam mala illi placebant, quàm bona: quia utraque suscipiebat de manu Domini. Tam prosperitas, quàm adversitas materializabatur sub formalitate divinæ manus: & ideo utraque sub eadem formalitate pari animo suscipiebatur. Non placuerat illi prosperitas, nisi quia *suscepta erat de manu Domini.* Non attendebat munus, sed manus: atque adeo ex iisdem manibus etiam placebat adversitas. Nempe de sponso pronunciavit sponsa, *manus eius tornatiles, aureæ.* Cant. 2. Ideo quidquid per eas transit manus, etiamsi miserum sit, & ærumnosum, evadit aureum.

prosperitas, & adversitas pariter placent è manu Domini. *Iob* 2.

Cantic. 2. Manus spō. si, quidquid per eas trā-sit, reddunt aureum.

De Mida fabulati sunt prisci, quidquid suis manibus contingeret, aureum reddidisse. Quod fabula est in Mida, historia est in Christo: cujus *manus tornatiles, aureæ.* Quidquid vel prosperi, vel adversi per eas ad nos devenit, per aureorum materiam meritorum, reddunt aureum, & ipsæmet adversitates evadunt prosperæ. Quod adnotans Gregorius lib. 14. mor. cap. 23. *bonis*, inquit, *mentibus etiam ipsa fiunt prospera, quæ videntur adversa.* Quippe omnia è Christi manibus aureis evadunt aurea. Aurea ne dixerim, an gemmea? subdit enim *plenæ hyacinthis.* Hyacinthus autem gemma est coloris cæleſtis, ut notat Cassiodorus in Cant. 5. quia sive prosperitas, sive adversitas è Christi manibus prodiens, gemma est hyacinthina, cæleſtium ferens arrham bonorum. Alia lectio, *plenæ Tharsis*, sive ut colligitur ex Hieronymo in Dan. cap. 10. *plenæ mari:* quod tribulationum fluctus designat, quia ipsummet tribulationum mare è divinis manibus in electos effusum hyacinthinum evadit, & gemmeum, veluti tempestatem ferens gemmarum. Ideo dicitur, *manus eius plenæ mari, plenæ hyacinthis.* Iure igitur Iob ex Dei manibus tum prosperitates, tum tribulationes suscipiens tanquam hyacinthos, ac gemmas, easque paris pretij æstimans dicebat, *si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?*

Gregorius.

Tribulatio è Christi manibus aurea, & gemmea. *Cassiodor. Hieronym.*

CXXIX.

Iob. 29. Tribulationes, etiam diabolicæ, sunt à manu Domini. *Iob.* 2.

Observandum quoque est, adversitates Iobum agnoscere de manu Domini: & ex eadem manu tam mala, quā bona: ideo dicit c. 29. *manus Domini tetigit me.* Cum tamē tribulatio illa ei videatur illata fuisse manu diaboli testante Scriptura, *Dixit Dominus ad Satan, ecce in*

manu

manus tua est. Egressus igitur Satan à facie Domini percussit Iob ulcere pessimo. Iob 2. si de manu Satanæ, quomodo *de manu Domini?* Nimirum hoc electorum est proprium, tribulationes omnes undecunque extrinsecùs, immo etiam ab ipso Diabolo provenientes, agnoscere *è manu Domini*; eas, juxta divinæ prædestinationis seriem, permittentis, & dirigentis ad bonum electorum, quibus *omnia* (etiam diabolica) *cooperantur in bonum.* Ad Rom. 8. Est animadversio Gregorij loco citato, ubi, *A Satan*, inquit, *percussus fuerat; nec tamen percussionem suam Satanæ tribuit; sed tantùm de manu Domini appellat. Sciebat quippe vir sanctus, quia & per hoc ipsum, quod perversa voluntate contra eum Satan egerat, potestatem non à semetipso, sed à Domino habebat.* Prædestinati igitur ij, qui à Deo per prospera, & adversa ad finem prædestinationis dicuntur, tum hæc, tum illa *è manu Domini* agnoscunt, dicentes cum Iob electorum omnium in patientia antesignano, *si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* *Gregor.*

Alios tamen, & fortasse plerosque ex electis, perpetuis exercet afflictionibus. Hi præcipuè sunt, qui perpetua egestate afflicti, in fame, siti, frigore, nuditate, cunctis semper despicabiles vitam degunt. Quod adnotavit Gregorius lib. 16. mor. cap. 12. ubi, *Sæpe*, inquit, *contingit ut electus quisque, qui ad æternam felicitatem ducitur, continua hic adversitate deprimatur.* In his multò clarius elucere signum prædestinationis existimo, quàm in ijs, in quibus adversa alternant, & prospera. Nam etiamsi, ut addit idem Gregorius, *non hos rerum abundantia fulciat; non dignitatum gloria honorabiles ostendat; nulla his obsequentium frequentia suppetat; nulla hos humanis oculis vestigium pompa componat, & à cunctis cernantur despicabiles: tamen ante occulti iudicis oculos virtutibus emicant, & vitæ meritis coruscant.* Hi nempe, ut ait Apostolus ad Heb. 11. *egentes, angustiati, afflicti*, quos hominum plerique despiciunt, respiciuntur à Deo tanquam electi, quibus terrarum Orbis innititur. Ideo dicitur 1. Reg. 2. *Domini sunt cardines terræ*, sive ut alij, *afflicti terræ, & posuit super eos orbem.* Nimirum *afflicti terræ sunt cardines terræ, super quos Deus posuit Orbem:* quia, ut ait Cornelius ab Heb. 11. *ipsi sunt, qui suis apud Deum precibus, urbes, provincias, immo mundum totum conservant.* Hi semper *egentes, angustiati, afflicti*, sunt qui juxta Prophetam Psal. 125. *seminant in lachrymis, & in exultatione metent.* Sed, ut dixit Apostolus 2. ad Cor. 9. *qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus*, ideſt qui largiores habet tribulationes, *in benedictionibus & metet*, ideſt longiores metet exultationes. Tribulationes abundantiores, in quibus justi seminant, dum *seminant in lachrymis*, benedictiones vocantur: quia pignora sunt illius benedictionis, de qua dicitur Matth. 25. *Venite benedicti.*

Gregor. Electorum plerique semper tribulantur.

Gregor.

ad Hebr. 11.

1. Reg. 2. Tribulati sustinent Orbem terrarum.

Cornel.

Psal. 125.

2. Cor. 9.

Tribulationes benedictiones vocantur.

Matth. 25.

Ij igitur,qui perpetuis adversitatibus afflicti sunt,signum habent clarius prædestinationis uberioris.Hoc tamen signum suo modo ad eos etiam, in quibus adversa alternant, & prospera, ut diximus,ampliatur. His ampliationibus nostri dicti præmissis,idem dictum.

Limito primò ad eos solùm, qui tribulationes tolerant,ut indicatum est sæpius, patienter. Patet ex Paulo ad Rom.5. *tribulatio patientiam operatur : patientia probationem , probatio verò spem,* &c. Ergo ad spem, & pignus gloriæ tribulatio perducit per patientiam. Ergo ij, in quibus tribulatio impatientiam operatur,impatientia ita eos probat, ut reprobentur. De quibus non potuit dici id, quod de electis dicitur Sap.3. *Deus probavit eos ; & invenit eos dignos se :* sed potiùs *probavit eos , & invenit* indignos se.

ad Rom.5.

Impatientia in tribulatione reprobationis indiciũ.

Sap.3.

Tres gradus distingui possunt in iis, qui tribulationibus premuntur.Primus est,ut eas ferant patienter.Secundus ut ferant gaudenter. Tertius ut ferant ardenter,non solùm gaudendo de iis quas habent, sed etiam alias cupiendo.Hæc est doctrina Bernardi serm. de S. Andrea. Ubi, *triplicem*, inquit, *hic licet considerare gradum , incipientium , proficientium , perfectorum. Qui initiatur in timore , crucem Christi sustinet patienter. Qui proficit in spe , portat libenter. Qui consummatur in charitate , amplectitur eam ardenter.* Ex hoc habes infimum gradum , & planè incipientium esse *sustinere crucem patienter.* Qui igitur hunc gradum infimum non attingit , jam est extra ordinem eorum , qui ad prædestinationis finem tendere incipiunt, non adnumeratus iis,in quibus *tribulatio patientiam operatur.*Qui crucem gaudenter, & ardenter sustinet, si eam ferat etiam innocenter, assimiletur planè Christo cruci innocenter affixo,& eam ardentissimè amplexo. Qui crucem patienter sustinet, licet illi obtingat ex culpa , assimilatur sancto Latroni , è cruce ad Paradisum pergenti. Qui verò crucem ex culpa patitur,atque in ea impatienter se gerens indignatur, & fremit;assimilatur malo Latroni , in ipso crucis supplicio blasphemante. Est animadversio Hugonis Victorini in allegor. Gotfr.Tilm. ubi, *In cruce*, inquit, *Christi gloriatio:in cruce dextra Latronis consolatio : in cruce sinistra confusio. In prima pœna sine culpa,& post glorificatio. In secunda pœna pro culpa, & post remissio. In tertia pœna pro culpa, & post damnatio.*

Tres gradus in tribulatis.

Bernard.

CXXX.

In tribulatione blasphemantes crucem habent mali latronis.

Hug.Vict.

Crux triplex quid designet.

Porro non pauci Deum in tribulatione blasphemantes imitantur malum latronem, qui blasphemavit in cruce. Hoc satagit totis viribus Satan , ut tribulati blasphemias in Deum evomant. Videre id licet in S. Iob ; quem in summis angustiis positum , per uxorem ad blasphemiam incitavit iis verbis , *Adhuc manes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Iob.2.Filios quidem illi Satan omnes abstulit ; uxorem tamen , cum à Deo potestatem haberet , non abstulit : quia per eam Iob ad maledicẽdum Deo impellere moliebatur:atque

Iob 2.

ex hac veluti scala ad evertendum cor Iobi veluti ad arcem fortissimam ascendere satagebat. Quod observans Gregorius lib.3.mor.c.6. *Quæritur*, inquit, *ab adversario in hanc arcem munitissimam* (Iob) *quibus gradibus ascendatur. Cor mulieris tenuit: & quasi scalam, qua ad cor viri ascendere potuisset, invenit.* Hoc idem consilio labia illi reliquit intacta. Cum enim potestatem accepisset à Deo, ut totum ejus corpus percuteret (quippe de facto *percussit Iob ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem ejus*) solis tamen labiis pepercit. Quamobrem ille dixit cap. 19. *derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos:* à Diabolo non alio consilio derelicta; nisi, quemadmodum notat Pineda, & alii, *ut blasphemiam ex ejus ore prolatam audiret.* Sed diabolicum consilium Deus aliò vertit: *& derelicta sunt tantummodo labia circa dentes ejus*, ut ex ore proferret verba illa planè aurea, *Sit nomen Domini benedictum*, Iob 1.

Dæmon cur Iobo uxorem reliquerit. *Gregor.*

Mulier scala diaboli ad cor viri.

Cur Iobo derelicta labia. *Pineda.*

Iob 1.

Electi igitur exemplo Iobi, qui exemplar fuit prædestinatorum è tribulatis, in tribulationibus positi illud idem usurpant, *Sit nomen Domini benedictum*; Deo quasi pro singulari munere gratias referentes. Qui aliter faciunt, non merentur quantùm ad hoc adnumerari inter electos, sed potiùs à Christiano nomine expungi. Quippe, ait Hieronymus in comm. ad Ephes. 5. *Christianorum virtus est propria etiam in his, quæ adversa putantur, gratias agere creatori: ut in ipsis periculis, atque miseriis semper dicamus, benedictus Deus. Minora me scio sustinere, quàm mereor. Hic animus Christiani est: hic crucem suam tollens sequitur Salvatorem: quem nec orbitas, nec damna debilitant: quem ut ait Flaccus, si fractus illabatur Orbis, impavidum ferient ruinæ.*

CXXXI. In tribulationibus gratias agere virtus est propria Christiani. *Hieronym.*

In hoc igitur electi à reprobis discernuntur, quod ii in tribulatione proficiunt: hi deficiunt. Illi tanquam aurum in igne splendescunt: hi stanneos se ostendunt, & plumbeos. Ideo de electis dicitur Sap.3. *Tanquam aurum in fornace probavit eos:* quasi ad probandum, an aurei verè essent, an plumbei. Et quia aurei inveniuntur, ibidem dicitur, *invenit eos dignos se.*

*Sap.*3.

Contra verò Ezechielis 22. de reprobis dicitur, *versa est mihi domus Israël in scoriam. Omnes isti* (reprobi) *as, & stannum, & ferrum, & plumbum: in medio fornacis scoria argenti facti sunt.* Porro scoria spurcitia est, quæ inter coquendum ex argento expurgatur. Reprobi ergo in tribulationibus, in quibus argentum videri poterant, se ostenderunt scoriam, & fæcem: *& in medio fornacis scoria facti sunt.* Quod verò dicitur factos esse *as, stannum, ferrum, & plumbum*: significatur eos, qui simulato fulgore lucebant aureæ sanctitatis, in fornace tribulationis à Deo tanquam ab argentario inventos esse æreos, stanneos, ferreos, plumbeos. Quæ est expositio Gregorii 3. part. Past. cap.14. ubi hæc eadem verba Ezechielis explicans, *Purgare*, inquit, *eos per ignem tribulationis volui, & argentum*

*Ezech.*22.

In tribulatione reprobi vertuntur in scoriam.

Reprobi in tribulationis fornace inveniuntur æs, stannum, ferrum, & plumbum. *Gregorius.*

illos, vel aurum fieri quæsivi : sed in fornace mihi in æs, stannum, plumbum, & ferrum versi sunt. Æs quippe, dum percutitur, amplius metallis cæteris sonitum reddit. Qui igitur positus in percussione erumpit ad sonitum murmurationis, in æs versus est in medio fornacis. Ecce eos, qui in tribulationibus positi erumpunt in querelas de Deo, aut saltem de proximo; à quo per tribulationes percutiuntur. Sequitur. *Stannum verò, cum ex arte componitur, argenti speciem mentitur. Qui verò simulationis vitio in tribulatione non caret stanneus factus est in fornace.* Ecce eos, qui in tribulatione patientiam exteriùs simulant, interiùs in corde fremunt. Subdit. *Ferro autem utitur, qui vitæ proximi insidiatur. Ferrum itaque in fornace est, qui nocendi malitiam in tribulatione non amittit.* Ecce eos, qui dum calumnias, aut aliam persecutionem patiuntur ab hostibus, quamvis tribulationibus pressi, odio inimicorum, & ulciscendi desiderio exardescunt : & juxta verba Gregorii, *nocendi malitiam in tribulatione non amittunt.* Subjicit. *Plumbum quoque cæteris metallis gravius est. In fornace ergo plumbum invenitur, qui sic peccati sui pondere premitur, ut etiam in tribulatione positus à terrenis desideriis non levetur.* Ecce eos, qui in tribulatione positi iis prosperitatibus inhiant, quas non habent. In paupertate divitias appetunt : in humilitate ad honores anhelant: in morbis, & cruciatibus corporis ad voluptates suspirant : & peccata, quæ opere nequeunt, corde, & cogitatione committunt. Denique, juxta Gregorium, *etiam in tribulatione positi à terrenis desideriis non levantur.* Hi omnes tribulatione probati reprobationis signum accipiunt, sicut electi prædestinationis. De quibus dicitur Eccl. 27. *Vasa figuli probat fornax : & homines justos tribulatio.* Nimirum, sicut in fornace conflatur aliud ut vas fictile, aliud ut vas argenteum, aut aureum: ita in tribulatione alii ut reprobi, alii ut electi : quod est dicere cum Paulo ad Rom. 9. *aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Et ideo dicitur, *vasa figuli probat fornax.* Quæ verba explicans Bernardus tract. de gradibus humilitatis gradu 9. *Vasa*, inquit, *figuli probat fornax : & tribulatio verè pœnitentes discernit. Qui enim veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret*; (Qui ergo abhorret, signum est, quod non veraciter pœnitet) *sed quidquid pro culpa, quam odit, injungitur* (sive à confessario severè amovente ab occasionibus peccandi, sive à Deo culpas præteritas variis tribulationibus puniente) *tacita conscientia patienter amplectitur. Cujus verò simulata confessio est, una vel levi contumelia, aut exigua pœna interrogatus, jam humilitatem simulare, jam simulationem dissimulare non potest. Murmurat frendet, irascitur.*

CXXXII. Reprobi in tribulatione positi nocendi malitiam non amittunt.

Eccles. 27. Vasa figuli tam electi, quam reprobi.

Ad Rom. 9.

Bernardus.

Confessio simulata veram pœnitentiam refugit.

Hi scilicet, juxta superiùs dicta à Gregorio, in tribulationis fornace stanneos se, & plumbeos produnt. Parum dixi stanneos se, &

plumbeos, nisi etiam se paleas ostendant. Quippe stannum, & plumbum in igne non deficit: paleæ verò penitùs exuruntur. Quæ est animadversio Augustini de temp. barbar. c. 3. ubi reprobum cum palea comparans, electum cum auro, *Si aurum*, inquit, *es, quid times ignem? quid times paleam?* (idest persecutiones reproborum) *simul quidem eritis in fornace: sed ignis paleas in cineres vertet: tibi sordes tollet.* Ita in fornace electi discernuntur à reprobis, quod ii in tribulatione meliores fiunt, hi pejores. Ideo Bernardus epist. 32. *sicut*, inquit, *electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem: sic damnandis, & reprobis tribulatio parit è contrario pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem: & illa interimit.* De his dicitur Ieremiæ 2. *Frustra percussi filios vestros: disciplinam non receperunt*, quasi filii indisciplinati à patre frustra percussi. Clariùs Ierem. 5. *Percussisti eos, & non doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam.* Stupiditas, & indolentia in vulnere, signum apud medicos est lethalissimum. Qui ergo percussi, & attriti à Deo adhuc perseverantes in peccatis, dolorem sentire non videntur ex vulnere, ex quadam insensibilitate, & stupiditate cordis: signum habent fere certissimum æternæ mortis. Quod expendens Ambr. lib. de Apologia David c. 9. *Qui*, inquit, *expertes doloris sunt, non sentiunt acerbitatem vulneris: quod est immedicabilis ægritudinis.* Quod est dicere, signum æternæ damnationis.

In tribulationis fornace electi aurum, reprobi paleæ.

Reprobi in tribulatione pejores. *Bernard. Ierem. 2.*

Ierem. 5.

CXXXIII. Tribulationibus non emendari lethale.

Ambros.

Alii verò etiam ex reprobis in tribulatione positi multò vehementiùs, quàm par est, dolentes, ita premuntur, ut opprimantur: dumque electi ex tribulatione magis in divinam spem, ac fiduciam attolluntur: reprobi ingruentibus adversitatum fluctibus in desperationis abyssum merguntur. Quod figuratum videtur in diluvio: ex quo demersi quam plurimi interierunt: pauci verò intra arcam inclusi, ex illa eluvione, vi fluctuum, in altitudinem montium evecti sunt. *Et multiplicatæ sunt aquæ: & elevaverunt arcam in sublimia terræ.* Genes. 7. Quod expendens Gerson Cancellarius Parisiensis part. 2 serm. de omn. SS. *Vt*, inquit, *arca, quò magis abundabant aquæ diluvij, tantò altiùs ferebatur: sic mansuetius animus, quò majores erunt tribulationum aquæ, tantò erit excelsior.* Nimirum aquæ tribulationum per impatientiam demergunt, per patientiam extollunt: ibi signa damnationis ferentes, hic salutis. Ideo dicitur Luc. 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Non dicit possideri animas in fide, non in spe, non in castitate, obedientia, aut ulla aliarum virtutum; sed in patientia. Quia per hanc animus contra adversa roboratur: quæ multos per impatientiam ad perditionem perducunt. Quod expendens Gregorius lib. 5. mor. cap. 13. *Qui patientiam*, inquit, *tenet, animam possidet: quia inde contra adversa omnia fortis efficitur: unde sibi etiam seipsum vincendo do-*

Aquæ tribulationis electos attollunt, demergunt reprobos. *Gerson.*

Arca diluvii aquis elevata, demersis cæteris. *Luc. 21.*

Quid sit animas possideri patientia. *Gregorius.*

minetur. Ii igitur, qui non quomodocumque, sed patienter tribulationes sustinent, *animas suas possident in patientia*: quia eas per æternam mortem non amittunt.

Bernard. Quod si animarum possessio habetur per patientiam, habetur utique animarum perditio per impatientiam. Quamobrem Bernardus serm. de obedientia: *Patientia*, inquit, *animæ possessio est, dicente Domino in patientia vestra possidebitis animas vestras*. Vnde sequitur per impatientiam tribulationis haberi signum perditionis in reprobis: in electis verò, prædestinationis haberi signum non præcisè in tribulatione, sed in tribulationis patientia. Ideo dicitur ad Rom. 12. *spe gaudentes, in tribulatione patientes*.

Ad Rom. 12.

Conjungitur gaudium spei cum patientia tribulationis: quia ii *spe gaudent*, & pignore æternæ vitæ, qui sunt *in tribulatione patientes*. Spes patientiæ adjuncta explicari potest exemplo agricolæ: qui sponte semen amittens, terræ mandat, ac sepelit. Tum multo labore, ac sudore aratro humum proscindit: sulcos dirigit: noxias herbas evellit: patienter expectans tempus, quo semen illud quasi è terræ tumulo redivivum, primùm in spicas, & culmos, tum etiam in fruges exurgat. Hoc eodem exemplo Iacobus c. 5. fideles ad patientiam adhortans, *ecce*, inquit, *agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & serotinum. Patientes estote & vos.*

Patientiæ spes explicatur exemplo agricolæ.

Iacobi 5.

Chrysost. Quod ipsum eloquentissimè, ut assolet, persequens Chrysostomus hom. 4. de patientia, & tolerantia, *Quemadmodum*, inquit, *is qui aratrum immittit, deorsum terram aperit, totam seminibus custodiam parans ne in superficie in ea remaneant, sed in toto radices figant: sic & nos facere necessarium; & tanquam aratro tribulationis utentes cordis profundum conscindere.* Ecce tribulationis tristitiam, & laborem: sed in hac eadem patienter perlata spes, & gaudium, quale habet patientia agricolæ. Ideo infra subdit. *Ne igitur de hac tristitia doleamus. Multum enim de tribulatione lucrum. Nam & cum agricola semina cum labore collecta seminaverit, ignarus alius cernens quæ fiunt, admirabitur: fortéque apud seipsum dicet, Quid hic homo facit? collecta dissipat, nec dissipat tantum, sed terræ commiscet, ne facilè possint colligi: sed & optat vehementer fieri pluviam, ut projecta omnia marcescant, & lutum fiant. Agricola verò lætatur, & gaudet hyemem videns: non enim præsentia respicit, sed futura prospectat; non fulmina, sed manipulos computat; non marcescentia semina, sed vernantes spicas; non gravem imbrem, sed ventilationem in area jucundissimam. Itidem & nos non præsentem spectemus tribulationem, & dolorem, sed orientem ex ipsa utilitatem, & fructum.* Meritò igitur Iacobus, præmisso exemplo agricolæ, qui *expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens*, &c. concludit, *Patientes*

estote & vos: & confirmate corda vestra (per spem utique æternæ vitæ: sicut agricola per spem fructus) *quoniam adventus Domini appropinquavit:* quia scilicet post tribulationem patienter perlatam, quasi post terram crucis aratro prosciſſam, quàm citiſſimè Dominus reddet patientiæ fructum æternam vitam. Quod pari elegantia explicans Chryſoſtomi imitator Chryſologus ſer. 103. *Credamus*, inquit, *quod crux noſtri corporis ſit aratrum, fides ſemen, ſulcus ſepulchrum, reſolutio germen, expectatio tempus: ut cum ver Dominici adventus arriſerit, corporum noſtrorum tunc matura viriditas vitalem reſurgat in meſſem, neſcitura iam finem.* Hoc ipſum eſt, quod innuitur Lucæ 8. *fructum afferunt in patientia.* Et quia ipſa ſpe fructus gaudet agricola: ideo dicitur, *ſpe gaudentes, in tribulatione patientes.*

Chryſol.

Crux aratrum, ut fides germinet, *Luc. 8.*

Denique hæc ſpes æternæ vitæ è prædeſtinationis pignore, quod in tribulatione per patientiam reponit, talis eſt; ut ante beatitudinem, pluſquam omnis humana felicitas reddat in ipſa tribulationis infelicitate felices. Quamobrem Auguſtinus in Pſal. 127. hos appellat *feliciter infelices:* quia nimirum ipſa infelicitas felicitatis eſt pignus. Fulgentius etiam epiſt. 2. cap. 9. beatiorem appellat Iobum in adverſitate, quàm fuerat in felicitate. *Beatus*, inquit, *fuit cum decem circundaretur filijs: ſed beatior, cum una cunctorum ſimul orbitate percuſſus, in Dei dilectione permanſit immobilis. Beatus fuit in corporis ſoſpitate: ſed beatior fuit in vulnere; beatior etiam in acervo ſqualoribus pleno* (cum ſcilicet ſedebat in ſtercore) *quàm in palatio marmoribus adornato.* Hæc autem beatitudo è ſpe oriebatur in eo operante per patientiam. Quamobrem dicitur Iacobi 5. *Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt.* Et ſtatim ſubdit. *Sufferentiam Iob audiſtis: & finem Domini vidiſtis*, ideſt patientiæ finem, & exitum, quem ei operatus eſt Dominus, retribuendo illi pro tribulatione felicitatem. Ideo cum tribularetur dicebat, *repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Iob 19. Sicut igitur Iob prædeſtinationis pignus, & ſpem habuit ex tribulatione per patientiam, ut ait Cyprianus tractat. de bono patientiæ, *ad ſummum laudis faſtigium patientiæ virtute provectus:* ita quoque cæteri tribulati, quibus, ut ait Baſilius hom. 4. de grat. act. *propoſitus eſt Iob fortitudinis exemplar*, arrham prædeſtinationis habent in tribulatione non quomodocumque, ſed patienter perlata. Qui tales ſunt, Iobi in ſe imaginem renovant: de quibus Ambroſius lib. 5. epiſtol. 33. *Vnum*, inquit, *Iob miraturus aſcenderam: omnes Iob, quos mirarer, inveni. In ſingulis vobis Iob revixit: in ſingulis illius patientia, & virtus refulſit.* Sicut igitur virtus, & patientia Iob in hoc refulſit, quod tribulationem illatam ſponte acceptavit, Deo de illa gratias agens, tanquam de munere: ita cæteri prædeſtinati ex tribulatis acceptare debent ſponte tribulationem undecunque provenientem; ita ut quod evenit neceſſariò, fiat illis per acceptationem voluntarium.

CXXXIV.

Tribulati feliciter infelices. *Auguſt.*

Tribulatio ipſa beatitudo. Iob in infelicitate felicior. *Fulgent.*

Iacob. 5.

Iob. 19.

Cyprian.

Iob patientiæ, & fortitudinis exemplar. *Baſilius.*

Ambroſ.

CXXXV.

In patientibus Iob reviviſcit.

Cantic. 5. Innuitur hoc Cantic. 5. ubi Ecclesia sub typo sponsæ dicit, *manus meæ stillaverunt myrrham: & digiti mei pleni myrrha probatissima.* Myrrha, quam sponsa stillat è digitis, non est qualiscunque, sed *myrrha probatissima:* quæ etiam Eccles. 24. vocatur *myrrha electa, Quasi myrrha electa dedit suavitatem odoris.* Duplex quippe est genus myrrhæ. Unum vile, quod ex arboris succiso cortice nonnisi vi, ferroque depromitur. Alterum quod sponte stillat ex arbore: & hæc dicitur *myrrha probatissima, electa;* & ut ait Plinius lib. 12. c. 15. *myrrhæ huic, quæ sponte stillat, nulla præfertur.* Cum igitur ex Bernardo serm. 43. in Cant. *myrrha amara res, dura, & aspera, tribulationem significat:* duplex est tribulationis genus. Alterum ejus, quæ violenter sustinetur ab invito, & planè renuente: & hæc myrrha quidem est, quia amara: sed vilis, quia omnino violenter expressa. Alterum genus est tribulationis voluntariæ, sive per pœnas, quas quis sibi sponte irrogat, sive saltem per pœnarum acceptationem spontaneam: & hæc est *myrrha probatissima, quæ sponte stillat.* Porro hæc propria electorum: de quibus dicit Ecclesia, *manus meæ stillaverunt myrrham: & digiti mei pleni myrrha probatissima.* Nempe manus, & digiti Ecclesiæ sunt electi: per quos bona opera æternum mansura operatur. Hi autem *pleni sunt myrrha probatissima:* quia pleni sunt tribulationibus non violenter expressis, sed voluntariè acceptatis. Innuitur hoc ab Hugone Cardinali Eccles. 24. ubi, *Myrrha,* inquit, *quæ sponte emanat, pretiosior est, & electa dicitur: quæ verò per incisionem manat corticis, est vilior. Ecclesia est myrrha electa, per spontaneam carnis mortificationem.* Si igitur digiti Ecclesiæ, idest electi, ij sunt, qui *pleni sunt myrrha probatissima,* sive ut appellat Eccles. 24. *myrrha electa,* quæ propria electorum, nempe myrrha sponte stillante, idest tribulationibus spontaneè acceptatis: excluduntur, quantùm pertinet ad hoc signum, à numero digitorum Ecclesiæ, idest à numero electorum, ij qui tribulationes omnino inviti sustinent, & violenter: non myrrham probatissimam, sed myrrham vilem fundentes, ferro expressam, vi reciſam.

Myrrhæ duplex genus, sponte stillantis, & ferro expressæ.

Eccles. 24.

Plin.

Bernard.

Tribulationis genus duplex, violentæ, & spontaneæ.

Electi sunt digiti Ecclesiæ.

Hugo Card.

Eccles. 24.

In hoc tamen notandum est illos, quibus initio tribulatio violèter obtingit, si postea divinæ se voluntati accommodantes eam patienter ferant, ab hoc prædestinationis signo in tribulatione repositio non expungi. Quod evidenter apparet in Simone Cyrenæo: de quo dicitur Matth. 27. *hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* Angariare vox est Persica. Quippe publici veredarij, quibus jus erat compellendi ad dandos sibi equos subinde ad celeritatem mutandos, angari vocabantur. Unde onera populis violenter impositia dicuntur angariæ: & angariare significat valde violenter compellere. Simon igitur Cyrenæus ad tollendā Christi crucem angariatus eos figurat, qui tribulationes inviti patiuntur, & violenter. Admirabile tamē est, quod

Matth. 27.

Angariare vox Persica.

Angariati ad ferendā crucem etiam præ-

quod idem Simon ad tollendam crucem angariatus ejusdem crucis virtute non solùm postea in Christum credidit, ut tradit L. Dexter in Chronic. ad annum Christi 112. num. 10. *non fraudatus debita mercede portatæ post Christum Crucis:* sed etiam, ut refert Braulio, sive Helecas in additione ad Chronicon Maximi, *prædicavit in Hispania, comitans eò primò Paulum, tum Iacobum,* & à Petro consecratus Episcopus obiit Hierosolymis: colituque prima die Decembris. Non diffident ergo ij, qui cum Simone Cyrenæo tribulationis crucem portare incipiunt angariati; sed postea sustinent patienter: quia hi quoque, ut dictum est de Cyrenæo, non fraudabuntur debita mercede portatæ post Christum crucis. Quod advertens Origenes in 27. Matth. *non solùm*, inquit, *eum* (Christum) *conveniebat accipere crucem suam: sed & nos conveniebat portare eam, salutarem nobis angariam adimplentes.* Salutaris autem est hæc angaria iis omnibus, qui tribulationis crucem, si minùs libenter, saltem sustinent patienter. Patienter verò sustinent omnes ij, qui licet in leves aliquos impatientiæ actus actualiter incurrant, habitualiter tamen tribulationem Deo offerunt. Et quamvis tribulationis amaritudinem sentiant unà cum Christo, qui dixit, tristis est anima mea usque ad mortem, Marci 14. eam tamen sive ad conformandos se voluntati divinæ, sive ad assimilandos se Christo, sive ad uberiora merita, sive ad recompensanda peccata, tanquam è Dei manu susceptam acceptant. Et hoc quoad primam limitationem nostri dicti, per quam excluduntur ab hoc signo in tribulatione omnino impatientes.

destinationis habent indicium. *L. Dexter.* Simon Cyrenæus à Petro consecratus Episcopus. *Braulio.*

Origenes. Crucis angaria salutaris.

CXXXVI. Qui sint in tribulatione patientes. *Mar.* 14.

Limito idem dictum secundò ad eos, qui patienter sustinent tribulationes non quascunque, sed illas tantùm, quæ non sunt culpabiles, neque oriuntur ex culpa, aut saltem non perseverant cum culpa. Ratio est, quia hujusmodi tribulationes non præbent materiam meriti, sed demeriti. Ergo non sunt prædestinationis indicium, sed reprobationis. Hinc primò sequitur excludi ab hoc signo prædestinationis eos, qui persecutionem patiuntur ob hæresim: ea non retractata in carcerem conjecti, in torturam acti, aut etiam concremati. Ij enim, perseverante culpa, à temporalibus flammis transeunt ad æternas. Neque sibi de beatitudine possunt blandiri, iis promissa Matth. 5. *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam:* cum non Christi, sed Diaboli martyres patiantur propter injustitiam. Quod animadvertens Augustinus hom. de serm. Domini in monte lib. 1. cap. 5. *Multi*, inquit, *hæretico nomine Christi animas decipientes, multa talia patiuntur. Sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non dictum est tantùm, beati qui persecutionem patiuntur; sed additum est, propter iustitiam. Vbi autem sana fides non est, non potest esse iustitia: quia justus ex fide vivit.* Hi autem, licet aliquando obfirmati in malo patienter ferre videantur illatas pœnas, nihil sibi de patientia blan-

Tribulationes culpabiles excluduntur à prædestinationis signo.

Matth. 5.

Augustin. Hæreticorum infructuosa, & falsa patientia.

Cyprian. diantur: quia apud hos, ut de ethnicis ait Cyprianus lib. de patientia, *tam falsa est patientia, quàm sapientia:* longè semoti ab iis, de quibus Augustinus lib. 4. de civit. cap. 3. *iustis quidquid malorum irrogatur, non est pœna criminis, sed examen virtutis.*

Augusti.

Secundò sequitur ab hoc signo prædestinationis excludi grassatores viarum, latrones, alioque; qui persecutionem à Reipublicæ, aut Regni satellitibus passi propter injustitias, errabundi vagantur per sylvas, itineribus, laboribus, vigiliisque consumpti, ac perpetuis timoribus cruciati. De his dicitur Lev. 26. *dabo pavorem in cordibus eorum: & terrebit eos sonitus fily voluntatis.* Scilicet, dum per nemora fugitivi discurrunt, si agitatum auris obstrepat folium, terrentur quasi ad strepitum satellitum insequentium: umbras pavent: amicos, socios, consanguineos suspectos habent. Quamobrem Chrysostomus hom. 3. de verbis Isa. *Omnia*, inquit, *pavet metuitque, qui talis est. Vmbras, parietes ipsos, lapides tanquam vocem emittentes. Omnia observat: omnes habet suspectos, famulos, vicinos, amicos.* Hæc igitur vita cruciatibus plena, non cœlestis gloriæ, sed cruciatuum æternorum est prodroma.

Levit. 26.

Sceleſtorũ anxietates, ac metus. *Chrysost.*

E vitiis tribulationes reprobis apportantur. *Sap. 5.* *1. Ioan. 2.*

Tertiò excluduntur universaliter ij, quibus tribulationes ex vitiis apportantur. Has tribulationes de se fatentur ipsimet reprobi: ex quorum ore dicitur Sap. 5. *Ambulavimus vias difficiles: lassati sumus in via iniquitatis.* Hoc tribulationis genus proprium reproborum videre est singillatim in vitiis, quæ ex 1. Ioan. 2. reducuntur generalissimè ad tria. Hæc sunt *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.*

Libidinoſorum viæ difficiles. *Cantic. 8.*

Concupiscentia carnis tribulationes libidinosis apportat quamplurimas: zelotypias personæ amatæ; quam apud Latinos meritò deperire dicuntur: quia dum eam depereunt, pereunt: in amore dolores mortis experti, immo etiam infernalibus similes. Ideo dicitur universaliter Cant. 8. *Fortis est ut mors dilectio: dura sicut infernus amulatio.* Idque etiam in iis, qui legitimè matrimonio junguntur: de quibus Paulus pronunciat 1. ad Cor. 7. *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi.* Quippe hi, ut ait Basilius lib. de Sancta Virg. *aperiunt sibi per conjugij copulam, dolorum officinam.* Tribulantur etiam luxuriosi ex mediis, quæ ad explendas libidines adhibere coguntur, vigilias, pericula, absumptionem pecuniæ: ex iis sæpissime ad summam egestatem redacti. De his verificatur illud Gregorij hom. 18. de SS. quod *undique amaritudinibus repleti, tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ, ipsas eius amaritudines amant.* Tribulantur denique ex tristitia, quam in carnali copula fert magna consumptio spirituum. Item ex morbis è nimio coitu contractis, morbo gallico, epilepsia, aliisque innumeris. Hi, si, ut assolet, inter cruciatus corporis, ad venereas voluptates, quibus assueverunt; suspirant, tribula-

1. Cor. 7. *Basilius.* Coniugij copula dolorum officina.

tiones istæ non sunt prædestinationis indices, sed damnationis præ- CXXXVII.
nunciæ: prævolare incipientibus in hac via pœnis, quæ eos manent in futura. Libidinosorum pœnæ in hac vita

Ita contigit cuidam magno Comiti. Qui, ut refert Bellovacensis *Bellovacen.*
in spec.mor.d.3. p.9. *cum inter alia flagitia fuisset enormiter luxuriosus, à gravi infirmitate est arreptus: ex qua intumuerunt genitalia ad modum ollæ. In quibus gravissimè afflictus Deum præ doloribus blasphemabat: & aliquando dicens se ideo talia pati, quia in illis membris enormia egerat; nec tamen facti pœnitens, aut veniam petens, sed blasphemans fortiùs, immundum spiritum edidit.* De alio Principe idem narrat, eum *effusum in omne genus luxuriæ, gravi languore correptum in tabefactionem, & fœtorem intolerabilem incidisse. Quem quidam ejus familiaris vidit omnia interiora cum intestinis, & fœcibus, & fœtore maximo emittentem: & sine pœnitentiæ signis animam exhalantem.* Hæ sunt tribulationes reprobrorum, *& viæ difficiles*, quas affert concupiscentia carnis, valde remotæ à viis, & tribulationibus electorum.

Præterea concupiscentia oculorum, idest avaritia, habet quoque Avarorum viæ difficiles.
vias difficiles multas; suas tribulationes exhibens, quæ ad prædestinationis signum non pertinent. Quippe avarus sæpe nuditatem, & famem tolerat: & parcit ori suo, ut parcat marsupio de hujusmodi dicit Ecclesiastes c.6. *Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines. Vir cui dedit Deus divitias, & substantiam, & honorem: & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat. Nec tribuit ei potestatem, ut comedat ex eo: sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas, & miseria magna est.* Parit præterea avaritia anxietatem in opibus acquirendis, sollicitudinem in custodiendis, metum de amittendis, dolorem de amissis. Omitto labores, pericula, tempestates, quas multi mercatores tolerant, Oceano mensо, ac remenso: sæpe gemmas mercati pretio non minore, quàm capitis. De avaro ita scitè Ambrosius lib.3. off. c. 6. *ambit frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam; uberes soli partus ingemiscit: flet publicam fertilitatem: horrea frugum plena deplorat.* Huic scilicet ipsa mer divitiarum possessio in pœnam vertitur, ideoq; divitiæ appellantur spinæ Lucæ 8. *quod cecidit in spinas, hi sunt, qui à divitiis*, &c. quia *divitiæ*, ut ait Gregorius hom. 15. in Evang. *cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant.* Quod observans Augustinus serm. 15. de diver. *omnis*, inquit, *terrena possessio supplicium est cupiditatis: ut in ipsis bonis crucietur animus, cui viluit qui tanta largitur.* Hæ tribulationes ex avaritia profectæ ad prædestinationis signum non pertinent: quia avaritia maximum reprobationis est signum, ut ostendetur c.12.

Eccles.6. Avarus parcit ori, ut parcat marsupio.

Avarus gemmas mercatur pretio capitis.

Ambrosius.

Divitiæ spinæ.

Augustin.

Denique superbia vitæ tribulationes etiam parit suas. Et superbi Superborũ viæ difficiles.

ambulabant vias difficiles. Quippe superbus cruciatur, cum despectui habetur: cum inimicitias exercet: cum injuriis lacessitur: cum ad ultionem aspirat: cum destinat ad necem, cum destinatur: cum ad honores, quibus inhiat, non pervenit: cum æmulos sibi conspicit anteferri: cum obsequium iis præstat, à quibus sperat: cum famulari cogitur, ut dominetur: cum invidia tabescit: cum ita inflammatur: cum odio dissecatur: cum ejus fraudes, ac simulatio detegitur: cum denique multorum ore vituperatur. Quod observans Bernardus tract. de gradibus humil. grad. 9. *Quanta*, inquit, *tunc confusio fit in corde superbo: cum fraus decipitur: spes amittitur: laus minuitur: nec culpa diluitur: cum notatur ab omnibus: judicatur ab omnibus.* Hæ tribulationes è superbia profectæ à prædestinationis signo expunguntur: quia superbia reprobationis est signum, ut ostenderur cap. 10.

Bernardus.

Chrysost.

Vniversim de tribulationibus vitiosis loquens Chrysostomus hom. 66. ad Pop. Antioch. easque distinguens à tribulationibus electorum, *Si*, inquit, *ita non tribularis* (ut electi tribulationibus fructuosis) *omnino necessarium est tribulari ex alia materia sine lucro. Nam & invidus, & pecuniarum amator, & meretrices deperiens, & gloriæ cupidus tribulationes sustinent multas.* Vnde infert infra: *Cum igitur & illam, & hanc degentes vitam* (scilicet malos, & bonos) *tribulari necesse sit: cur hanc non eligimus, quæ cum tribulatione infinitas nobis coronas accumulat?* Tribulationes infructuosas reproborum, fructuosas electorum perpendit Chrysostomus. Sed tamen longè graviores sunt tribulationes reproborum: quia hæ ortæ à peccatis, sunt onus grave. Ideo dicit Propheta, *& sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Psalm. 37. Tribulationes verò electorum sunt onus leve: de quo dicitur *onus meum leve.* Matth. 11. Quamobrem Bernardus serm. de obedientia, &c. *Nemo*, inquit, *ex filiis Adæ sine labore vivit: nemo sine dolore.* (Ecce tribulationes communes electis, & reprobis (*Est qui declinat aliquos: sed incidit procul dubio in graviores. In labore, inquit, non sunt; & cum hominibus non flagellabuntur.* (Ecce reprobos, qui sine tribulatione videntur esse in hac vita) *Non tamen continuò sine labore sunt: aut minimè flagellantur. Operti sunt iniquitate, & impietate sua, gravibus sanè flagellis.* Ecce *onus grave* in tribulationibus reproborum: cum tribulationes electorum sint *onus leve.*

Tribulationes improborum.

Tribulationes infinitas coronas accumulat.

Tribulationes impiorum onus grave: bonorum onus leve.

Psal. 37.

Matth. 11.

Bernard.

Tribulationes impiorũ graviores quàm justorum.

CXXXVIII.

Porro tribulationum triplex genus per crucem triplicem designatur, nempe Christi, boni latronis, & mali. Crux Christi designat tribulationem, quæ obvenit innocenti. Crux boni Latronis eam, quæ nocenti obvenit: sed sustinetur innocenter, sine nova culpa. Crux mali latronis eam, quæ obvenit nocenti: & sustinetur nocenter. Prima, & secunda est propria electorum; tertia reproborum.

Triplex crux, triplex genus tribulationis designat.

Quod indicans Hugo Victorinus in alleg. Gotfr. Tilm. *In prima*, inquit, *cruce gloriatio : in secunda consolatio: in tertia confusio. In prima glorificatio : in secunda remissio :* (utique peccatorum) *in tertia damnatio.* Patiuntur igitur electi crucem suam ; patiuntur & reprobi : cum hoc discrimine, quod electi patiuntur crucem corporis cum consolatione mentis ; reprobi verò cum consolatione corporis crucem mentis. Quam crucem in Iudæis reprobis agnoscens Augustinus tract. 5. in Ioann. *Quam*, inquit, *crucem mentis invidentia principum Iudæorum perpeti poterat: quando Regem suum Christum tanta multitudo clamabat.* Vt autem videatur exactiùs, quæ sit ista *crux mentis* propria reproborum ut contradistincta à cruce, & tribulatione electorum : *crux mentis* in reprobis non solùm est illa, quæ trahitur ex metu, anxietate, & dolore circa temporalia : sed illa etiam, quam fert universaliter reprobis conscientia delictorum. Intuitu cujus præcipuè reprobi de se, ut supra dictum est, fatebuntur. *Ambulavimus vias difficiles : lassati sumus in via iniquitatis.*

Hugo Vict.

Impii patiũtur crucem mentis. *August.*

Crux mentis in reprobis ex conscientia mala.

De hoc cruciatu, quem reprobis crux affert conscientiæ malæ, dicitur Isa. 57. *Non est pax iniquis, dicit Dominus.* Quia utique, cum impius non servet pacem cum Deo, neque conscientia servat pacem cum impio. Ratio hujus à priori est, quia inhonestum delectabili admixtum, est contrarium rationi. Sicut enim bonum appetitus sensitivi est delectabile : ita bonum appetitus rationalis est honestum. Vnde fit, ut inhonestum contrarietur appetitui rationali: sicut asperum contrarium delectabili contrariatur appetitui sensitivo. Hæc autem contrarietas, per rebellionem appetitus inferioris ad superiorem, bellum parit : quo pax animæ omnino tollitur. Et ideo, *non est pax impiis, dicit Dominus.* Quia, bello intestino, appetitus sensitivus ex una parte, ex altera rationis dictamen, & conscientiæ stimuli rationis satellites tumultuantur. Quod expendens Chrysostomus or. 1. de Lazaro *Explica mihi*, inquit, *istius conscientiam : & videbis intus gravem peccatorum tumultum, perpetuum metum, tempestatem, tribulationem.* Hæc est tribulatio reproborum : qui intus patiuntur bellum interius : foris aliquando pace potiuntur exteriùs. Quod si tribulatio etiam exteriùs ingruat, non habent interiùs arcem, ad quam confugiant : cum interiùs etiam omnia tumultuentur. Quod contra accidit in tribulationibus electorum : quibus accessus est ad arcem tutissimam, & semper pacatam conscientiæ bonæ. Est observatio Augustini enarr. in Psalm. 45. ubi, *Inter omnes*, inquit, *tribulationes humanæ vitæ, nulla est major tribulatio, quàm conscientia delictorum. Namque, si ibi vulnus non sit, sanum sit interius hominis, quod conscientia vocatur : ubicunque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi Deum invenit. Si autem ibi quies non fuerit, quid facturus est homo ? quò confugiet, cum tribulationes pati cœpe-*

Isaiæ 57. Peccatori cur non sit pax.

Bonum rationis est honestum, bonum sensus delectabile.

Conscientiæ stimuli, satellites rationis. *Chrysost.*

In tribulationibus reproborum nulla interior consolatio. *August.*

Arx bonæ conscientiæ in tribulationibus asylus.

Peccator, conscientia

persequẽte, non habet quò fugiat

rit ? *Fugiet ab agro ad civitatem, à publico ad domum, à domo ad cubiculum : & sequitur tribulatio. A cubiculo quò fugiat non habet, nisi interiùs ad cubile suum.* (ad cubile cordis) *Porro si ibi tumultus est, si flamma sceleris, pellitur inde : & cum inde pellitur, à seipso pellitur : & ecce hostem suum invenit, quò confugerat, seipsum.*

Vides bellum internum : in quo idem hostis est sibi ipsi: ideo *non est pax impiis.* Quia justi, cum tribulantur ab hoste extrinseco, possunt aliò ab hoste fugere. Impii verò non possunt fugere à seipsis.

Augustin.

Quamobrem subdit Augustinus, *Quocunque fugerit se, talem* (hostem) *trahit post se : & quocunque talem traxerit se, cruciat se.* Ecce *crucem mentis :* quam, ut dictum est, reprobi patiuntur ex interno bello, tumultuque conscientiæ ; dum ipsimet tanquam hostes lancinant semetipsos. Ideo dicitur Prov. 28. *Fugit impius nemine persequente :* quia semper habet hostem, & persecutorem seipsum. Hinc fit, ut dicebat Augustinus, ut non possint fugere ab hoste, quia non possunt fugere à seipsis. Hoc igitur discrimen est inter tribulationes electorum, & reproborum : quod ii, dum persecutiones, & bella patiuntur exteriùs, pace potiuntur interiùs. De reprobis verò dicitur, *Non est pax impiis* : quia, dum pace gaudere videntur exteriùs, bello cruciantur interiùs. Quod observans Ambrosius lib. 1. offic. cap. 12. *Peccator*, inquit, *quamvis foris abundet : deliciis diffluat, flagret odoribus* : (ecce pacem, & prosperitatem exteriùs) *in amaritudine animæ vitam exigit.* Ecce bellum interius, & tumultum in fundo animæ.

CXXXIX.

Prov. 28.

Peccator cur fugiat nemine persequente.

Discrimen inter tribulationes electorum, & reproborum.

Ambrosius.

Isaiæ 38.

Amaritudo justorum in dulcedine pacis.

Isaiæ 57.

Peccatoris conscientia mare fervens.

Chrysost.

Reprobi igitur, dum pax apparet, sunt in bello: electi, dum bella ingruunt, sunt in pace. Ideo dicitur Isaiæ 38. *ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Bellum, & amaritudo exterior his est in pace : iis verò pax, & dulcedo exterior est in bello. Bellum hoc, & tribulationem internam reproborum explicavit c. 57. Isaias, dum dixit, *impij quasi mare fervens : quod quiescere non potest.* Non poterat hæc reproborum tribulatio aptiùs oculis subjici, quam similitudine procellosi maris, undique fluctibus agitati. Quod uberiùs explicans Chrysostomus hom. 20. in Genes. *Perpetua*, inquit, *in ejus* (peccatoris) *animo tempestas est : & reciprocantes fluctus, & contrarij.* Assimilatur autem cor impii *mari ferventi.* Quod proprium est ollæ, in qua aqua subjectis flammis ebullit, & fervet. Ideo dicitur Iob 41. *ollæ succensæ, atque fervent*es : quia olla succenditur, ut ferveat. Ingens profectò ignis requiritur, ac pene immensus, ut mare ferveat. Si totus ex inferis ignis erumperet, subjiciendus mari foret, quò ferveret ad modum ollæ. Nimirum cor reproborum quasi mare fervens: quia, ut inardescat hoc mare, totus etiam in hac vita impiorum animis inferni ignis subjicitur. Quamobrem Ambrosius lib. 1. offic. cap. 12. *Ipsa*, inquit, *quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum*

Ambrosius.

Intra peccatoris cõscientiam infernus.

requies, est in inferno. Ac si diceret, videtur inter mundanas prosperitates, improborum cor quasi mare tranquillum: sed est *quasi mare fervens:* quia intus infernus latet. Legit Vatablus, *impij ad modum Euripi fremunt.* Euripus autem quotidie septies fluxum reciprocat, & refluxum: cujus rei admirabilis, dum indagaret causam, obijsse Aristotelem ferunt. *Impij* autem dicuntur *sicut Euripus:* quia eorum non pauci dum ex peccatis in peccata, quæ septem ex capitalibus numerantur, veluti fluunt, ac refluunt: *instar Euripi* fervent, septem reciprocantis fluxus, atque refluxus. Ideo dixit Chrysostomus loco cit. *in animo impij reciprocantes fluctus esse, & contrarios.* Si tamen videntur reprobi, inter mundanas prosperitates, magna tranquillitate gaudere: tunc maximè timendum est; quia sub tranquilla maris facie, Euripi voraces delitescunt: quia *impij sicut Euripus fremunt.* Ideo Hieronymus epist. 1. ad Heliodorum: *Licet*, inquit, *in modum stagni fusum æquor arrideat* (per prosperitates utique exteriùs arridentes) *intus inclusum est periculum: intus est hostis. Tranquillitas instar tempestatis est.*

Vatablus.

Cor impij cur quasi Euripus.

Chrysost.

Hieronym.

Contra verò electi, dum tempestate per tribulationes varias incitari videntur exteriùs, intus tranquilla omnia sentiunt. Ideo dicitur Isaiæ 59. *Inundabo super eam* (animam justi) *quasi fluvium pacis.* Internam electorum pacem non mari, sed fluvio comparat: quia mare non rarò ventis agitatur, ac fluctibus: fluvius verò tranquillus semper fluit, fluctuum, ac tempestatum omnino expers. Quod animadvertens Ambrosius lib. de Neboth. cap. 14. *Quietus*, inquit, *affectus nullis diversarum cupiditatum exagitatur fluctibus: nullis avaritiæ turbatur procellis: nullis ignescit incendijs.* Alludit ad cor impij, quod dicitur *mare fervens*, ex subjecto incendio cupiditatum. animus verò justi *nullis ignescit incendijs*, inter quascunque tribulationes externas, ex Ambrosio, *nullis exagitatus fluctibus: nullis turbatus procellis:* & ideo ejus pax non mari assimilatur, sed fluvio, *Inundabo super eum quasi fluvium pacis.* Fluvius quippe hic non tempestates, ac fluctus; sed aureas bonorum actuum veluti arenas evolvit, Gange, Tagoque splendidior: ita ut de justi quoque nonnisi aurea tempestate usurpari possit illud Poëtæ, *Tempestas pretiosa Tagi.* Hoc igitur discrimen inter tribulationes electorum, & reproborum: quod illi mare tribulationum, & tempestates patiuntur exteriùs: ita ut unusquisque dicere possit cum Propheta psal. 68. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Intus autem in maxima tranquillitate versantur; in eorum corda *inundante fluvio pacis.* Reprobi verò, dum tranquillitate inter prospera gaudere videntur exteriùs, maris & Euripi tempestates patiuntur interiùs: & ideo dicuntur *impij quasi mare fervens, instar Euripi*, &c.

Isa. 56.

Pax justorũ cur fluvio comparetur.

Ambros.

CXL.

Tribulationes justorum aureæ, & pretiosæ.

Claudian.

Electis tẽpestas deforis, interiùs tranquillitas: contra accidit in reprobis.

Psal. 68.

Conscientia improborum.

Alia similitudine, nempe nubis, occulta reproborum perturbatio

semper in nubilo. *Thren.3. Ambros.*

explicatur, dum scelesto dicitur Thren. 3. *opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Quippe conscientia improborum, dum foris videntur serena omnia, semper versatur in nubilo. Quia, ut ait Ambrosius lib.2.de Abraham cap.4. *nebulis quibusdam conscientiæ, mens obducitur.* Contra verò electorum mens, dum extrinsecùs ij per tribulationes esse videntur in nubilo, serenitate perpetua fruitur supra nubes.

Conscientia bonorũ supra nubes. *Isaiæ 58. Gregorius.*

Quod videtur innuisse Isaias cap.58. dum cuique electorum dicitur, *sustollam te super altitudinem terræ*, ideſt super omnes perturbationes terrenas, quas electi potiùs sub se vident, quàm in se: dum spe jam sunt in cælestibus. Quod animadvertens Gregorius lib.31.mor. cap.19. *Electorum*, inquit, *specimen est, quod per spei certitudinem noverint se jam ad alta pervenisse: quatenus cuncta, quæ præterfluunt, sub se vident. Hinc est quod sequenti se animæ per Prophetam Dominus dixit, sustollam te super altitudinem terræ.*

Olympi montis altitudo supra nubes. *Augustin.*

De Olympo monte tradunt Cosmographi adeo excelsum esse, ut in ejus fastigio collocatus quis verti nubes, coruscare fulgura, vibrari fulmina, efflare ventos, ruere imbres, candicare nives, corrotari grandines sub se videat, montis culmine semper sereno. Quod adnotavit etiam Augustinus lib.1. de gen. contra Manich. cap.15. ubi, *Mons*, inquit, *ille Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis esse dicitur, ut in eius cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes se colligant: quia totum istum aërem* (scilicet mediam regionem, in qua nubes) *sua altitudine excedit.* Monti huic persimilis est mens electorum. Quippe dum in his omnia turbari videntur adversitatum nubibus, procellis, turbinibus: ipsa interiùs in rationis fastigio perpetua fruitur serenitate, ea omnia despiciens infra se. Quod adnotans idem Gregorius loco citato: *Animæ*, inquit, *sequenti se Dominus per Prophetam dicit, sustollam te super altitudinem terræ. Quædam namque inferiora terræ sunt damna, contumeliæ, egestas, abjectio.* Supra has nempe nubes, quæ infra ipsam rorantur exterius, electorum mens tollitur: dum inter adversitates ipsas, procellasque corporis, serena permanet conscientia. Ideo præstantissimus ex ethnicis Philosophus moralis Seneca epist. 58. bonorum statum etiam supra lunam collocat, à perturbationum procellis tutissimum. *Talis*, inquit, *est sapientis animus, qualis mundi status super lunam.* Hinc apud Stoicos paradoxum illud tristissimum, *Sapientem etiam inter tormenta beatum: quia dolores suos spectat ex alto.* Hæc est pax, quam in electis mentis arx possidet, dum subtus omnia tumultuantur. Contra verò in reprobis, dum pax blandiri videtur exteriùs, in suprema mentis arce, *non est pax impijs dicit Dominus.*

Iusti mens Olympo monti similis. *Gregor.*

CXLI. *Seneca.* Iusti mens supra lunam.

Hoc idem mysterium indicasse videtur Christus: dùm post resurrectionem discipulis apparens, *dixit eis, Pax vobis: & cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus* Ioan. 22. nempe manus in cruce vulneratas,

Ioan.22.

vulneratas, & latus perforatum lancea. Quia pax, quam promittit electis, nonnisi in vulneribus, & cruce reponitur: per cujus communicationem confertur pax. Ideo Chrysostomus in hunc locum, *Pacem*, inquit, *annuntiat, ut consoletur: simul demonstrans* (utique ostendendo eis vulnera) *crucis efficaciam: per quam solvit omnia tristia, & contulit omnia bona: & hæc est pax.* Electi igitur pacem mentis agnoscunt in tribulatione, & cruce corporis; per quam cum Christi cruce communicant. Reprobi verò in pace corporis sentiunt, ut supra dictum est cum Augustino, *crucem mentis.* Quippe qui neque pacem norunt, neque viam pacis. Ideo de iis dicitur Isa. 59. *& viam pacis nescierunt.* Unde concluditur verificari, quod dictum est supra ex Isaia, *Non est pax impijs dicit Dominus.* Vertit hoc cum Septuaginta Bernardus ser. de obedientia, & patientia, *non est gaudium impijs.* Gaudium autem, & pax distinguuntur. Ideo dicitur ad Galat. 5. *Fructus spiritus sunt charitas, gaudium, pax*: quia paci, & quieti tumultus, & inquietudo opponitur: gaudio verò tristitia. Porro reprobi inter mundanas prosperitates neque pacem obtinent, neque gaudium. Quippe *non est gaudium impijs dicit Dominus.*

Pax nonnisi in Christi cruce, & vulneribus. *Chrysost.*

Isaiæ 59.

Bernard.

Ad Gal. 5. Pax distinguitur à gaudio.

Ratio à priori est, quia delectatio in potentia oritur ex proportione objecti ad potentiam: & ideo harmonia in sono delectat auditum; dulcedo in cibis palatum: mollitudo tactum: pulchritudo visum, &c. Contra verò dolor, & tristitia oritur ex improportione objecti ad potentiam. Ideo dissonantia in sono parit fastidium auribus: amaritudo in cibis refugitur à palato: asperitas gignit dolorem in tactu: turpitudo objecti visibilis abhorretur à visu. Cum igitur honestum sit conforme rationi, inhonestū difforme, ut supra notatum est: sequitur necessariò à prosecutione objecti honesti gigni delectationē in ratione; sicut ab harmonia voluptatem in auribus, tantò majorem, quantò potentia est nobilior. Ab objecto verò inhonesto, & dissono rationi gigni oportet in eadem tristitiam, & dolorē: sicut ab aspero in tactu, ab amaro in palato, à dissono in auribus. Impossibile igitur est, quin quando ex objecto inhonesto delectatio aliqua hauritur in sensibus, gignatur simul tristitia, & dolor in ratione, cui talis delectatio contrariatur. Et ideo secundùm supremum, & nobilissimum gradum hominis, qui est ratio, *non est gaudium impijs dicit Dominus.*

Cur ex peccato oriatur tristitia in ratione.

Delectatio in appetitu rationali, ex honesto.

CXLII.

Additur supra tristitiam, ortam in ratione ex deformitate objecti sibi difformi, mœror; quem parit metus pœnæ imminentis pro culpa: cū unusquisque peccatū mortale committens pro præsenti justitia damnatus sit ad gehennam. Sicut igitur ij, qui damnati sunt capitis, neque gaudere, neque delectari somno possunt, aut cibo: quia mortis imminentis aspectus illorum animis obversatur; ita multò minùs verum gaudium illorum animis inesse potest, qui ex Christiana fide certò norunt se ex præsenti justitia ad æternam mortem damnatos, si

Conscientiæ mœror in improbis ex pœna imminente.

vita ex improviso deficiat, detrudendos esse ad gehennam: prandentes mane, & nescij an sint, ut ille dixit, *cœnaturi apud inferos*. Somno se dantes, ambigui an è cubili trahendi sint mox ad tartara, nõ ultra per totam æternitatem lucis aspectum hausturi. Ideo *non est gaudium impijs dicit Dominus*. Quod animadvertens Chrysostomus hom. 20. in Genes. *Peccatori*, inquit, *neque somnus suavis est, sed terrore, & formidine plenus: neque cibus voluptatem præbet: neque amicorum colloquia talem refocillare, aut liberare ab anxietate possunt*. Huc facit factum illud Dionysij tyranni cum Damocle: quem epulari jussit, dum illius capiti gladius impenderet. Narrat hoc Tuscul. quæst. lib. 5. Tullius. *Collocari*, inquit, *hominem iussit* (Dionysius Damoclem) *in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto: abacosque complures ornavit argento, auroque cælato. Tum ad mensam eximia forma iuvenes iussit consistere: eosque ad nutum illius diligenter intuentes ministrare. Aderant unguenta, coronæ: incendebantur odores: mensæ conquisitissimis epulis extruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari seta equina appensum demitti iussit: ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos administratores aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam. Iam ipsæ defluebant coronæ. Denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod iam beatus nollet esse. Satisne videtur declarasse Dionysius nihil esse ei beatum, cui semper aliquis terror impendeat?* Nihil hoc exemplo aptius ad ponendum ob oculos inter ipsasmet mundanas prosperitates infelicem statum reproborum. Quippe, dum hi cum divite illo Evangelico *epulantur quotidie splendide*: inter ipsamet lauta convivia eorum cervicibus imminet gladius divinæ justitiæ, è tenuissimo pendens filo humanæ vitæ.

Chrysost. Conscientiæ neque somnus suavis est, neque cibus.

Tullius. Peccatoris status explicatur Dionysij tyranni facto cũ Damocle.

CXLIII.

Conscientiæ malæ, divinæ justitiæ gladius imminet.

Quamobrem mirum non est, quod in tam gravi discrimine, unde semel tota pendet æternitas, quietè nequeant ori cibum ingerere: quod iis, inter tot gulæ incitamenta exquisitarum dapum, sapor ipse desipiat: quod denique, ut dictum est cum Chrysostomo, *cibus ei non præbeat voluptatem*. De hoc convivio, in quo perturbatæ peccatoris conscientiæ divinæ ultionis gladius imminet, aptè dixit Ambrosius lib. 1. offic. cap. 32. *Vides convivium peccatoris? interroga conscientiam eius. Intueris lætitiam? Introspice ulcera, & vibices animæ eius, cordisque mœstitiam*: gladio scilicet capiti impendente inter dapes. Ideoque reprobi inter ipsa convivia quasi jejunant: quia *non est gaudium impijs dicit Dominus*.

Convivũ peccatoris quã triste. *Ambros.*

Prov. 15. Conscientia bona perpetuum conviviũ.

Contra verò justi inter ipsa jejunia convivantur. Idcirco dicitur Proverb. 15. *Secura mens inge convivium*. Securitatem hanc electis parit bona conscientia. Quemadmodum enim reprobi, dum in statu malo sunt, si fulgur coruscet, si tonitrus personet, expalleſcunt: &,

ut notat conc. 1. de Lazaro Chryſoſtomus, *timor eis undique, ac tremor, ſuſpicio, anxietas: angulos metuunt: umbras ipſas formidant:* ita plerumque electi inter cæli minas, inter fulgura, inter tonitrus imperterriti, ſecuritate gaudent conſcientiæ bonæ. Quod adnotans Bernardus lib. de inter. domo cap. 23. *Nihil*, inquit, *eſt jucundius, nihil tutius, nihil ditius conſcientia bona. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit ſecura.* De hac ergo dicitur, *Secura mens juge convivium:* quia iſta ſecuritas jucunditatem affert, epulis, ac deliciis omnibus ſuaviorem. Quod animadvertens Chryſoſtomus hom. 15. in Matth. *Cum*, inquit, *nullis conſcientiæ ſtimulis animus pungitur, magno fruitur gaudio, & inexplicabili. Quidnam tibi videtur in hac vita jucundum? menſa-ne delicioſa? ſed hæc illi voluptati, quæ virtutem conſequitur, comparata, amara videtur, & plena triſtitiæ.* Porro, ut addit Hugo in hunc locum, *convivæ in hoc convivio ſunt virtutes: quæ omnes propriis ferculis reficiuntur: ſicut in corporali convivio omnia membra corporis reficiuntur.* Electis igitur præbent jejunia ipſa convivium: reprobis verò convivia ipſa jejunium. Quia *non eſt pax, non eſt gaudium impiis dicit Dominus:* cum contra in juſtis ſit gaudium, & pax. Quippe fructus ſpiritus, charitas, gaudium, pax. ad Galat. 6. Minus malum profectò foret, ſi neque pax impiis, neque gaudium foret; niſi etiam eſſet pœna.

Timor cõſcientiæ malæ, ſecuritas bonæ. *Chryſoſt.* *Bernard.* *Chryſoſt.* *Hug. Card.* *Ad Gal. 6.*

Ad oſtendendum verò quæ, & quanta ſit tribulatio reproborum inter proſperitates, & quàm gravior ipſis tribulationibus electorum: animadvertendum eſt non expectari à reprobis in futuro judicio accuſatores, teſtes, tribunal, judicem, ſententiam, carcerem, carnificem, ſupplicium, mortem, ſepulchrum, vermes, infernum. Hæc omnia reprobis, inter præſentis vitæ proſperitates, ſola præſtat conſcientia. Conſcientia eſt accuſatrix, conſcientia teſtis, conſcientia tribunal, conſcientia judex, conſcientia reus, conſcientia decretum, conſcientia carcer, conſcientia carnifex, conſcientia ſupplicium, conſcientia mors, conſcientia tumulus, conſcientia vermis, conſcientia infernus. Has tredecim tribulationes patitur reprobus à conſcientia, valde diverſas à tribulationibus electorum.

CXLIV. Conſciẽtia reprobis futurum judicium prævertit. Tredecim tribulationes reproborũ, quas iis offert conſcientia.

Primò conſcientia eſt accuſatrix: quia cum ſuo dictamine ſemper loquitur, ſemper arguit, ſemper dictat, irrationabiliter, & malè patratum eſſe, quod contra divinam legem patratum eſt. Ideo dicebat David Pſalm. 50. *peccatum meum contra me eſt ſemper:* quia licet homicidium Vriæ fere omnibus occultum eſſet, licet nemo in Regem auderet inſurgere accuſator: ipſa tamen conſcientia peccati eum acriter accuſabat. Quod perpendens Chryſoſtomus hom. 3. de verbis Iſaiæ, *ponatur*, inquit, *nulli notum eſſe flagitium præter quàm ipſi uni: quomodo feret conſcientiam redar-*

Pſalm. 50. Conſciẽtia Davidis accuſatrix. *Chryſoſt.*

Lamech sui ipsius accusator. *Genes.4. Chrysost.*

guentem, acerbam, & amarulentam accusatricem? Ideo Lamech post occultam occisionem Caïni, seipsum accusans, nemine alio accusante, *occidi*, inquit, *virum in vulnus meum: & adolescentulum in livorem meum.* Genes.4. Quod perpendens Chrysostomus hom. 20. in Gen. *Quis*, inquit, *istum, dic obsecro, ad confessionem adegit? nullus alius quàm conscientia: nam simul ac in peccatum declinavit, statim conscientia insurrexit inclamans, & ostendens magnitudinem peccati.*

Conscientia ante peccatum mutа, post peccatum clamitat. *Chrysost.*

Hoc autem proprium est improborum, ut ante peccatum cœlent sibimetipsis illius obscœnitatem, conscientia ex passionis impetu oppressa pœnè obmutescente, aut valde exiliter reclamante: post peccatum verò, passionis impetu lentescente, conscientia clamores edat immensos, quibus sceleris magnitudinem prodit: ut ait Chrysostomus, *inclamans, & ostendens magnitudinem peccati.* Ita ante peccatum impellit ad facilitatem peccandi: post peccatum ad desperationem veniæ. Quod observans loco citato Chrysostomus, *ita*, inquit, *se habet peccatum, ut priusquam fit, obtenebret, ac decipiat mentem: postquam autem commissum fuerit, suam nobis absurditatem proferat, & ostendat.* Hoc videre est in Caïno, qui ante peccatum non advertens gravitatem facinoris, *dixit ad Abel fratrem suum, egrediamur foras; cumque essent in agro, interfecit eum.* Genes.4. voluptatem agri captans in homicidio. Post peccatum verò deferuescente ira, delicti enormitatem agnoscens, desperata venia dixit, *major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Nimirum, dum peccatur, nebulæ animo offunduntur, ut deformitas lateat: patrato verò peccato, discussis nebulis, apparet enormitas. Quod notans Ambrosius lib.2. de Abraham c.4. *dum*, inquit, *in quadam sumus delinquendi libidine, nebulis quibusdam conscientiæ mens obducitur, ne videat deformitatem: sed, cum nebula transierit, gravia tormenta exercentur in quodam modo conscij secretario.*

Caïn cur desperarit post peccatum. Peccati deformitas ante factum latet: post factum apparet. *Ambros.*

CXLV.

Advertendum est autem in Caïni homicio enormitatem peccati, quæ ante factum apparebat valde minor quàm erat, post factum exhibitam illo fuisse longè majorem, quàm erat: nempe majorem, quàm sit ipsa Dei infinita misericordia: *Major est iniquitas mea*, &c. Certè sanguis Abel clamavit ad Deum accusans Caïnum. Ideo ei dicitur, *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Genes. 4. eodem tempore conscientia clamavit ad Caïn accusans ipsum apud seipsum. Tamen sanguinis clamor, & accusatio non intercluſit apud Deum misericordiam. Conscientiæ verò clamor, & accusatio valde fuit acerbior: quæ misericordiæ aditum intercludebat, ipso dicente *major est iniquitas mea*, &c. Ideo non immeritò appellata fuit à Chrysostomo, hom.3. cit. de verbis Isaiæ, *conscientia acerba, & amarulenta accusatrix.* Profectò accusatrix tam acerba, ut socios ad accusandum

Conscientia accusatrix omnium acerbissima. *Genes.4. Chrysost.*

delictum, ipsos etiam videatur mortuos excitare. Quod apparet in Saüle. Qui, dum vulneratus esset à Philistæis, postulavit à viro Amalecita ut ipsum celeriter interficeret. *Sta super me, & interfice me: quoniam tenent me angustiæ* 2. Reg. 1. sive ut ex Hebræo vertitur, *tenent me oræ vestimenti sacerdotalis*. Nimirum occidi jusserat Saül sacerdotes innoxios, ut habetur 1. Reg. 22. Ideo cum morti proximus esset, conscientia illi sacerdotes injustè occisos objecit; ac si denuo vivi eum, spirantesque comprimerent, & patrati sceleris accusarent. Quam accusationem morte acerbiorem non ferens, Amalecitæ dixit *sta super me, & interfice me: quoniam tenent me oræ vestimenti sacerdotalis*. Hæc est observatio Abulensis in eum locum q. 5. ubi, *videbatur*, inquit, *sibi Saül, quod propinquus morti videret sacerdotes Domini* (eos nempe, quos occiderat) *accusantes eum in judicio coram Dei*.

Saül cur se postularit occidi ab Amalecita. 2. Reg. 1.

1. R g. 22.

Conscientia mortuos excitat, ut accusent.

Abulens.

Simile quid refert Sanderus lib. de schismate Anglicano, contigisse Angliarum Regi Henrico Octavo. Qui, imminente jam morte, æternam salutem desperans, sæpiùs monachos inclamabat: ac si monachi, quos ob Catholicæ fidei confessionem laqueo suspendi, morique jusserat, illi mox morituro veluti accusatores astarent. Nempe ante obitum prævenientes judicium: & juxta dictum Abulensis, *accusantes eum in judicio coram Domino*. Hæc de prima tribulatione reproborum ex conscientia, juxta Chrysostomum, *acerba, & amarulenta accusatrice*: quæ acerbas accusationes tum in vita, tum præcipuè exhibere solet in morte.

Sanderus.

Henrici Octavi in morte desperatio.

CXLVI.

Conscientia delicti accusatrix est simul, & testis.

Secundò tribulationes patiuntur reprobi ex conscientia non accusatrice solùm, sed etiam teste. In aliis quippe judiciis accusatio irrita est sine teste: & actore non probante, reus absoluitur. In hoc verò judicio, quod in aliis judiciis renuitur, eadem conscientia est accusatrix, & testis. Hoc intueri licet in primo homine, & primo etiam ex hominibus peccatore Adamo. Hic enim post peccatum vocatus à Deo *vocem*, inquit, *tuam audivi in Paradiso, & timui*: Genes. 3. Certè hic peccaverat, nullo teste, præterquam Eva consorte thori, & delicti. Serpens, qui conscius erat, aufugerat. Is verò, qui eum vocabat, non solùm videbatur ignorare delictum, sed etiam ignorare ubi esset. Ideo dixit *Adam ubi es?* & Adam ipse respondit, *eò quòd nudus essem abscondi me*. Cur ergo is, qui putavit se abscondi potuisse à Deo, non etiam putavit nullo alio teste abscondi potuisse delictum? Sentiebat profectò conscientiam admissi facinoris accusatricem simul, & testem: & ideo ait *vocem tuam audivi, & timui*, à propria conscientia accusatus. Est animadversio Chrysostomi hom. 17. in Genes. ubi, *quare*, inquit, *dic oro, timuit? Quoniam videbat trucem sibi stare accusatorem conscientiam*. Vtique accusatorem, & testem: ideo subdit. *Neque enim alium objurgatorem peccati habe-*

Adam cur vocatus à Deo timuerit.

Genes. 3.

Chrysost.

bat, & testem: sed unicum illum, quem intrinsecùs circumferebat.

Conscientia peccatori testis omnium molestissimus.

Iure perpendit *testem, quem intrinsecùs circumferebat.* Nam, ut cæteros quosque peccando quis lateat, certè latere non potest seipsum. Excusationes peccati aliis jure, vel injuria potest obtendere: sibi verò non potest. Ideo Bernardus lib. 5. de consid. expendens ea verba

Bernardus.

Iob 7.

Iob 7. *quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis?* *nullus*, inquit, *molestior oculus suo cuique. Non est aspectus, quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minùs possit.* De hoc testimonio malæ conscientiæ habetur Sap. 17. *cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis. Semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia.* Vtique timens pœnam, & testificans culpam. Ideo

Sap. 17.

Chrysost.

Chrysostomus in Psalm. 50. *conscientia*, inquit, *peccati formidinis mater.*

Gygæus anulus non effugit oculum conscientiæ.

Ambros.

De Gygæo anulo fabulati sunt prisci, qui eum gestaret, videri potuisse à nemine. Ejus tamen anuli beneficio vitari non potuisset conscientia testis. Quod observans Ambrosias lib. 3. off. *Da*, inquit, *hunc anulum* (Gygeum) *sapienti, ut beneficio ejus latere possit, cum deliquerit. Non minùs fugiet peccatorum contagium, quàm si latere non possit.* Porro, si testem pudendi criminis, cum reus conspicit, erubescit: perpetua sanè erubescentia, & confusio oritur ex perpetuo

Ambrosius.

teste patrati facinoris, conscientia. Quamobrem Ambrosius lib. 7. epist. 44. *nemo*, inquit, *vel solus, vel cum altero aliquid turpe faxit: & si solus est, seipsum præ cæteris erubescat.* Testis hic nunquam solus

Conscientia testes sceleris advocat lapides.

Chrysost.

est: sed alios contestes advocat, lapides, parietes, solum ipsum, in quo commissum est peccatum: quæ mutis quibusdam vocibus exprobrare improbo peccatum videntur. Ideo Chrysostomus hom. 3. de verb. Isa. de adultero loquens: *Pavet*, inquit, *qui talis est, omnia: umbras parietes, lapides ipsos vocem mittentes.* Hæc est secunda reprobi tribulatio, quam patitur à conscientia teste.

CXLVII. Conscientia tribunal maximè formidandum.

Chrysost.

Tertiò conscientia exhibet illi tribunal, quo ante obitum, statim post facinus judicatur. Nullum profectò tribunal formidandum est magis quàm id, quod in conscientiæ solio, sibi regina ratio statuit. De hoc loquens Chrysostomus conc. 1. de Lazaro *explica mihi*, inquit, *istius* (peccatoris) *conscientiam. Videbis velut in curia mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem, & tanquam judicem confidentem.* Neque verò judex hic ex intima conjunctione, quam habet cum reo, à justitia deflectit, non delinitus blanditiis, non pecunia subornatus. Est quippe tribunal pœnæ divinum, per lumen rationis nobis à Deo insitum: de quo dicitur Psalm. 4. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Quamobrem Chrysostomus hom. 3. de verb. Isaiæ *hoc*, inquit, *tribunal* (conscientiæ) *non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit: eò quòd divinum est, & à Deo nostris impositum mentibus.*

Ratio regina in solio conscientiæ considet.

Psal. 4.

Chrysost.

Quintò conſcientia non ſolùm tribunal eſt, ſed etiam judex. quippe, ut ait Ambroſius lib. 7. epiſt. 47. ſibi *unuſquiſque animum ſuum ſeverum iudicem, ſui ultorem ſceleris, & vindicem criminis habet.* Statim ratio judicat, id, cujus conſcientia eſt accuſatrix, & teſtis, fieri non debuiſſe. Iudex hic reum veluti per torturam ad confitendum ſuum facinus adigit. Ideo Chryſoſtomus loquens de Lamech ſponte ſuum delictum prodente iis verbis *occidi virum*, &c. Geneſ. 4. *quis*, inquit, *iſtum, dic obſecro, ad confeſſionem adegit? nullus alius, quàm conſcientia, & incorruptus ille iudex.* Hic, timore tortore, ad internam confeſſionem proprij criminis vel invitos adigit reprobos, ut ait S. Leo ſerm. 8. de Paſſ. *habentes timorem non quo fides vera iuſtificatur; ſed quo conſcientia iniqua torquetur.*

Ambroſius. Conſcientia judex incorruptus. *Chryſoſt.* Conſcientia reos ad confitendũ ſcelus adigit per torturam.

Quintò eadem conſcientia, quæ Iudex eſt, perſonam ſuſtinet Rei. Et hoc eſt admirabile ut idem ſibi ſit judex, & reus: ſitque inter judicem & reum, tam conjunctos, judicium ſeveriſſimum. Quod adnotans Ambroſius, *quod*, inquit, *ſeverius iudicium, quàm domeſticum: quo unuſquiſque ſibi eſt reus?* Porro priùs in hoc domeſtico judicio unuſquiſque eſt ſibi reus, quàm apud quemlibet alium judicem: &, ut notat ibidem Ambroſius, *ſibi quiſque eſt reus, priuſquàm cæteris.*

Conſcientia iudex, & reus. *Ambroſ.*

Sextò conſcientia ipſa addit condemnationis ſententiam contra reprobum: de qua Ambroſius dixit loco citato, *nullum eſſe ſeverius iudicium, quàm domeſticum.* Quippe proprium eſſe ſolet reproborum ſuſpicari vehementer ſe ob ea, in quibus perſeverant, ſcelera, condemnandos: immo jam, ſuomet judicio, numerari inter damnatos. Ut mirum ſit, quomodo non dico gaudere ſed vivere poſſint: & in hoc aëre, ſuffocati mæſtitia, reſpirare. Quod expendens Chryſoſtomus conc. 1. de Lazaro loquens de divite reprobo, *obambulat*, inquit, *amarum accuſatorem circumferens conſcientiam: cum ſit ſuo ipſius iudicio damnatus: nec poſſit vel ad breve tempus reſpirare.* Hæc ſexta tribulatio, quam patitur reprobus à conſcientia.

Conſcientiæ judiciũ ſeveriſſimum. Reprobi ſuomet iudicio numerare ſe ſolent inter damnatos. *Chryſoſt.*

Septimò conſcientia eſt reprobo carcer: in quem detruſus, ut dicitur Lucæ 2. *ſedet in tenebris, & umbra mortis.* Ideo Bernardus ſerm. 4. de Aſſumpt. Virginis, *carcer*, inquit, *quidam eſt rea conſcientia.* In hoc carcere non deſunt vincula, & compedes: quibus in hac vita reprobi conſtringuntur. Neque immeritò, quia viliſſima Diaboli mancipia, ſe illi proprer voluptatem, aut honorem momentaneum vendiderunt. Quippe, ut dicitur. 1. Mac. 1. *venundati ſunt, ut facerent malum.* Quamobrem Ambroſius in Pſalm. 35. *imago*, inquit, *peccati miſeram inferens ſervitutem in ſua vincula trahit, ut ſe enodare non queat: quoniam volens ipſe ſe vendidit.* Hæc eſt ſeptima tribulatio ſervitutis, & carceris; quam affert conſcientia reprobis.

Conſciẽtia mala carcer. *Bernard.*

cx. viii. Reprobi mancipia ſunt diaboli. 1 Mac. 1. *Ambroſius.*

Conscientia sæviſſimus carnifex.

Octavo conscientia iis est carnifex, qui eosdem perpetuò cruciat. Apparet hoc in Caïno. Quem, post fratricidium, permisit Dominus fugere, antequam puniretur. *Egressusque Cain à facie Domini habitauit profugus in terra.* Genes. 4. Videbatur debuisse statim puniri, postquam ad vocem sanguinis Abel vocatus fuerat à Domino ad iudicium. Permisit tamen illi Deus fugam, qua veluti è iustitiæ manibus elaberetur: quia illi fugienti aderat conscientia carnifex, pœnas de eo sumens acerbissimas. Est obseruatio Ambrosij in Psalm. 35. ubi de Caïno loquens, *cum adhuc*, inquit, *à domino pœna cessaret, torquebat eum suorum conscientia peccatorum. Meruerat quidem ut percussor inhiberetur: sed sine nulla intermissione ipse sibi suus carnifex erat, ipse percussor.* Porro, si alicui criminis reo carnifex semper astaret: cum carnifice foret prandium, cum carnifice cœna, cum carnifice ambulatio, cum carnifice sessio, cum carnifice colloquia, cum carnifice accubitus: nullo certè hic affici posset gaudio, quod non illico carnificis aspectus extingueret. Hoc totum planè contingit improbo: nempe, ut ait Chrysostomus hom. 10. in Genes. *pecator secum quasi carnificem circumgestat.* Hæc est maxima tribulatio reproborum, & cum nulla alia conferenda: inter lauta conuiuia, inter aulea serico auroque texta, inter voluptates, inter delicias, inter plausus perpetuò secum suum *circumgestare carnificem.* Sanè is, cui visibilis carnifex astaret, posset ab ejus aspectu avocare oculos saltem dormiens. Sed conscientia carnifex suis spectris, ac laruis, etiam dormientibus solet esse terriculo.

Caïn cur non statim punitus. *Genes. 4.*

Ambros.

Conscientia sæper astat improbo tanquam carnifex.

Chrysost.

CXLIX.

Conspicere licet hoc in Rege Nabuchodonosor, qui ita de se fatetur Dan. 4. *Quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo. Somnium vidi, quod perterruit me: & visiones capitis mei conturbauerunt me.* Nihil somnio leuius, quod inanis quædam, & falsa imago est, & tamen potuit monarcham in summo felicitatis fastigio positum conturbare. Successorem ejus Baltassar, inter conuiuij regalis delicias, non armatus exercitus conturbauit, sed inermes *digiti quasi manus hominis scribentis. Tunc facies Regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum.* Dan. 5. urgente scilicet conscientia delictorum ob timorem, ne digiti illi contra eum sententiam scriberent. Affirmat Lyranus *non fuisse ibi manum secundùm existentiam; sed solùm apparuisse in oculis eius:* quasi objiciente illi spectra hæc conscientia. Regem verò Nabuchodonosor etiam dormientem non digiti, sed leuius digitis somnium conturbauit: quo arborem ingentem vidit mox succidendam. Innumerabiles sanè illi, intra sui fines imperij, arbores efflorebant: unam tamen somnians succidendam, adeo graviter turbatus est: quia conscientia facinorum suspicionem ingessit, quod succidendus ipse ea arbore signaretur. Ita reprobo somnus ipse plenus formidine, somniorum umbris, ac laruis

Conscientia torquet etiã dormientes. *Dan. 4.*

Somnium satis est ad turbandam felicitatem improbi.

Digiti inermes Regem Baltasar cõturbarunt. *Lyran.*

larvis conscientia exagitante turbatur. Quod expendens Chrysostomus hom. 10. in Genes. *Peccator*, inquit, *umbras tremiscit: neque ei suavis est somnus, sed formidine, & terrore plenus.* Ideo ille Rex improbus dicebat, *visiones capitis mei conturbaverunt, me:* dum scilicet conscientiæ malæ quasi carnificis aspectus, & vigilanti occurrit, & dormienti.

Chrysost. Somnus improbo plenus formidine.

Contra verò electis conscientia bona etiam inter tribulationes somnum affert placidissimum. Ideo David, qui dum esset in peccato de se dixerat, *dormivi conturbatus* Psal. 56. dum esset in via prædestinationis in statu gratiæ dicebat *in pace in idipsum dormiam, & requiescam* Psal. 4. Idcirco de quolibet justo Bernardus serm. de Magdal. *minas*, inquit, *aspernatur, nescit timorem; & omnium scandalorum immunis in pace in idipsum dormit, & requiescit.* E converso accidit reprobis: quibus hæc est octava tribulatio, perpetua sive in vigilia, sive in somno sui carnificis circumgestatio.

Nonò conscientia non modò reproborum carnifex est, sed etiam supplicium. Parum esset reprobo ferre perpetuò aspectum carnificis, nisi etiam perpetuò ferret supplicium. Sicut, si reus secum circumferret carnificem, qui eum perpetuò lancinaret: huic profectò perpetua foret mœstitia, nullum gaudium. Quæ est consideratio Chrysostomi hom. 20. in Gen. ubi, *peccator*, inquit, *quasi carnificem circumgestat se lancinantem, & flagellantem perpetuò. Ita post facinus obambulat sustinens innumerabiles pœnas.* Prima inter has innumerabiles pœnas videtur ipsummet peccasse: cum peccatum possit habere non solùm rationem culpæ, sed etiam pœnæ, ut nos ostendimus tomo 2 lib. 3. q. 14. Quod agnoscens Seneca epist. 67. ad Lucil. *prima*, inquit, *pœna peccantium est peccasse. Nec ullum scelus impunitum: quoniam sceleris in scelere supplicium est.* Meliùs profectò dixisset, primam peccantium pœnam esse, non quidem peccasse, sed peccare. Quandoquidem peccatum in seipso continet pœnam: quæ omnem aliam pœnam, omne aliud supplicium antevertit. Ideo Chrysostomus in Psalm. 124. *ante supplicium*, inquit, *vitium supplicium infligit. Peccatum in se continet pœnam, antequam puniatur.*

Conscientia improbo perpetuum supplicium. *Chrysost.* Conscientia carnifex perpetuò flagellans.

CL. Peccantium prima pœna est peccasse.

Chrysost. Peccatum in se pœnam continet.

Porro peccatum partus quidam est, sive potiùs abortus concupiscentiæ. Ideo dicitur Iacobi. 1. *concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.* In parturientibus priùs voluptas intercedit in conceptu, postea dolor in partu. Non sic in improbis: qui non solùm, dum pariunt, idest dum executioni mandant peccatum, sed etiam dum concipiunt, idest dum de eo deliberant, dolor intervenit in ipsomet veluti conceptu peccati. Ideo dicitur Psal. 7. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Non dixit de eo, qui ob delicias peccat, concepit voluptatem, & peperit iniquitatem, sed *concepit dolorem*: quia in ipsomet initio, dum consilium initur peccandi, peccatum concipitur cum

Peccatum, concupiscentiæ partus.

Peccantibus dolor in partu, & in cõceptu. *Psal. 7.*

dolore. Ideo dicitur, *concepit dolorem.* Quamobrem in hæc verba Chrysostomus *hic dolor*, inquit, *est à principio :* (nempe in ipso conceptu peccati) *simul ac enim quisquam de malo consilium iniyt, in cogitatione est tumultus, ac turba.* Dicitur etiam, *& peperit iniquitatem :* quia in ejus veluti partu peccans, quasi parturiens, occultos, sed inexplicabiles sustinet dolores. Idcirco Chrysostomus in eum Psalmum, *peperit*, inquit, *iniquitatem : quia quemadmodum mulieres parturientes à doloribus discerpuntur ; ita etiam, qui facit dolum, discerpitur* (ad modum utique viperini partus : qui, ut fertur, matrem prodeundo discerpit) *& non levi aliquo, sed vehementissimo afficitur dolore.*

Chrysost.

Peccans patitur dolores partus. *Chrysost.*

Quod si in ipso actu peccandi videtur quandoque aliqua voluptate peccans perfundi; saltem post peccatum, voluptate illa evanescente, ingens dolor consequitur. Quoad hoc autem contrarium accidit in parientibus. Nam in partu dolor, post partum voluptas. Quippe *mulier cùm parit tristitiam habet : cum autem peperit, iam non meminit pressuræ propter gaudium.* Ioan. 16. Contra accidit in iis, qui *pariunt iniquitatem.* Nempe his aliqua fortasse in partu voluptas: sed illico post partum dolor. Hæc est observatio Chrysostomi conc. 4. de Caïno ubi, *peccatum*, inquit, *cum commissum est, tum demum extincta voluptate amarus pœnitentiæ stimulus succedit : contra quàm accidere solet parturientibus.* Hæc generatim de dolore, quem fert improbis conscientia peccati. Sed quoniam hic dolor est per modum pœnæ, & supplicij, explicatur in sacris literis similitudine flagelli Psal. 31. *multa flagella peccatoris.* Quasi conscientia carnifex peccatorem flagellet : quemadmodum fieri solet reis, qui ignominiæ causa per urbem ducti, prævia tuba, à carnifice identidem flagellantur. Nimirum ex Chrysostomo hom. 20. in Gen. ut supra etiam notatum est, *peccator carnificem circumgestat se perpetuò flagellantem.* Ideo dicitur, *multa flagella peccatoris.*

Ioan. 16.

Chrysost.

Psal. 31.

Peccator à conscientia flagellatur. *Chrysost.*

Observandum in hoc est, dici ab eodem Davide de reprobis, *in labore hominum non sunt : & cum hominibus non flagellabuntur.* Psal. 72. cum quo pugnare videtur, quod dixerat. Psal. 31. *multa flagella peccatoris.* Hæc autem conciliantur : quia reprobi sæpe in prosperitatibus versantur quoad corporalia, ut ostendetur capite sequenti : & ideo dicitur, *cum hominibus non flagellabuntur.* Quia tamen spiritualibus conscientiæ flagellis excruciantur, ideo dicitur *multa flagella peccatoris.* quamobrem Chrysostomus in Psalm. 7. loquens de Absalone, qui *tribus lanceis infixis cordi*, è cujus vulnere statim mors sequi debuerat, *adhuc palpitabat hærens in quercu.* 2. Reg. 18. refundit hujus rei causam in Deum, quasi de industria illi vitæ spatium prorogaverit, ut ante mortem ignominiæ causa à propria conscientia pendes è quercu flagellaretur. *Nõ statim*, inquit, *de medio sub-*

Psal. 72

Psal. 31.

Chrysost.

Absalõ, cur post tres lãceas cordi infixas, non statim mortuus. 2. *Reg.* 18.

latus est : sed tanquam in judicio priùs suspensus est , & ligno affixus , deinceps à conscientia flagellatus.

Hæc flagella non sunt sine aculeis. Ideo dici solent *stimuli conscientiæ:* qui acerrimè animum pungere consueverunt. De hoc stimulo dictum fuit persequenti Ecclesiam Saulo Act. 9. *durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Nempe contra stimulum conscientiæ, desumpta similitudine ab equis, qui calcitrantes contra calcaria, punguntur in latere , ac pœnè confodiuntur. *Durum est contra stimulum calcitrare :* quia, ut notat idem Chrysost. conc. 4. de Lazaro, *conscientia quovis stimulo acriùs peccatorem pungere consuevit.* Hoc stimulo quem alii vocant morsum, seu remorsum conscientiæ, quasi feræ mordentis, & remordentis, donec mentem exedat, non solùm pungitur animus, sed laceratur etiam & vulneratur , idque vulnere acerbissimo. Ideo Ambrosius lib. 1. off. c. 12. *introspice,* inquit, *ulcera, & vibices animæ, cordisque mœstitiam.* Hoc vulnere nullum gravius. Quod advertens idem Ambrosius lib. 2. offic. c. 4. *quæ,* inquit , *pœna gravior, quàm interioris vulnus conscientiæ ?*

Conscientiæ stimuli pungunt acerrimè. *Act. 9.*

Chrysost.

CLI. Conscientiæ stimuli mentem vulnerant. *Ambros.*

His vulneribus neque equulei desunt, neque ungulæ, quæ duo instrumenta supplicii sunt atrocissima, cum martyribus adhiberi solita à tyrannis. Adhibentur hæc sub peccati tyrannide multò atrociùs cum reprobis: qui conscientiæ equuleo torti , & veluti ungulis confossi martyres sunt Diaboli. Quod pessimi martyrii genus in improbis describens Chrysostomus conc. 1. de Lazaro, *videbis,* inquit, *mentem tanquam judicem sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem , lateraque conscientiæ ungulis corradentem.* Non poterat vivaciùs exprimi tormentum , quod in hac vita sub conscientiæ stimulis ferunt reprobi , multò graviùs quavis tribulatione, & cruce extrinseca electorum. Et ideo supra hanc appellavimus cum Augustino tract. 50. in Ioan. *crucem mentis.* Nimirum, ut ait Hieronymus in Ezech. 16. *portat tormentum suum , qui propria torquetur conscientia : & in hoc seculo sustinet propria voluntate cruciatum.*

Conscientiæ peccatori equuleum præstat, & ungulas.

Chrysost.

Augustin.

Hieronym.

Hi autem conscientiæ cruciatus , quos à *cruce mentis* in hac vita sustinent reprobi , non solùm graviores sunt quibuslibet cruciatibus, quos ad virtutis experimentum, ut diximus, patiuntur electi, sed etiam multò plures sunt, & numerosiores : idque in omnibus reprobis, excepto nemine. Ideo Chrysostomus in Psal. 7. *nemo,* inquit, *est vivens in scelere , qui non dolores sustineat innumerabiles , & de malis consultans, & consilium exequens.* Hos *dolores innumerabiles* , similitudine fluctuum , qui in immenso mari numerari non possunt , expressit unus è reprobis Rex Antiochus, dum dixit 1. Machab. 6. *in quantam tribulationem deveni , & in quos fluctus tristitiæ ?* assignans autem causam subdit , *nunc reminiscor malorum , quæ feci in*

Chrysost.

Conscientiæ malæ dolores innumerabiles. 1. *Mac. 6.*

Conscientia agitatur inter fluctus tristitiæ.

Improborũ tranquillitas tempestas est. *Hieronym.*

Hierusalem. Hæc memoria cogitationes illi mœstissimas ingerebat, veluti fluctus sibi invicem succedentes Nimirum reprobi, dum tranquilla videntur foris omnia, intus in tempestate sunt. Ideo, ut supra notatum est, de his dixit Hieronymus epist. 1. ad Heliod. *tranquillitas ista tempestas est.* Nempe, *ob fluctus tristitiæ,* quos in se experiuntur reprobi cum Antiocho. Contra verò electi, inter tribulationum foris assurgentes fluctus, intus veluti in placidissimo portu sunt. Quod adnotans Ambrosius lib. 2. de Iacob cap. 6. *perfecta*, inquit, *virtus habet mentis tranquillitatem: & quasi in tutissimo littore adversus insurgentes fluctus secularium procellaram mens immobilis fida statione placidatur*: dum contra reprobi versantur inter *fluctus tristitiæ.*

Ambrosius. Electorum tempestas tranquilla est.

Conscientia improbis mors.

Ad Rom. 8.

Nonò conscientia non solùm reprobis est supplicium, sed etiam mors ipsamet corporali morte acerbior. Potest quidem reo à judice supplicium infligi citra mortem; sed conscientiæ stimuli & supplicium ferunt, & mortem. Electorum sanè proprium est dicere cum Paulo ad Rom. 8. *propter te mortificamur tota die: facti sumus sicut oves occisionis.* Et rursum 1. ad Cor. 16. *quotidie morimur*: propter tribulationes varias, quas pro Christo quotidie patiuntur. Reprobi verò etiam dicere possunt, sed in sensu valde diverso, propter acres conscientiæ stimulos, *quotidie morimur.* Ideo Tiberius adactus à conscientia mala ad sibi imprecandam mortem apud Suetonium c. 87. *Dij*, inquit, *me perdant, quem quotidie perire sentio.* Non semel admirans audivi, qui dicerent, dum existimati felices inter carnis voluptates volutarentur, cupere se quamprimùm à quopiam occidi, eò quod conscientiæ stimulos, qualibet iis morte graviores, ulteriùs ferre non possent.

CLII.

Improbi ob cruciatus conscientiæ quotidie moriuntur. *Sueton.*

Improbi sibi mortem imprecãtur.

Conscientiæ malæ pœna qualibet morte gravior. *Philo.*

De Flacco quodam narrat Philo in eumdem, sua cum facinora memorantem ita dixisse. *Horum facinorum pœnæ me manent. Iam in horas præmorior, multas sustinens mortes ante ultimam.* Hoc patet in Iuda proditore: qui conscientiæ adactus stimulis dixit, *peccavi tradens sanguinem justum. Et projectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Matt. 27. vitam sibi morte judicans acerbiorem. Quod expendens Chrysostomus in Psalm. 7. *Cum*, inquit, *Iudas non posset ferre judicij conscientiæ dolorem, adaptato sibi laqueo, vitam finivit.* Amens qui non animadvertit, conscientiæ dolores acerbiùs sævituros post mortem, & æterno tempore duraturos, juxta illud Isa. 66. *vermis eorum non morietur.*

Matth. 27.

Iudæ post proditionẽ vita morte acerbior. *Chrysost.* *Isaiæ* 66.

Conscientiæ stimulos morte ipsa esse acerbiores, clarissimè cernere licet in reproborum primo Caïno. Quippe hic, post occisum Abelem, conscientia timorem incutiente, suspicatus est se illico à quolibet sibi occurrente occidendum. *Omnis, qui invenerit me, interficiet me.* Genes. 4. Dominus autè consulens ejus vitæ *posuit signum in Cain*,

Genes. 4.

ut non interficeret eum omnis, qui inveniſſet eum. Certè de quolibet homicida Deus decretum hoc promulgavit, *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius.* Geneſ.9. Quod decretum idem Deus ſuſcepta carne confirmavit; cum dixit, *omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Matt. 26. cur ergo is, qui omnem homicidam occidendum pronunciavit, primum homicidam occidi noluit: immo ad ejus vitam ſervandam peculiare ſtudium adhibuit? *poſuitque ſignum in Cain, ut non interficeret eum*, &c. Movet hoc dubium Philo lib.de profugis. Vbi, *Cain*, inquit, *impudentis homicidæ mors nunquam in lege invenitur: immo extat de illo hoc oraculum, ne quis eum inventum interimeret.* Vtique, ſi inſcrutabilium Dei judiciorum rationem aliquam inveſtigare fas eſt, primum homicidam, & primum ex hominibus reproborum Dei juſtitia puniit, ſervans ei vitam morte qualibet atrociorem. Quippe illi dictum fuerat à Domino, *profugus eris ſuper terram.* Geneſ.4. ſive, ut legunt Septuaginta, *eris gemens, & tremens.* Quia, ut multi interpretum afferunt, invaſit ejus membra tremor perpetuus. *Poſuitque Dominus in Caïn ſignum*, &c. ſignum hoc tradit Cornelius cum communi fuiſſe *tremorem corporis, & mentis: ita ut corpus & vultus peccatum Caini loquerentur.* Ideo ſequitur: *& habitavit profugus in terra ad Orientalem plagam.* Ex Hebræo, *in terra fluctuanti*, eò quòd ſemper terra ſub ejus pedibus, conſcientia eum exagitante, fluctuare ac tremere videretur. Hæc vita ſub perpetua agitatione conſcientiæ tanto timore ducta, quia viſa eſt morte qualibet acerbior: ideo Deus, qui omnem homicidam occidendum pronunciavit, primo homicidæ, & reprobo morte pejorem vitam ſervavit. Eſt obſervatio Ambroſii in Pſal.35. ubi de Caïno loquens *acceperat*, inquit, *ſignum ne aliquis eum occideret: non ut vitæ ſuavitate frueretur, ſed ne mors auferret ærumnam: ut percuſſorem ſuum quotidie timendo pateretur.* Quamobrem loco unius mortis, quam à percuſſore paſſus eſſet, ſexcentas quotidie mortes in conſcientiæ carnificina ſuſtinuit. Ita Caïno vita ſupplicio fuit, mors remedio. Quod ipſum adnotavit Ambroſius lib. 2. de Caïn.c.29. ubi de hoc loquens, *metus*, inquit, *qui viventibus ingruunt, plurimas etiam mortes inferunt: ut iſta mors remedium videatur eſſe, non pœna:* utique remedium, niſi reprobos pejora manerent poſt mortem. Tum ſic concludit. *Ergo & iſti Caïn longæ vitæ indulta vindicta eſt.*

Cur Deus Caïno vitã poſt homicidium ſervaverit. *Geneſ.9. Matth.26.*

Philo.

Geneſ.4. Caïno tremor perpetuus poſt peccatum. Signum à Deo poſitũ in Cain quale fuerit. Caïno vita indulta eſt ad pœnam. *Ambroſ.*

Reprobis vita ſupplicio, mors remedio.

Agnoſcant reprobi in primo reprobo, eorum veluti prototypo, eam vitam, quam inter mundanas proſperitates felicem putant, ob conſcientiæ cruciatus mortem quamdam eſſe centies geminatam, ipſo naturali obitu longè pejorem: cum reprobus, ut ſupra diximus ex Philone, *plurimas mortes ſuſtineat ante ultimam.* Ideo dicitur Pſ. 17. *circumdederunt me dolores mortis.* Explicans autem, qui ſint hi do-

lores, subdit *torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Vbi *torrentes iniquitatis*, ibi, *dolores mortis.* Rursus Psalm. 114. *circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni invenerunt me.* Vbi *pericula inferni*, ibi *dolores mortis.* Hæc, ut notat Hugo Cardin. ex persona reproborum: ex persona verò electorum subdit *tribulationem, & dolorem inveni:* idest, ut ibidem Hugo, *quæsivi, & inveni: quia electi non quærunt occasiones peccatorum, in quibus sunt pericula inferni: sed quærunt tribulationes, in quibus est via Paradisi.* Ecce discrimen inter tribulationes reproborum, & electorum. In iis *dolores mortis* juncti cum *periculis inferni.* In his *tribulatio, dolor* junctus cum *via Paradisi*; hoc est vitæ. In iis ex assiduo cruciatu conscientiæ, inter ipsasmet voluptates, mors ante mortem. In electis verò, inter ipsas amaritudines corporis, testimonio bonæ conscientiæ, prælibatio æternæ vitæ in spe, antequam recipiant æternam vitam in re.

Conscientia improbis tumulus. *Psal. 5. August.*

CLIII.

Vndecimò conscientia est reprobis non mors tantummodo, sed etiam tumulus. De iis dicitur Psal. 5. *sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolosè agebant.* Quod si impiis sepulchrum os, multò magis sepulchrum cor. Quamobrem Augustinus enarrat. in hunc Psalm. *sepulchra*, inquit, *sunt patentia: quia ipsi exanimes quodammodo sunt, non habentes vitam veritatis.* Sepulchrum, unde malus odor efflatur, non solùm ipsi Deo, & proximo: sed etiam ipsimet reprobo assiduè inter eos fœtores versanti. Ideo Ambrosius lib. 1. offic. c. 12. *Vides*, inquit, *convivium peccatoris?* (ubi scilicet circumfluunt delitiæ, ubi halant unguenta, ubi odores) *Intuere conscientiam ejus: nonne gravius fœtet omnibus sepulchris?*

Ambros. Conscientia peccatoris gravius fœtet sepulchris. *Eccles. 11.*

In sepulchro tenebræ, fœtor, cadavera. Non desunt hæc omnia in conscientia improbi. Tenebræ: ideo dicitur Eccles. 11. *error, & tenebræ peccatoribus concreata sunt*, idest simul nata cum peccato: Fœtor; ideo Ioel. 2. *ascendet fœtor ejus: & ascendet putredo ejus, quia superbè egit.* Conjungit fœtorem cum putredine: quod est proprium sepulchrorum. Cadavera denique huic sepulchro non desunt, nimirum *opera mortua*, ut loquitur Paulus ad Hebr. 6. Ideo reprobis Christus dixit, *similes estis sepulchris dealbatis: quæ à foris parent hominibus speciosa; intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Matth. 23. Tales sunt reprobi; qui inter prosperitates externas, apparent hominibus speciosi: sed sunt *sepulchra dealbata, intus plena ossibus mortuorum.* Quippe, ut ait S. Maximus hom. 59. *eorum animæ sunt viventi in corpore jam defunctæ, & peccatorum mole obrutæ, ac sepultæ.* Ideo reproborum mens, dum in statu sunt peccati, & in via ad reprobationem, vitam necessariò degunt in tristitia, *foris dealbati, intus pleni ossibus mortuorum:* perpetuum illis conscientia exhibente sepulchrum, quod secum perpetuò circumgestant.

Ad Hebr. 6. Peccatores sepulchra dealbata. *Matth. 23.*

S. Maximus. Peccatorum animæ viventi in corpore jã defunctæ.

Contra verò electis conscientia non sepulchrum horridum:ut reprobis;sed lectulum refert floridum:de quo Cant.1. *Lectulus noster floridus.* Nempe,ut ait Bernardus hom.47. in Cant. *Lectus respersus floribus bona conscientia est, bonis referta operibus.* Neque lectulum modò, sed aulam etiam iis perpetuò exhibet jucundissimam cælestibus semper refertam deliciis. Quamobrem S. Leo serm.8. de decimi mensis jejunio, & eleem.loquens de anima justorum, quæ se à corporeis cupiditatibus liberat, *ut*, inquit, *in aula mentis possit divinæ vacare sapientiæ: ubi omni strepitu terrenarum silente curarum* (confer hoc silentium cum strepitu conscientiæ reproborum) *in meditationibus sanctis, & in delicijs lætetur æternis.* Confer delicias hujus aulæ in conscientia electorũ cum terrore ejus sepulchri in conscietia reproborum:tribulationes eorũ profectò nullas existimabis præ ista.

Conscietia justorum lectus floridus. *Cantic.1. Bernardus.*

Conscietia justorum aula referta deliciis. *S. Leo.*

CLIV. Conscietia improbo vermis.

Duodecimò conscientia reprobis non solùm sepulchrum est, sed etiam vermis. Scilicet reo non deest conscientia carnifex: carnifici non desunt flagella: flagellis non desunt aculei:aculeis non desunt vulnera: vulneribus non deest mors: morti non deest sepulchrum: sepulchro non desunt vermes. De hoc conscientiæ verme Isaias c.66. *vermis eorum non morietur.* Quippe in reprobis memoria illa præteritorum malorum incipit statim post peccatum mentem corrodere in vita: & perseverat nunquam cessatura post mortem. Quod adnotans Bernardus lib.5. de consid. ad Eugen. *Hic est*, inquit, *vermis, qui non moritur, memoria præteritorum. Semel iniectus, seu potiùs innatus per peccatum, hæsit firmiter, nequaquam deinceps evellendus:nec cessat rodere conscientiam: eaque pastus, esca utique inconsumptibili, perpetuat vitam.* Hanc veritatem Ethnici sub fabulæ cortice contegentes (quandoquidem, teste Aristotele in problem. sect. 18. *per exemplа, & fabulas facilius discitur*) finxerunt scelesti cujusdam Tityj jecur à vulture depastum,perpetuò renascens æternum illi pabulum ministrare. Quamobrem Seneca in Thyeste

Isa.66.

Bernard. Vermis cõscietiæ immortalis.

Aristot. Conscientia peccatoris Tityi jecur. *Senecа.*

Aut pœna Tityi semper accrescens iecur
Visceribus atras pascet effossis paves.

Ita nimirum conscientiæ vermis,improbi mentem depascit semper, absumit nunquam: & ut diximus cum Bernardo, *vermis non cessat rodere conscientiam: & esca pastus inconsumptibili perpetuat vitam.* Ideo dicitur, *vermis eorum non morietur.* Porro sicut in sepulchro vermes è cadavere, quod comeduntsita hi vermes nascuntur ex ipsa putrida conscientia peccatoris,quam exedunt.Quæ est animadversio Ambrosij lib.7.in Lucam cap.14. ubi, *irrationabilia*, inquit, *animæ peccata quædam exedunt viscera conscientiæ: & tanquam vermes ex unoquoque nascuntur, tanquam ex corpore peccatoris.* De reprobis ergo dicitur, *vermis eorum non morietur*, inter vitæ hujus prosperitates mortem iis afferens immortalem.

Ambros. Peccata vermes exedentes viscera.

August. Electis verò, inter vitæ hujus adversitates, conscientia bona gaudium affert sempiternum. Quippe, ut ait Augustinus in sententiis num. 90. *æterna exultatio est, quæ bono lætatur æterno.* Non iis conscientiam vermis depascit: sed potiùs conscientia epulas, & convivium exhibet juxta ea, quæ supra diximus ex Proverb. 15. *secura mens juge convivium.* Quamobrem Ambrosius in Psalm. 45. *quis*, inquit, *puritate, & simplicitate pectoris, fructus dulcior? quis cibus suavior, quàm is, quo animus bene sibi conscij, & innocentis mens epulatur?* Dum interim reproborum mens omni vero gadio jejuna, epulum præbet eam rodentibus conscientiæ vermibus: quæ illis & vermes exhibet, & sepulchrum. Et hæc est duodecima tribulatio reproborum condistincta à tribulationibus electorum.

Prov. 15.
Ambros.
Electorum mens suavissimè epulatur.

Conscientia improbis infernus.
Luca 16.

Ultimò conscientia reprobis non modò tumulum, & vermes exhibet, sed etiam infernum: adeo ut ipsa & sepulchrum sit, & infernus: & id, quod de epulone dicitur post obitum, verificetur de quolibet reprobo adhuc vivente, *sepultus est in inferno.* Lucæ 16. Prævertitur reprobis mors, sepulchrum, infernus. Ideo dicitur ex horum persona, *dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis.* Psalm. 17. Quia scilicet, quando conscientia, peccatorum mortalium laqueis, qui dicuntur *laquei mortis*, irretitur; tunc *dolores inferni circumdant eam*, nempe inferni, quem ipsum affert peccatum. Quod exponens Augustinus enarrat. in hunc Psal. *Dolores*, inquit, *circumdederunt me, qui perducunt ad infernum peccati.*

Psal. 17.
Peccatum infernus.
August.

Philo.
Peccatum ignis inextinguibilis, infinitum malum.
Psal. 7.
Ignis inferni ardet, nō lucet.
Basilius.
Eccles 23.

Huic autem *inferno peccati*, idest, quem in conscientia reprobi peccatum efficit, non desunt ignis inextinguibilis, intolerabilitas, & varietas pœnæ, perpetuitas, dæmonum societas, vermis inexplebilis. Ardet primò in conscientia mala ignis inextinguibilis: quia reproborum hîc plerique peccare non cessant: neque per totam æternitatem cessabunt. Ideo Philo lib. de profugis *impietas*, inquit, *infinitum malum: quod semel accensum nunquam extingui potest.* Porro inferni ignis ardet, non lucet: ideoque dicitur Psalm. 7. *vox Domini intercidentis flammam ignis*, idest dividentis splendorem ab ardore, quia inferni ignis, ut ait Basilius in Psal. 33. *urendi quidem vim habet; sed caret splendore.* Idem reperire est in hoc igne, quem peccatum accendit in conscientia improbi, inter densissimas tenebras. Ideo dicitur Eccles. 23. ex persona peccatoris *tenebræ circumdant.*

Peccatum pœnas secū fert intolerabiles.
Chrysost.

Præterea non deest huic inferno gravitas, immo intolerabilitas pœnæ. Quamobrem Chrysostomus homil. 20. in Genes. *peccator*, inquit, *post facinus obambulat mille sustinens pœnas intolerabiles.*

Peccatum pœnas fert innumerabiles.
Chrysost.

Varietas etiam, immo innumerabilitas pœnæ. Quod notans idem Chrysostomus in Psal. 7. *nemo*, inquit, *est eorum, qui vivit in scelere, qui non dolores sustineat innumerabiles.* Flagella, aculeos, equu-

leos;

leos, ungulas, morsus ferarum, vulnera, crucem enumeravimus supra.

Varietas quidem pœnarum conscientiæ malæ planè digna infernorum tyrannorum nemo tot, & tam varia inflixerat ulli supplicia: non Nero: non Dionysius: non Phalaris. CLV.

Ulteriùs non deest huic inferno sua perpetuitas. Quippe conscientia nunquam torquere cessat & vigiles, & dormientes, ut paulò ante ostendimus. Ideo Chrysostomus hom. 20. in Gen. *Peccator*, inquit, *carnificem circumgestat se perpetuò lancinantem.* Conscientia mala cruciatus perpetuus. *Chrysost.*

Porro sicut, qui degit in carcere, postquam damnatus est capitis, ob imminentis mortis metum, assiduo mœrore consumitur, plures mortes sustinens ante mortem: ita planè esse solet conscientia reprobi, dum æternam mortem ex ijs, quæ patrat, iam sibi imminere conspicit, nec videt effugium, veluti capitis damnatus in carcere Quæ similitudo affertur à Chrysostomo hom. 22. de nequitiæ repulsa, ubi *sicut*, inquit, *qui carcerem habitant, capitis damnationem expectantes, & mortem; etiamsi delicijs abundè fruantur, vitam agunt maximè molestam, & anxiam: sic, qui improba conscientia molestantur.* Explicatur id etiam exemplo convivantis, cujus capiti, aut lateri immineat gladius, juxta apologum Dionysij tyranni apud Tullium lib. 5. Tusc. de quo nos supra. De impio autem dicitur Iob. 15. *cum sit pax, semper insidias suspicatur, circumspectans undique gladium.* Hæc cruciatus perpetuitas, quam mala fert conscientia, explicatur etiam Deut. 28. ubi dicitur improbo, *dabit tibi Dominus cor pavidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore. Timebis nocte, & die* (ecce perpetuitatem pœnæ) *mane dices, quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis.* Nihil aptius ad explicandum, quàm perpetua in impij conscientia pœna, & anxietas. Sicut igitur electis *secura mens iuge convivium.* Prov. 15. ita in reprobis timida mens juge supplicium. Quod expendens Isidorus soliloq. lib. 2. *nulla*, inquit, *pœna gravior est pœna conscientiæ.* Ecce gravitatem pœnæ. Tum subdit perpetuitatem. *Bona vita gaudium semper habet: conscientia autem rei semper est in pœna.* Quid infelicius dici potest de jam damnato apud inferos? Improbus velut capitis damnatus in carcere. *Chrysost.* *Iob* 15. *Deut.* 28. *Prov.* 15. *Isidorus.* Conscientiæ malæ pœna omnibus gravior. CLVI.

Insuper non deest huic inferno societas dæmonum. Quippe peccata ipsa sunt loco dæmonum. Quod docens Chrysostomus in Gen. cap. 4. *peccatum*, inquit, *est spontanea insania, & voluntarius dæmon.* Quot igitur peccata, tot dæmones. Adde societatem ipsorum dæmonum: qui reprobos excruciare incipiunt in hac vita. Ideo dicitur Eccl. 39. *sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt: & in furore suo firmaverunt tormenta sua*: sive, ut Iansenius, *flagella sua.* Quia scilicet mali Angeli destinati sunt ad improbos cruciandos etiam in hac vita, juxta illud Psal. 77. *Misit in eos iram indignationis suæ, indi-* *Chrysost.* Peccatum, voluntarius dæmon. Dæmones excruciare incipiunt reprobos in hac vita. *Eccles.* 29. *Iansenius.* *Psal.* 77.

Lyran. Reprobi cur dæmonibus subjecti in pœna.

gnationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos. Idque justo Dei judicio, quemadmodum notat Lyranus in eum locum, *ut qui fuerunt eis voluntariè subiecti in culpa, involuntariè subjaciantur in pœna.*

Matth. 17 Dæmō propter peccata aliquando homines arripit corporaliter.

Aliquando dæmon peccatores arripit corporaliter. Ideo, cum adductus fuisset ad Iesum *puer lunaticus sæpe cadens in ignem, & crebro in aquam, increpavit illum Iesus: & exiit ab eo dæmonium.* Matth. 17. Observandum quod cum Christus dæmonem expulit, puerum, increpavit: quia puer ansam dæmoni dederat, ut obsideret. Nempe, ut in eum locum notat Hieronymus, *puer propter peccata fuerat oppressus à dæmone:* quemadmodum de alio puero blasphemias proferente legitur apud Gregorium dialog. lib. 4. cap. 18. Aliquando igitur dæmon improbos corporaliter obsidet: semper autem spiritualiter, tanquam dominus, & tyrannus illius animæ, quæ peccavit. Quod manifestiùs exercet circa reprobos, quorum possessionem capere incipit in hac vita. Ideo de Iuda dicitur Ioan. 13. *Introivit in eum Satanas*, tanquam ad possessionem capiendam Iudæ: qui subductus à dominio Christi, se mancipaverat dæmoni. Quod observans Ambr. in Ps. 118. ser. 12. *Venit*, inquit, *& introivit in eum Satanas: & incepit dicere, non est tuus, Iesu, sed meus est. Ea, quæ mea sunt, cogitat: quæ mea sunt, voluit in pectore.* Hoc universaliter verificatur de improbis: qui se, quantùm in se est, Dei dominio subtrahunt: dæmonis tyrannidi subjiciunt. De quorum unoquoque dicere potest diabolus, *non est tuus hic, Iesu, sed meus est.* Hæc servitus sub dæmonis tyrannide infernales reprobis hic apportat pœnas, justo Dei judicio, quemadmodum notat in loc. cit. Eccl. 39. Rabbanus, *ut sub dominio superborum Angelorum subiecti discant, quantùm distet inter veri, & pyssimi Domini, & tyranni crudelissimi servitutem.*

Hieronym. Gregor. Peccatores quoslibet dæmon obsidet.

Ioan. 13.

Ambros. Improbi non sunt Iesu, sed diaboli.

Rabbanus.

In conscientia bona multorum societas Angelorū: in mala, dæmonum.

Psal. 33.

Porro in hoc malæ conscientiæ inferno, non unus astat dæmon, sed plurimi. Sicut enim in anima justi multorum societas est Angelorum: ita in anima improbi multorum societas dæmonum. De primis dicitur *immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Psal. 33. nempe Angelus Domini, id est princeps militiæ cælestis Michaël immittet Angelos in *circuitu timentium Domini.* Neque unum, sed plurimos. Ideo legitur ex Hebræo *castra metabitur in circuitu* veluti ponat in animabus electorum castra, ad eorum præsidium cum integro exercitu Angelorum. Si castra metantur Angeli circa electos, utique castra metantur dæmones circa reprobos; idque multò magis ante mortem, quàm postea. Quia post mortem eos quieto jure possident: hic verò timent, ne ex eorum manibus dilabantur. Ideoque ad eos retinendos mittitur dæmonum integra legio. Si enim aliquando corpus obsidet legio dæmonum, ut apparet ex Marc. 5. *legio mihi nomen est:* multò magis dæmonum legio obsidet

Michael Angelos mittit ad præsidium justorum.

Angeli castra ponunt ad tuendos electos.

Dæmones castra ponunt ad retinēdos reprobos.

Marci 5.

animas. Vnde fit,ut tot dæmonum ſocietas inferni dolores reprobo acceleret:ſicut Sanctorum Angelorum ſocietas,electorum mentibus præguſtandum fert Paradiſum.Quod adnotans Hugo Cardinalis in ea verba Pſal.17. *dolores inferni circundederunt me. Mali*, inquit, *ſocij dicuntur dolores inferni:quia unus de magnis doloribus inferni erit malorum ſocietas. Sicut è contrario ſocietas bonorum erit unum è gaudiis Paradiſi.* *Hugo Card.*

Furiæ in animis improborum.

Porro in inferno ſocietas dæmonum terrorem parit è ſpectris,& ex horrendo eorum aſpectu, qui parati ſunt ad infligendas pœnas. Ideo ibi effinxere priſci furias horrentes colubrorum capillamento, faceſque geſtantes manibus. Idem planè improborum animis accidit : quibus ſe objiciunt imaginario aſpectu furiæ,veluti ad ſupplicium, & ultionem armatæ. Ideo apud Poëtam

Vltriceſque ſedent in limine dyræ : *Maro Æneid. 4.*

Et rurſum, *furiis agitatus Oreſtes.*

CLVII.

Quod explicans Tullius orat. pro Roſcio *ſuum*,inquit, *quemque ſceluſ exagitat.Hæ ſunt impiis aſſiduæ, domeſticaque furiæ.* Quamobrem ſceleſtus ille apud Philonem in Flaccum viſus ſibi furias cernere, *Philo.* *Diræ*,inquit, *aſtant ut obice rupto in meam perniciem properent.* Hæ furiæ vigiles,hæ etiam dormientes exagitant.Quod obſervans Ambroſius in Pſal.35.*ubi ſomnus*,inquit,*corpus laxaverit,peccatũ recurrit. Semper error tanquam malus exactor occurrit.*Denique non deeſt inter hos aſpectus terrificos inferni fores obſidens Cerberus.Ideo dicitur Geneſ.4. *ſi malè egeris ſtatim in foribus peccatum tuum aderit*, utique veluti Cerberus ſemper terrens, ſemper latrans,obmuteſcente nunquam, oblatrante ſemper conſcientia : ipſo etiam dæmone obſtrepente, & tanquam hoſte truculentiſſimo, ipſas etiam corporis voluptates reprobis vel adimente, vel minuente : ut eos etiam exinde habeat ſuarum conſortes pœnarum.

Peccati cõſcientia Cerberus oblatrans.

Geneſ.4.

Poſtremò non deeſt huic inferno conſcientiæ vermis:qui maxima reproborum pœna,& ipſis flammis atrocior, ut ait Baſilius in Pſal. 33. *intolerabiles dolores morſibus infligens.* Hoc autem maximè quadrat remorſibus conſcientiæ.Quippe, ut affirmat Innocentius Papa lib.3.de contemp.mundi c.1.*erit in gehenna vermis duplex ; interior, qui rodit cor ; exterior, qui rodit corpus.* Hic autem vermis interior, longè atrocior, quàm exterior : jam in hac vita corrodere incipit reprobos, ut oſtenſum eſt ſupra. Omnia igitur, quæ improbis infernum efficiunt poſt mortem,prævertuntur illis ante mortem:& ideo jure ex eorum perſona dicitur Pſal.17.cit.*dolores inferni circumdederunt me.*Ideo Bernardus de Aſſumpt.Virginis ſerm. 4. *infernus*, inquit, *& carcer animæ rea conſcientia eſt.* David autem aliquando verſatus in ſtatu reprobo, infernum hunc conſcientiæ malæ, appellat infernum inferiorem Pſal.85.*Miſericordia tua magna eſt ſuper me:*

Conſcientia mala infernus inferior.

Bernard.

Pſal. 85.

& eruisti animam meam ex inferno inferiori. Vtique, si detur infernus inferior, datur infernus superior. Sicut dicitur Iud. 1. *irriguum inferius, & irriguum superius.* Est animadversio Augustini in hunc Psalm. *intelligimus*, inquit, *duo esse inferna, unum superius, aliud inferius. Vnde enim infernum inferius, nisi esset superius?* Si igitur David ex inferno damnatorum non fuit eductus, quia nunquam eò fuit ductus: sequitur, ut appellat *infernum inferiorem* infernum peccati, & conscientiæ malæ, ex qua fuit eductus. Nimirum infernus culpæ est subtus infernum pœnæ: & quia iste infernus malæ conscientiæ inferior est, & gravior ipsomet inferno, ideo dicitur *eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Quippe, juxta dictum Bernardi, *infernus animæ est rea conscientia.*

Augustin.

Ex his collige primò hunc infernum, quem reatus culpæ fert in conscientia improborum in hac vita, etiamsi sit maxima omnium tribulatio. Vt abundè monstratum est, non esse ex iis tribulationibus, quæ adnumerantur inter signa prædestinationis: sed esse tribulationem diversi ordinis à tribulationibus electorum: & signum præbere reprobationis. Nempe hic infernus conscientiæ perturbatæ in reprobis prænuncius est inferni post mortem mox sequuturi, juxta illud Apocalyp. 6. *ecce equus pallidus: qui sedebat super eum, nomen illi mors: & infernus sequebatur eum.* His nimirum, post mortem peccatis acceleratam, & equo festinanter aduectam, imminet illico infernus, tanquam mortis pediseques. Ita reprobi duplicem patiuntur infernum, unum ante mortem, alterum post mortem: & tribulationes, quas in hac vita patiuntur à tormentis conscientiæ, veluti præludiones sunt earum, quas perpetuò patientur in altera. Scilicet, juxta dictum Gregorii hom. 35. in Evang. *ultima tribulatio multis tribulationibus prævenitur, & per crebra mala, quæ præveniunt, indicantur mala perpetua, quæ subsequentur.*

Tribulatio malæ conscientiæ reprobationis signum.

Apoc. 6.

Mors equo vecta celeriter insequitur improbos.

Infernus mortis pediseques.

Tribulationem æternâ tribulationes turbatæ conscientiæ præcurrunt.

Gregorius

Collige secundò discrimen inter tribulationes electorum, & reproborum. Nam illæ aut nascuntur ex virtutibus; aut saltem fovent virtutes: istæ nascuntur ex vitiis, & fovent vitia. In electis tribulatio est extrinseca: intus serenitas in conscientia. In reprobis prosperitas est extrinseca: tribulatio intus in conscientia. Denique hi, dum inter Paradisi delicias versari videntur exteriùs in conscientia infernum veluti portatilem secum ferunt. Electi verò, dum per tribulationes maximas exteriores videntur esse in inferno, interiùs prægustare incipiunt æterna gaudia, Paradisum intus gestatilem circumferentes. Idcirco Bernardus lib. de inter dom. c. 23. ex quo Hugo Victorinus lib. 3. de an. c. 11. *conscientia*, inquit, *bona titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus Regis, habitaculum Spiritus sancti, Aula Dei*, Si aula Dei, utique Para-

Inter tribulationes electorum, & reproborum discrimen.

Conscientia bona Paradisus gestatilis.

Bernard.

Hugo Vict.

CLVIII.

disus. Quod si in Paradiso erit perpetua festivitas, indicata Isaiæ 66. dum dicitur, *& erit sabbathum ex sabbatho*: quia scilicet apud Hebræos sabbathum erat dies festus, & quietis: perinde ac si diceret, in Paradiso erit semper dies festus: idem præstat electis perpetua requies, & dies festus perpetuus conscientiæ. Ideo Clemens Alex. Stromatum l. 7. *universa*, inquit, *vita justi est quidam celebris dies festus.* Quod si ibi Paradisus, ubi beatitudo, *vitam*, ut ait Ambrosius lib. 2. offic. c. 1. *beatam efficiunt tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ.* Hæc igitur, inter tribulationes ipsas, interna beatitudo, & conscientiæ Paradisus in hac vita, pignus est maximum beatitudinis, & paradisi in altera sequuturi. Ac si conscientia ipsa secum ferret sigillo Dei obsignatum librum prædestinationis, & vitæ. Ideo conscientia bona dicitur à Bernardo loco citato, *liber signatus, & clausus in die judicij aperiendus.* Nempe is, qui Apocalyp. 3. dicitur *liber vitæ.*

Isaiæ 66. Conscientia tranquilla festivitas est perpetua. *Clemens Alex.* *Ambrosius.* Paradisus bonæ conscientiæ pignus beatitudinis. *Bernard.* Conscientia bona prædestinationis liber. *Apocal. 3.*

Hæc fusiùs disseruisse libuit ad assignandum discrimen inter tribulationes electorum, & reproborum: & sic è dictis apertè concluditur tribulationes, non quascunque, neque eas, quæ in inferno malæ conscientiæ sunt positæ; sed eas, quæ versantes circa mundana, corpus, aut honorem affligunt, coniunctas cum tranquillitate conscientiæ bonæ, prædestinationis signum esse potissimum. Quod ipsomet tribulationis nomine ostenditur. Quippe tribulatio dicitur à tribula: quæ instrumentum est, quo utuntur agricolæ ad excernendum à paleis triticum. Deus autem tribula hac utitur ad secernendos electos à reprobis, frumentum à paleis. Ideo Augustinus de tempore Barbar. c. 3. *Si frumentum es*, inquit, *quid times tribulam? Non apparebis qualis antea eras in spica, nisi tribula conterendo, à te separaverit paleas.* Postremò tribulati dicuntur Zach. 9. *Vincti spei*: quia quantò magis vincula, & tribulationes accrescunt, tantò magis conscientia per spem salutis erigitur. Igitur, ut caput hoc claudam verbis Anselmi in epist. ad Hernestum, *hinc procul dubio cognoscitur quòd tanto affectu est in tribulatione gaudendum, quanto conatu est per spem ad filiorum hæreditatem nitendum.* Hæc de tribulatione electorum ut contradistincta à tribulatione reproborum. Plura de tribulatione ut divinæ providentiæ effectu tom. 2. lib. 3. q. 2. n. 43. & seq. & q. 4. n. 25. & seq. Denique occasione prosperitatis plura capite sequenti.

Tribulatio dicta à tribula, quæ triticum excernit à palea. *August.*

Tribulati vincti spei. *Anselmus.*

CAPUT VIII.

Quartum reprobationis signum prosperitas temporalis.

CLIX. Prosperitas temporalis reprobationis signum.

ETribulationibus temporalibus junctis cum prosperitate conscientiæ bonæ facilè licet conjicere, quid sit dicendum de prosperitatibus temporalibus junctis cũ tribulatione conscientiæ malæ.

Dico igitur Octavò. Quartum reprobationis signum est prosperitas temporalis.

Psalm.72. Prosperitas impiorum describitur à Propheta.

Probatur primò è Scripturis. Primus locus est Psal. 72. ubi loquens Propheta de prosperitatibus improborum, *zelavi*, inquit, *super iniquos, pacem peccatorum videns. Non est respectus morti eorum, nec firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non sunt: & cum hominibus non flagellabuntur.* Ecce prosperitatem. Sequitur infra: *Quomodo facti sunt in desolationem! subitò defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam.* Ecce reprobationem. Apertè igitur supponit eos, qui in hac vita prosperantur, reprobari: & ideo felicitari in præsenti vita, quia pœna, & infelicitas eos manet in altera. Quamobrem

Augustin. Augustinus in ea verba, *non est respectus morti eorum*, sive ut ipse legit, *non est declinatio mortis eorum. Iam intelligitis*, inquit, *quare illi habent pacem, & florent in terra: quia morti eorum non est declinatio: idest. Quia certa mors, & æterna eos manet, quæ nec declinat ab eis: nec ipsi declinare possunt ab ea.* Observanda illa verba, *eos, qui florent in terra, certa mors, & æterna manet.* Adeo certa horum damnatio, ut insuper addat Augustinus, *ipsos ab ea declinare non posse.* Quibus significat ita esse difficile ab iis, *qui florent in terra*, vitari æternam mortem, ut Augustinus id pronunciet impossible. De his dicit Propheta, hîc temporaliter *cum hominibus non flagellari:* quia flagella eos æterna manent cum dæmonibus. Quæ est adnotatio Bernardi serm. 23. in Cant. ubi, *qui*, inquit, *in labore hominum non sunt, in labore dæmonum erunt: & qui cum hominibus non flagellantur cum dæmonibus flagellabuntur.*

Prosperitates excipit ferè certa damnatio.

CLX. *Bernard.* Peccatores, qui hic cũ hominibus non flagellantur, cum dæmonibus flagellabũtur.

Psalm. 80. Prosperari secundùm affectiones cordis, maxima improborum pœna. *Augustin.*

Secundus locus est Psal. 80. *Dimisit eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis:* sive, ut legit Augustinus, *ibunt in affectionibus suis.* Perinde ac si diceret, procedent, sive prosperabuntur in affectionibus suis: pervenient ad id, quod desiderant; ambitiosi ad honores, lascivi ad voluptates, avari ad divitias. Hanc autem improborum felicitatem, & progressum juxta desideria sua, ut summam eorum infelicitatem Deus pronunciat, prænunciam æternæ damnationis. Ideo subdit infra, *& erit tempus eorum in sæcula.*

Quamobrem hoc exponens Augustinus, *dimisi*, inquit, *eos non secundùm salutem præceptorum meorum, sed secundùm affectiones cordis eorum: ibunt in affectionibus suis. Inde est, quod horretis.* Clariùs Hugo Cardinal. *dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, quasi diceret, non flagellavi eos ut filios: sed ut servos reprobos dimisi eos liberè ire post concupiscentias suas.* Hinc patet, cum Deus impiis permittit juxta humanas prosperitates explere desideria sua, maximum esse reprobationis indicium, sicut medicus permittens aquæ potum ægroto, cujus vitam desperat, dicere iisdem posset, *dimisi eum secundùm desiderium cordis sui:* quia scilicet inevitabiliter tendit ad mortem. Quocirca subditur à Propheta, *ibunt in adinventionibus suis*, sive *in affectionibus suis.* Hujus autem viæ, in qua multi feliciter progrediuntur juxta *inventiones*, & *affectiones suas*, terminus ad quem non est alius quàm infernus: ad quem prosperitatibus hujus seculi, quasi quibusdam vehiculis, commodè devehuntur. Quod hîc adnotans idem Hugo, *finis*, inquit, *motus, & viæ peccatorum est infernus.* Propter quod benè dixit, *ibunt in adinventionibus suis; quasi in quibusdam vehiculis: quibus portabuntur ad inferos.*

Hug. Card.

Consolationum temporalium permissio signum est ferè desperatæ salutis.

Prosperitatibus tanquam vehiculis deferuntur homines ad tartara.

Hug Card.

Tertius locus est Prov. 14. *Risus dolore miscebitur: & extrema gaudij luctus occupat,* sive ut Paraphrastes, *finis lætitiæ mœror.* Ergo risus, & gaudium hujus vitæ prænuncia sunt doloris, & luctus in altera. Ideo supra dixerat, *novissima eius deducunt ad mortem.* Ad hujus veritatis umbram animalia quædam venenata, ut refert Strabo lib. 11. morsu venenum instillant: quo inducunt risum simul, & mortem. Simile quid refert Plinius lib. 24. c. 17. de quadam herba: *quæ, si bibatur cum myrra, & vino, ridendi finem non faciunt:* atque adeo, nisi occurratur remediis, risus finiretur cum vita. Hoc adeo verum est, ut prosperitas rarò, etiam in hac vita, non desinat in mœrorem. Certè Christo nulla humana prosperitas obtigit, nisi cum exceptus est honorificè Hierosolymis, *& cum audirent quia venit Iesus, acceperunt ramos palmarum: & processerunt obviam ei: & clamabant Hosanna: benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Ioan. 12. Statim autem post hanc temporalem prosperitatem sequuta est passio, & mors. Est animadversio Bernardi serm. 1. in Domin. palmarum, ubi: *videat,* inquit, *secularis anima, videat, & intelligat: quia extrema gaudij luctus occupat* Et mox: *Vnde & processionis gloria voluit sublimari: qui paulò post sibi noverat imminere diem ignominiosissimæ passionis.* Ecce prosperitatem statim sequitur luctus: plausus mutantur in opprobria: benedictio in maledictiones, triumphus in vituperium, hosanna in crucifigatur, rami palmarum in crucem. Nimirum ipsiusmet Christi prosperitas invidiam peperit: invidia odium: odium persecutionem: persecutio crucem: crux mortem. Quod si in ipsomet Christo sanctissimâ prosperitatem excepit luctus,

Strabo.

Risus aliquando mortem affert.

Plinius.

Prosperitas temporalis in die palmarũ, Christo passioné mox peperit.

Ioan. 21. Bernard.

Cur diem palmarum mox in Christo sequuta sit passio.

quid dicendum de aliis, quibus felicitas est in scelere? Quod adver-
Bernard. tens idem Bernardus, *quis ergo*, inquit, *sperare debeat in certo gloriæ temporalis, cum videat in ipso quoque qui peccatum non fecit, post exaltationem tantam, tantam nihilominus humiliationem sequi. Hic est transitoriæ finis lætitiæ: hic fructus gloriæ temporalis.*

CLXI. *Isaiæ 28.* Væ in Scripturis æterna damnatio. *Gregor.* Coronis cur væ dicatur. Victimæ coronabantur ad necem. *Plin.* Regũ exultatio cum tremore. *Psal. 2.* Regia unctio aliquãdo reprobationis omẽ. *Hieronym. Chrysost. Apoc. 16.*

Quartus locus est Isaiæ 28. *væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraïm, & flori decidenti gloriæ exultationis eius.* Væ in Scripturis æternam damnationem importat. Ideo Gregorius homil. 9. in Ezech. *væ*, inquit, *dicitur: quia ibi est expressa damnatio reproborum.* Hoc autem *væ* coronis dicitur, vino, floribus, gloriæ, exultationi. Dicitur, *væ coronæ superbiæ:* iis scilicet, qui coronas superbè gestant, abusis regali potentia ad tumorem, & fastum. Caveant illi hoc væ: cujus ipsamet corona est indicium. Quippe mos erat antiquis ante cædem victimas coronare, ut refert Plinius lib. 16. cap. 4. Ideo dicitur Psal. 2. *nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.* Non cum timore solùm, sed cum tremore: itaut ipsamet exultatio, quam regalis affert potentia, sit cum tremore æternæ damnationis: cum victimæ coronentur ad necem. Per unctionem quoque regiam aliquando damnationem adumbrari dixit Gregorius in p. Reg. lib. 1. cap. 10. ubi: *Quid est*, inquit, *quod lenticula olei Saül ungitur, nisi quia in fine reprobatur?* Additur, *væ ebriis Ephraim*, juxta Isaiæ 51. *ebriis non à vino*; nempe ijs, qui fortunæ dulcedine inebriantur. Unde illud Poëtæ, *fortuna dulci ebrius.* Quamobrem Chrysostomus in epist. ad Thessal. cap. 5. *ebrietas*, inquit, *animi sunt divitiæ.* His dicitur væ æternæ damnationis, quia hæc dulcedo fortunæ præludium est amarissimi *calicis vini indignationis iræ Dei:* Apoc. 16. Dicitur denique *væ flori decidenti gloriæ exultationis.* Nimirum per flores designatur vita voluptuosa: Ideo dicitur ex persona improborum Sap. 2. *coronemus nos rosis, antequam marcescant.* His floribus *væ dicitur*; quia mundani inter hos consolationum flores ad æternam mortem perducuntur sæpissimè: similes iis, quos Imperator Heliogabalus, ut refert in ejus vita Lampridius, inter confertissimas floribus foveas, nimio odoris halitu *jubebat expirare oppressos violis, ac floribus.* Sanè, dum florere videntur in hoc seculo peccatores, inter ipsosmet flores statuitur illis mors, & fovea. Quamobrem Augustinus in Psal. 91. in ea verba, *donec fodiatur peccatori fovea: Maligni*, inquit, *sunt dies: in quibus videntur florere peccatores, & laborare justi. Sed labor justorum flagellum est patris: & felicitas peccatorum fovea ipsorum est.* Nihil clarius de reprobationis signo in iis, qui humana felicitate florent, fovea iis ad æternam necem extructa inter flores. Dicitur *væ flori decidenti*: quia mundana felicitas flos est caducus semper decidens, mox arescens, & æterni ignis pabulum. Ideo

Sap. 2. Flos symbolum mundanæ felicitatis. *Lampridi.* Heliogabalus necari jubebat inter flores *Augustin.* Felicitas peccatorũ inter flores.

idem

idem Augustinus in Psal. 53. *florent*, inquit, *in seculo, arescent in iudicio: & post ariditatem in ignem mittentur æternum.* *August.*

Quintus locus est eodem cap. 28. Isaiæ infra iis verbis, *Dixistis percussimus fœdus cum morte; & cum inferno fecimus pactum.* Describuntur adamussim reprobi, jam æternæ morti, & inferno addicti quasi ex pacto. Sequitur autem: *flagellum inundans, cum transierit, non veniet super nos*, ideſt non flagellabimur in hac vita: in qua non est flagellum permanens, sed flagellum transiēs. Ideo dicit, *cum transierit.* Idem planè, quod de reprobis David dixerat, *cum hominibus non flagellabuntur.* Pacti igitur cum morte & inferno iniri signum est, à Deo minimè aliis flagellari. Quia scilicet, qui possunt dicere, *flagellum, cum transierit, non veniet super nos*, evadendo flagellum transiens incurrent in flagellum permanens, & æternum. Quippe, ut dictum est cum Bernardo serm. 23. in Cantic. *Qui cum hominibus non flagellantur, cum dæmonibus flagellabuntur.* *Isaiæ 28.* Reprobi pactum ineūt cum morte, & inferno. *Bernard.*

Sextus locus est Hieremiæ 12. *Quare via impiorum prosperatur; bene est omnibus, qui prævaricantur, iniquè agunt? Plantasti, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum. Prope es tu ori eorum* (quasi ad eos cibandos) *& longe à renibus eorum*, eos minimè flagellando. Ecce prosperitas, quam Propheta non aliis tribuit quà impiis: *via impiorum prosperatur*, &c. Sed huius prosperitatis exitus est victimas eos esse divinæ justitiæ. Ideo subdit, *congrega eos sicut gregem ad victimam: & sanctifica eos in die occisionis.* Ideſt, ut explicat Cornelius, *Constitue diem sanctum iustitiæ tuæ: in quo eos quasi victimas occidas, & tuæ iustitiæ immoles.* Alludere autem videtur ad sues, aut vitulos: qui cum occisioni destinantur, tunc maximè saginantur. Ideo potentes in hoc seculo vocantur Psal. 21. *pingues terræ*, utique pinguedo ad necem, ut quasi victimæ occidantur. Quamobrem Hieronymus in hunc locum: *Congrega*, inquit, *eos tanquam vitulos ut cædantur ad mortem.* Sanè Anthropophagi hominum helluones, ut habetur ex epistolis Indicis, eum quem neci, ac pabulo destinant, inter summas delicias paulò ante nutriunt impinguandum ad cædem. Deliciæ infelici illi prænunciæ sunt funestissimæ mortis, mox futuræ. Idem planè accidit iis, quibus concedūntur deliciæ hujus seculi. Sentiunt se, juxta hoc oraculum Hieremiæ, impinguari ad mortem. Quippe cum dixisset, *quare via impiorum prosperatur?* subdit, *congrega eos tanquam gregem ad victimam: & sanctifica eos in die occisionis.* Prosperitas igitur, & felicitatis exitum Propheta pronunciat occisionem, & necem. Idcirco Emissenus serm. de SS Epiphoro, & Alex. *An tu*, inquit, *felicem vocas, qui in mortem suam felix est? cui proventuum fallax umbra præsentium, æternorum congregat causas malorum.* *Hierem. 12.* Prosperitas impiorum saginatio ad necem. *Cornel.* *Psal. 21.* Anthropophagi saginant occidendum. *Epist. Indic. Hieronym.* *Emissenus.*

Cl. XII.

Septimus locus est Ezech. 16. *auferetur zelus meus à te: quiescam,* *Ezech. 16.*

Ira Dei maxima, non iraſci.

nec iraſcar ampliùs. Hæc eſt Dei maxima ira non iraſci. Deſumit autem ſimilitudinem à mundanis amatoribus: qui, cum aliquam depereunt, facilè iraſcuntur ex zelotypia. Cum autem amorem exuunt: zelotypiam ſimul exuunt, & iram ex ea ortam. Ideo dicit, *auferetur zelus meus à te, nec iraſcar ampliùs*; perinde ac ſi diceret, te non amabo: de te nihil curabo ampliùs. Ideò Hieronymus in hunc locum

Hieronym.

ex hoc, inquit, *perſpicimus grandem offenſam eſſe, nequaquam curæ haberi à Deo: ſed permitti hominem ſceleribus ſuis, atque peccatis.*

Iraſci Dei in hac vita, effectus miſericordiæ.

Ideo comminando dicit *non iraſcar.* Ira igitur Dei in hac vita eſt effectus miſericordiæ. Quamobrem Origenes homil. 8. in Exod. *Vide*, inquit, *miſericordiam Dei: quando vult miſereri, indignari ſe dicit, & iraſci. Vbi iraſcitur, & zelatur? ubi adhibet dolores, & verbera, flagellat enim omnem filium, quem recipit.* Contra verò hoc non iraſci eſt vehementer iraſci: hoc parcere eſt maximè ulciſci. Ideirco

Origenes.

Auguſt.

Auguſtinus ſerm. 37. de verbis Domini expendens locum Pſalm. 9. *exacerbavit Dominum peccator*; *vide*, inquit, *quid ſequitur. Secundùm magnitudinem iræ ſuæ non quaret. Ideo nempe non exquirit: quia multum iraſcitur; parcendo cedit.* Agnovit hoc Seneca lib. de Provid.

Seneca.

c. 4. *ubi hos*, inquit, *Deus, quos amat, indurat, recognoſcit, exercet: eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, venturis malis reſervat.*

Oſee 4.

Octavus locus eſt Oſeæ 4. *non viſitabo ſuper filias veſtras, cum adulteraverint.* Hæc eſt maxima comminatio, cum peccaverint, non puniri in hac vita. Quem locum expendens Hugo Cardinal. in Pſal.

Hug. Card.

Tribulationes, viſitationes Di.

8. *non viſitare*, inquit, *eſt maxima ira Dei. Flagellare autem delinquentes miſericordia eſt.* Obſervandum, pœnas, quas Deus infligit in hac vita, divinas viſitationes vocari: *non viſitabo*, &c. Viſitari autem à Principe maximum eſt benevolentiæ indicium. Ideo dicitur

2. Mach. 6.

2. Mac. 6. *multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim ultiones adhibere, magni beneficij eſt indicium.* Sicut è converſo maxima pœna eſt non puniri. Quod adnotans Origenes hom.

Peccatorũ pœna maxima eſt impunitas.

Origenes.

8. ſuper Exod. *vis*, inquit, *audire indignationis Dei terribilem vocem? Audi, quod dicit per Oſeam, cum enumeraſſet multa nefanda, quæ Ieruſalem commiſerat*, addit *non viſitabo filias veſtras cum fornicantur: & ſuper uxores veſtras, dum mœchantur.* Hinc colligitur proſperitatem impunem impiorum oriri ex Dei indignatione majori. Ideo

Auguſt.

Auguſtinus epiſt. 5. ubi: *perverſa*, inquit, *mens mortalium felices res humanas putat, cum tectorum ſplendor attenditur*, &c. *Hæc ſi Deus pollere permittat, indignatur gravius: ſi impunita dimittat, tunc punit infeſtius.*

2. Mac. 6.

Nonus locus eſt 2. Mac. 6. ubi cum dictum eſſet, gentem Hebræam puniri: & *Deum ſtatim ultiones adhibere, magni beneficij eſſe indicium*, ſubditur, *non enim, ſicut in alijs nationibus, Dominus patien-*

ter expectat : ut eas , cum judicij dies advenerit , in plenitudine peccatorum puniat. Ideo igitur Deus subtrahendo à peccatoribus flagella, eos *patienter expectat : ut in judicij die in plenitudine peccatorum puniat :* Ergo hæc Dei patientia , & dissimulatio , atque hæc multorum impunitas in peccatis , signum est apertissimum futuræ damnationis. Quod animadvertens Augustinus serm. 37. de verbis Domini *magna*, inquit , *misericordia est nequitiæ impunitatem non relinquere : & ne cogatur in extremo gehennæ damnare , modò flagello dignetur castigare.* Vnde sequitur nullam esse in hac vita graviorem pœnam,quàm nullam pœnam.Ideo idem Augustinus loco citato *Vis*, inquit, *nosse,nulla pœna quanta sit pœna ? Davidem interroga, qui ait , irritavit Dominum peccator. Quære ? quid vidisti ? Vidi peccatorem impunè luxuriantem ; & exclamavi , irritavit Dominum peccator. Vide quid sequitur. Secundùm magnitudinem iræ suæ non quæret.* Quando igitur Deus maximè irritatur , tunc minimè secundùm iram suam quærit : & ideo maxima pœna est , nulla pœna. Quia nimirum ex loco citato Mac. *Deus patienter expectat : ut cum judicij dies advenerit , in plenitudine peccatorum puniat.* Hæc è veteri testamento.

Impunitas in peccatis, reprobationis indicium. *August.*

Misericordia est non relinquere hic impunita peccata. *August.*

Nulla pœna maxima est pœna.

CLXIII.

Decimus locus est Matth.10. *Qui non accipit crucem suam , & sequitur me , non est me dignus.* Alludit sine dubio ad crucem:quam ipse suis humeris bajulaturus erat ad Calvarium.Perinde ac si diceret, qui non bajulat suam crucem,sicut ego bajulavi meam,non est me dignus. Hæc autem bajulatio crucis non fit inter mundanas prosperitates , ac voluptates. Ideo Euthymius in hunc locum *Crucem*,inquit , *vocat Christus mortem ad ea,quæ mundi sunt : quia mortis instrumentum erat crux. Oportet enim eum,qui Christum sequitur, mortuum esse ad mundanas voluptates.* Ille igitur , qui mundanis voluptatibus non est mortuus, crucem non bajulat post Christum : & sic de illo pronunciat,*non est me dignus.*Si non dignus Christo, non dignus amicitia Christi. Non dignus fruitione Christi, non dignus Christo capite:& sic non est membrum Christi,atque adeo non glorificandus cum Christo.Ideo omnes electi apud Ezech.cap.9. dicuntur signati Thau idest cruce. Quippe , ut ait Origenes hom. 8. in Ezech. *illi tantum sospites reservantur : quos Thau littera , idest crucis pictura signaverat.*Ideo etiam in die judicii cum ex Matth. 24. *apparebit signum filij hominis* , nempe crux , sub eo congregabuntur vexillo ; sub quo solo est salus : dicente Christo, *qui non accipit crucem suam* , &c. *non est me dignus.* Certum est autem eos , qui consolationibus affluunt hujus seculi,non bajulare crucem Christi:quæ in pœna , & mortificatione sita est.Quippe, ut ait Chrysostomus in hunc locum Matt. *consuevit Dominus passiones* (tribulationes) *nomine crucis appellare.*Vnde colligitur,non tribulatos non bajulare crucem

Mat.h.10.

Euthym. Crux mortificationē significat.

Electi cruce signantur. *Ezech.9.* *Origenes.* *Matth.24.*

Chrysost. Crucis nomine tribulationes significātur.

post Christum, non signari Thau, neque militare sub vexillo crucis, & sic non adnumerari inter electos. Ideo Paulus ad Philipp. 3. hos appellat *imicos crucis Christi: quorum finis interitus.* Quamobrem in hæc verba Chrysostomus: *Isti*, inquit, *vitæ & corporis amantes profectò crucis Christi sunt inimici: & quisquis delitiarum, mundanæque prosperitatis amator est, inimicus est crucis.* Quippe, cum crux in tribulatione sit posita: qui tribulationes fugiunt, voluptates sectantur, inimici sunt crucis Christi. Quod advertens Anselmus in eum locum, *ÿ*, inquit, *sunt inimici crucis Christi, qui contra crucem semper faciunt. Cum enim Christus in omnibus electis carnem affligat, illi è contrario carnem voluptatibus subdunt.* Ideo Christus, *qui non accipit crucem suam, & sequitur me* (ut contra distinguatur crux Christi à cruce Diaboli, quæ non sequitur Christum) *non est me dignus.* Quippe, ut notat Theophilactus ad Philipp. 3. *illi, qui dediti delitiis sunt, & vitæ præsentis otio quietiori addicti, crucis sunt hostes, & infensi Christo.*

Ad Phil. 3.

Chrysost. Prosperitatis amatores inimici crucis Christi.

Anselmus.

Theoph.

Vndecimus locus est Lucæ 6. *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis; quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc; quia lugebitis, & flebitis.* Non poterat à Christo apertiùs declarari, felicitatem hujus vitæ prænunciam esse æternæ damnationis. *Væ vobis*, &c. utique æternum væ. Quippe, ut ait Gregorius hom. 9. in Ezech. *væ in Sacra Scriptura sæpiùs de æterno luctu, quàm de præsenti solet intelligi.* Exemplificat autem afferendo locum Isaiæ 3. *væ impio in malum*, & Iob 10. *si impius fuero, væ mihi est*, & hunc eundem locum Lucæ 6. *væ vobis, qui ridetis: quoniam flebitis*, intelligens hoc de æterno luctu, & fletu: de quo Matt. 8. *ibi erit fletus, & stridor dentium.* Superiùs dixerat, *Beati, qui nunc fletis: quia ridebitis.* Quod certè, juxta omnes interpretes, intelligitur de beatitudine, & vita æterna. Ergo dum subdit, *væ qui ridetis nunc, quia flebitis*, intelligitur de miseria, & fletu æterno. Habet autem emphasim vox illa *nunc*: dum dicitur, *qui ridetis nunc*; utique in præsenti vita. Ergo dum dicit *flebitis*, intelligit fletum in futura. E quibus apertè colligitur, in his *væ* significari damnationem æternam. Primò dicit *væ vobis divitibus*: neque affert hujus væ aliam causam, nisi consolationem præsentem: *quia habetis consolationem vestram.* Quamobrem Ambrosius lib. 2. offic. c. 5. *illa*, inquit, *quæ videntur bona, divitias, satietatem, lætitiam expertem doloris, detrimento esse ad fructum beatitudinis dominico declaratum judicio liquet, cum dicitur, væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram.* Subdit, *væ vobis, qui saturati estis: quia esurietis.* Expendendum est non dici, quia avari estis, quia rapaces, quia iniqui: sed *quia habetis consolationem vestram.* Consolatio igitur præsens præludium est væ futuri. Saturitas ergo præsens ex affluentia bonorū hujus

Luc. 6.

Gregorius Væ, commination damnationis æternæ.

Isaiæ 3.
Iob. 10.
Luc. 6.
Matth. 8.

Ambrosius.

vitæ prænuncia est æterni jejunii: in quo semper petenti semper negabitur gutta aquæ, ex Luc. 16. Denique subjecit *væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis.* Ergo præsentem risum excipiet æternus luctus, & fletus. Certè Zoroastrem, reprobum non vulgarem, utpote qui artis necromanticæ auctor dicitur, vix in lucem editum non ejulasse, ut infantes cæteri, sed risisse tradit Plinius histor. nat. lib. 7. c. 17. Christum verò prædestinatorum caput, ac ducem, ex iis quæ evangelistæ referunt, flevisse sæpiùs, risisse nunquam animadvertit Chrysostomus hom. 6. in Matth. Vnde colligitur prælentis vitæ risum esse proprium reproborum, fletum proprium electorum: ex risu in hac vita sequi æternum fletum, ex fletu æternum risum. In hoc autem contrarium accidit, ac in seminibus cæteris. Quippe ex frumento frumentum nascitur, ex hordeo hordeum, & sic in reliquis. Hic autem ex fletu risus, juxta illud Psal. 125. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.* ex risu fletus: *væ qui ridetis, quia flebitis.* Semen igitur risus sunt lachrymæ: semen lachrymarum risus. Quod expendens Chrysostomus homil. 66. ad pop. Antioch. *gaudium,* inquit, *mundi statim extinguitur: & infinitos parit mœrores. Tristemur tristitia gaudij genitrice: non gaudeamus lætitia tristitiæ parente. Lachrymas fundamus multam seminantes voluptatem: neque risu gaudeamus nobis stridorem dentium pariente. Affligamur tribulatione; ex qua remissio nascitur: non quæramus delicias, ex quibus tribulatio paritur.* Ita ex seminibus contrariis contraria nascuntur germina: ut si quis è semine rosarum spinas, è spinis rosas colligeret. Quod adnotans Plinius in Paneg. ad Traian. *habet has,* inquit, *vices conditio mortalium, ut adversa è secundis, ex adversis secunda nascantur. Occultat utrúmque semina Deus; & plerumque bonorum, malorumque causæ sub diversa specie latent.* Nimirum latet in risu fletus, in fletu risus.

Luca 16.

Zoroastris risus, dum nascitur. *Plinius.*

Christus flevit sæpe, risit nunquam. *Chrysost.*

Fletus ex risu, risus ex fletu metitur. *Psal 125.*

Semen risus lachrymæ; lachrymarum risus. *Chrysost.*

CLXIV.

Duodecimus locus est Lucæ 16. ubi affertur in medium dives epulo reprobatus, mendicus prædestinatus. Hujus autem discriminis non alia affertur ratio, quàm prosperitas unius, tribulatio alterius. Quod patet ex eo, quòd epulonis nullum aliud peccatum describitur, præterquam vita splendidè, lautéque traducta, *induebatur purpura, & byssò: epulabatur quotidie splendide.* Lazari nulla alia memoratur virtus, quàm miserrima, & fame vexata mendicitas. *Cupiebat saturari de micis: & nemo illi dabat.* Vtriusque in fortuna discrimen egregiè, ut solet, prosequens Chrysologus serm. 123. *induebatur,* inquit, *dives purpura, pauper livore, dives byssò, pauper squallore, auro dives, pauper fœtore. Dives plumeo decumbebat in syrmate, jacebat durissima pauper in terra. Dives ructabat epulas; sanie pauper anhelabat. Fundebat vina dives, pauper lachrymas. Exsatiatus dives projiciebat panes: micas pauper esuriens non habebat. Pascebat obla-*

Luca 16.

Epulonis reprobatio è prosperitate: Lazari prædestinatio ex adversitate.

Chrysolog.

Epulonis & Lazari discrimen descriptum graphicè.

trantes canes dives ferculis : pauper canes divitis, suis vulneribus satiabat. Hæc est utriusque fortunæ disparitas, diviti prospera, adversa pauperi. Illi ex prosperitate reprobatio: huic ex adversitate salvatio. Patet id ex eo quod dictum est expresse epuloni *recordare, quia recepisti bona in vita tua : & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur : tu verò cruciaris.* Reprobationis in divite nulla alia affertur ratio, nisi quia, *receperat bona in vita sua :* & prædestinationis in Lazaro, quia *receperat mala.* Est animadversio Bernardi in declam. ad ea verba Petri, *ecce nos reliquimus*, &c. ubi *ad tremendum*, inquit, *Abrahæ judicium veniamus. Non enim Abrahæ, sed Dei sententia est, memento fili quod recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala. Fer sententiam : quia paucis expressa totius negotij summa est. Ille bona, iste mala recepit. Quid modò ? nunc autem hic consolatur : tu cruciaris. Hæc cruciatuum causa tota, quod in hoc seculo bona recepit ? ipsa planè.* Ex hoc sic licet argumentari. Quotiescunque aliquis effectus in uno singulari cognoscitur per suam causam, possumus ab uno singulari inferre universaliter ad omne id, in quo reperitur talis causa. Vt, si cognoscam hoc album esse visibile, quia coloratum : licet ab hoc inferre, quod sit visibile quodlibet coloratum. Sed hic redditur ex ore Christi pro causa salutis tribulatio, & mendicitas : pro causa damnationis consolatio, & felicitas in hac vita. Ergo possumus hinc inferre universaliter, quod omnis qui *recipit bona in vita sua* in altera *cruciatur*: omnis, qui *recipit mala*, in altera *consolatur* : intelligendo hæc regulariter, & in eo sensu, in quo dicta sunt à Christo. Est animadversio Chrysostomi homil. 6. ad pop. Antioch. ubi *si quid*, inquit, *grave in præsenti vita injustè patimur ; per hoc peccata dissoluimus. Idcirco magnum bonum est luere hîc peccata, non illic.* Ecce propositionem universalem. Hanc autem deducit ab hoc uno singulari per suam causam. Quippe subdit. *Etenim dives hîc molestum nihil recepit : & propterea illic torquebatur. Et quod hoc esset in causa, quod nulla ibi consolatione frueretur, audi quid dicat Abraham, fili recepisti bona. Itaque nunc dolorem patere.* (ecce damnationem deductam à prosperitate ex vi consequentiæ) *Quod autem Lazaro bona dantur eò quòd hic infinitas passus esset molestias Abraham, & hoc dicentem audi. Cum enim dixisset diviti recepisti bona tua, intulit, & Lazarus mala : & propterea consolationem capit.* Nihil clarius dici poterat ad probandum intentum, quòd tribulatio, quà talis, prædestinationis sit signum : prosperitas, quà talis, reprobationis. Idcirco Christus notanter, & in sensu formali dixit, *Dives sepultus est in inferno : mendicus portatus est in sinum Abrahæ :* ut ostenderet illi damnationis causam fuisse divitias, huic salutis mendicitatem. Ita illi, *qui induebatur purpura, & bysso ; & epulabatur quotidie splendidè*, dum ex hac mundana felicitate

Bernardus.

Ex uno effectu singulari cognito per suam causam potest inferri propositio universalis.

Chrysost.

Divitiæ reprobationis causa: salutis, mendicitas.

materiam captat peccandi, flammescens purpura fuit flammæ prænuncia: byssus abyssi, epulum quotidianum parens æterni jejunij: splendor in epulis æternæ mortis præludium. Contra verò Lazari patienter tolerata mendicitas ad sinum Abrahæ, ad domicilium beatorum, ad summam extulit felicitatem. Quod perpendens serm. cit. Chrysologus *pauperem*, inquit, *provexit ad Philosophiam paupertas, ad virtutem dolor, contemptus ad patientiam, necessitas ad voluntatem, ad vitam mors, ad præmium pœna, ad cælum terra, egestas ad regnum. Divitem extulit purpura ad superbiam, byssus ad luxum, ad inhumanitatem copia, abundantia ad impietatem, unguenta ad mœrorem, ad cæcitatem splendor, sublimitas ad ruinam.* Denique dives, qui hic in Paradiso versabatur delitiarum, *sepultus est in inferno.* Pauperem, cujus *ulcera lingebant canes*, ad sinum Abrahæ *portarunt Angeli.* Mortuus est mendicus, mortuus est & dives, *Vtique*, ut ait Chrysostomus hom. de divite, *mortui sunt: illum Angeli, istum pœna suscipiunt. Ille portatur humeris Angelorum: iste ad tormenta portatur. Illum læto Abraham excipit sinu; istum tartarus vorat.* Observandum postremò est, de paupere dici, *factum est ut moreretur, & portaretur ab Angelis:* de divite verò non dici portatum esse à dæmonibus; sed *mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Nimirum divitem peccatorum gravitas ultro devoluebat ad inferos. Pauper verò portabatur ab Angelis, ad illustriorem pompam, & gloriam. Quippe, cum sufficeret ad eum portandum unus Angelus, advolarunt plures: quia unusquisque gestiebat sua deferre manu animam pauperis. Quod adnotans loco citato Chrysostomus, *portabatur*, inquit, *ab Angelis. Non sufficerat ad portandum pauperem unus. Propterea plures veniunt, ut chorum lætitiæ faciant. Gaudet unusquisque Angelorum tantum unum contingere.* E quibus apertè colligitur ad quantam felicitatem ducat præsentis vitæ miseria: ad quantam miseriam præsentis vitæ felicitas.

Purpura epuloni flammæ prænũcia.

Paupertas Lazarũ extulit ad sinum Abrahæ.

Epulonem sublimitas detulit ad ruinam.

Chrysost.

Lazarus portatus ab Angelis: epulo cur portatus à dæmonibus.

Lazarum cur non unus, sed plures Angeli portavere.

Chrysost.

Decimus tertius locus est Act. 14. *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Alloquitur fideles: & verbum illud, *oportet*, necessitatem importat. Porro *necessarium est, quod non contingit aliter se habere.* 4. met. t. 25. Si igitur necesse est nos *per multas tribulationes ad regnum Dei intrare*; quicumque in hac vita est sine multis tribulationibus, à regno Dei censetur excluſus. Quæ est illatio Hieronymi in epist. ad Ocean. Ubi *si*, inquit, *per multas tribulationes quibusdam aperitur aditus ad regnum Dei: illis utique clauditur, qui nolunt sustinere vel modicas.* Si igitur, *oportet in regnum Dei introire per multas tribulationes*, tanquam per portas; sicut tribulati signum habent potissimum prædestinationis, quia jam diriguntur ad Cæli portas: ita è converso, qui sunt tribulationis expertes, signum habent reprobationis: quia non ad salutis portas, sed

CLXV.
Act. 14.
Tribulationum necessitas ad salutem.
Aristot.

Hieronym.

Chrysost. Tribulationes via ad salutē.

aliò diriguntur. Quod expressè docens Chrysostomus homil. 29. in epist. ad Hebræos, *non potes*, inquit, *dicere, quia iustus est aliquis qui expers tribulationis existat.* Et ratio est, quia non solùm tribulatio est porta, per quam introitur ad regnum, ut dictum est: sed etiã via, per quam itur, dicente Christo *arcta est via, quæ ducit ad vitam.* Matth. 7. Qui igitur extra angustias sunt in hoc mundo, jam possunt certò colligere, se vivere veluti errabundus extra salutis viam. Est observatio ejusdem Chrysostomi ibid. ubi *necesse est*, inquit, *omnem iustum per pressuras, tribulationesque transire. Sententia quippe Christi est: lata, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem: arcta verò, & angusta, quæ ducit ad vitam. Si igitur per illam venitur ad vitam, & non potest illuc aliter perveniri, certum est quod per angustam hãc viam omnes illi transierunt, quotquot ad vitam perducti sunt sempiternam.* Sicut igitur una via ad unum terminum ducit, altera ad alterum: neque potest per unam viam perveniri ad terminum viæ alterius: ita non indecens per viam angustam tribulationum, sed per viam latam temporalium consolationum, non potest pervenire ad Paradisum; qui terminus est viæ angustæ. Ponamus igitur aliquem, qui ad urbem ire statuat, ubi ei corona, & imperium destinatur, si essent duæ viæ affines, una angusta, sentibus ac spinis obsita, quæ eò duceret: altera lata, violis, ac rosis florida; cujus terminus non alius esset quàm immanis vorago, & præcipitium: de eo, qui errabundus deflecteret ad viam floridam, certò pronunciaretur à peritis itinerum, non deventurum ad urbem ubi destinabatur ad coronam; sed ruiturum ad barathrum, ubi eum manet mors, & perditio. Idem planè contingit in via salutis; quæ angusta est, & spinis obsita: sicut via perditionis lata est, & prosperitatibus hujus seculi florida. Ex via conjice terminum. Es in via angusta, & spinosa tribulationum? pervenies ad regnum. Es in via lata, & florida temporalium consolationum? devolueris ad barathrum. Quod adnotans Chrysostomus loco citato *viam*, inquit, *spatiosam quæris, propterea non adipiscēris vitam; quia per aliam ingrederis viam: sed ad perditionem venies. Illuc enim deducens iter elegisti.* Quia scilicet tribulatio via est unica ad regnum Dei, juxta id, quod dictum est, *per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei.* Consonat his Paulus ad Hebr. 10. dum dicit, *patientia vobis necessaria est ut reportetis promissionem*, utique gloriæ, & salutis. Si patientia ad salutem est necessaria, ergo tribulatio: quia *tribulatio patientiam operatur.* ad Rom. 5. Ergo, si prosperitas tribulationi opposita est extra materiam patientiæ, erit utique signum non reportandi promissiones, atque adeo reprobationis indicium. Idem de necessitate tribulationis repetit Paulus 2. ad Timoth. 3 *omnes, qui volunt in Christo piè vivere persecutiones patiuntur.* Illi ergo, qui non patiuntur, nolunt *in Christo piè vivere*: est illatio Augustini in Psal. 55. ubi

Matth. 7. Prosperati in hoc seculo sunt extra cæli viam.

Chrysost.

Paradisi via spinea, inferni florida.

Chrysost.

ad Hebr. 10. Patientia necessaria ad salutē.

ad Rom. 5.

2. ad Tim. 3

August.

55 ubi, *si ergo*, inquit, *non pateris ullam tribulationem, vide ne nondum cœperis piè vivere in Christo.*

Decimus quartus locus est ad Hebr. 12. *quem diligit Dominus corripit ; flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Et paulò post. *Quod, si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri estis, & non filij.* Unde sic arguo. Omnis filius flagellatur. Nullus, qui in prosperitatibus vitam degit, flagellatur. Ergo nullus, qui in prosperitatibus vitam degit, est filius. Major est de Fide, ex loco citato. Minor est evidens ex terminis: cũ flagellari sit tribulari, quod opponitur ad prosperari. Consequentia tenet ex forma. Quæ est illatio Chrysostomi hom. 29. in epist. ad Hebr. ubi *si*, inquit, *flagellat omnem filium, quem recepit ; qui non flagellatur, sine dubio non est in numero filiorum.* quod si non est in numero filiorum, utique non est in numero prædestinatorum. Quia, si non filius, ergo non hæres. Sicut Paulus è converso infert, *si filij, & hæredes*, ad Rom. 8. Observandum non dici, omnis qui flagellatur, est filius : sed omnis filius flagellatur. Quia omnis prædestinatus flagellatur: non autem è converso omnis qui flagellatur, est prædestinatus : cum multi patiantur, ut ait Paulus. 1. ad Corinth. 7. *tribulationem carnis:* & multi tanquam scelesti flagellantur etiam in hac vita, testante Propheta Psal. 31. *multa flagella peccatoris.* Animadvertit hoc Chrysostomus loco citato, ubi : *non dixit*, inquit, *omnis, qui flagellatur, filius est : sed omnis filius flagellatur. Semper enim, & ubique filium verberat, & castigat, hoc est, demonstrari non potest, quod qui filius est, non flagellatur.* Dixerat quippe supra, aliqua esse flagella interna, quæ à nobis non videntur : & sic ignorari alienas tribulationes. Sequitur, ostendendo non omnem flagellatum esse filium. *Sunt quidem plurimi, qui flagellantur maligni : sicut homicidæ, latrones, malefici. Isti non sicut filij flagellantur ; sed sicut pessimi puniuntur.* Iuxta hoc ostendimus cap. præcedenti, non omnem tribulationem esse prædestinationis signum, neque omnem tribulatum ex hoc capite poni in numero prædestinatorum. Ex hoc verò loco Pauli habetur, omnem prædestinatum debere poni in numero flagellatorum : atque adeo, juxta Chrysostomum, si Deus *flagellat omnem filium, quem recipit ; eum, qui non flagellatur, non esse in numero filiorum.* Hæc autem illatio est ipsiusmet Pauli, dum subdit, *quod, si extra disciplinam estis, ergo adulterini* seu potiùs ex Græco, *adulterini, spurij estis, & non filij.* Per disciplinam pœnam significat adhibitam ad instruendum, & corrigendum : quo pacto magister discipulos, pater flagellat filios. Ideo dicitur Prov. 3. *disciplinam Domini ne abiicias ; quem enim diligit Dominus corripit ; & quasi pater in filio complacet sibi.* Disciplina igitur est divina correctio ; qua Deus ut pater corrigit filios ad instructionem, & emendationem. Ideo David Psal. 118.

ad Hebr. 12. CLXVII. Tribulatio filiationis Dei argumentum.

Chrysost. Qui non est in numero flagellatorũ, non est in numero filiorum.

ad Rom. 8.

1. Cor. 7.

Psalm. 31. Chrysost. Tribulatio non semper filiationem Dei indicat.

Disciplina quid significet in Scripturis.

Prov. 3.

Psal. 118.

Bonum mihi, quia humiliasti me: ut discam iustificationes tuas. Flagellum hoc est, quo discitur. Unde infert Apostolus, *si extra disciplinam estis*, extra flagellum, extra tribulationes, extra castigationes divinas, *ergo adulterini estis, & non filij*, idest estis tanquam ex adulterio nati, *& non filij*. Quod dupliciter explicari potest.

Prosperitas filios indicat spurios, non legitimos.

Primò ut significet eos esse quidem filios, sed spurios, & illegitimos: ita ut, quando dicit, *non filij*, subintelligatur, legitimi. Et in hoc sensu haberur intentum, quod sicut filij spurij negliguntur à patre, qui non est de eorum emendatione sollicitus, quia iis successionem hæreditatis non servat: ita, *si extra disciplinam estis*, signum est vos non filios legitimos esse, sed spurios, & à paterna hæreditate exulatos. Est animadversio Chrysostomi, qui sequutus hunc sensum, *attende*, inquit, *quod non potest esse filius, qui non castigatur. Sicut enim in domibus patrum familias spurios filios negligunt patres, etiamsi nihil doceantur, etiamsi glorioſi non fiant: ita pro filijs proprijs* (legitimis) *valde curant, ne eos malum opprimat negligentiæ.* Si igitur non castigari spuriorum est, infertur eos, quibus habena laxatur vivendi pro libito, *extra disciplinam*, extra flagellum Dei, tractari ut filios adulterinos, & spurios: quibus hæreditas denegatur.

Chrysost.

Alter sensus est, quod filij adulterini, & spurij appellentur ij, qui non sunt verè filij respectu Dei, sed alterius: In quo sensu dicitur Psal. 17. *filij alieni mentiti sunt mihi.* & Ioann. 8. *vos ex patre diabolo estis*: & hic sensus magis consonat litteræ ubi dicitur *ergo estis adulterini*, non filij; & sic excluduntur non solùm à numero legitimorum, sed etiam absolutè à numero filiorum. Et hic sensus apertiùs probat intentum, quod ij *qui extra disciplinam sunt* divini flagelli, sicut dicuntur *non filij* excluſi à filiatione Dei, ita etiam ab hæreditate excluduntur, quæ non datur nisi filiis. Tristandum est igitur, cum minimè castigamur; quia hoc signum est non adnumerari nos inter filios. Gaudendum, cum flagellamur: quia tunc nos Deus declarat filios. Siquidem, ut ait Chrysostomus loco citato, *castigatio filiis proprijs adhibetur: proinde nobiscum sicut cum filijs agit Deus.*

Psal.17.
Ioan.8.

In prosperitate dolendum, in tribulatione gaudendum.
Chrysost.

Confirmatur hoc ex ijs, quæ de Christo filio Dei non adoptivo, sed naturali in Evangelijs legimus. Is nempe in duplici monte se cõspiciendum exhibuit, in monte Thabor, & in Calvario, modo longè diverso. Ibi inter Moysen, & Eliam; qui ejus encomia celebrabant: hîc inter latrones, qui eum blasphemabant. Ibi in veste instar nivis candida: hîc sanguine purpurata. Ibi *resplenduit facies eius sicut, sol*, ejus diei congeminato sole: hîc *tenebræ factæ sunt super universam terram: & obscuratus est sol.* Ibi in gloria, hîc in ignominia, ibi inter delicias, hîc inter supplicia: ibi totus consolatio, hîc totus tribulatio. Tamen in monte Thabor, ut agnosceretur à discipulis tanquã Dei filius, *nubes lucida obumbravit eos, & vox de nube dicens, hic est*

Christus in Thabor, & in Calvario diversimodè se exhibuit.
Matth.17.

Matth.17.
Luc. 23.

Cur in Thabor declaratur voce Patris ut filius, in Calvario non item.
Matth.17.

filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Matt. 17. In Calvario verò nullo nubis lucidæ, nullo paternæ vocis testimonio, non à latrone solùm, qui eum regem agnovit: sed à Centurione quoque, & iis, qui cum eo erant, proclamatur filius Dei Matth. 27. *verè filius Dei erat iste.* Scilicet in monte Thabor, dum brevissimo tempore, & raptim gloriosus apparuit, speciem exhibere voluit humanæ felicitatis. Quia ibi, ut ait S. Leo homil. de Transfig. *regiam claritatem tribus viris voluit esse conspicuam.* Ideo *resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix:* quia non poterat meliùs humana prosperitas adumbrari, quàm conjunctione solis, & nivis; quæ ad solis radios illico eliquata evanescit. Cum igitur Christus tunc typum præberet felicitatis humanæ, oportuit ut sonaret vox Patris de cælo dicens, *hic est filius meus dilectus:* ne ambigi posset in illa felicitate de ejus filiatione. Quia, ut dictum est ex Chrysostomo, *qui non est in numero flagellatorum, non est in numero filiorum.* Contra verò in Calvario, cum apparuisset in cruce, toto corpore flagellatus, agnitus ut flagellatus, illico agnitus est ut filius, Centurione exclamante; *verè filius Dei erat iste.* Quippe, qui est in numero flagellatorum, est in numero filiorum. Quod innuens Hieronymus in hunc locum, *considerandum,* inquit, *quod centurio verè filium Dei confiteatur in ipso scandalo passionis.* Quia scilicet Christum ipsamet passio Dei filium declarabat: ut enim notat Glossa in Prov. 3. *in flagello certum pignus paternæ dilectionis tenetur.* Quod si in monte Thabor de eo dictum fuit, *hic est filius meus dilectus,* additurque, *in quo mihi bene complacui.* Inter supplicia Calvarii, hæ fuissent voces supervacaneæ. Quippe, ut dicitur Prov. 3. *quem diligit Dominus, corripit: & tanquam pater in filio complacet sibi,* sive, ut legunt Septuag. *flagellat filium.* Ita ut idem planè significet, aliquem flagellari: & Deum *complacere sibi in eo tanquam in filio.* Ergo è converso à Deo non flagellari in hac vita, non est signum paternæ benevolentiæ: sed potiùs abalienationis, Deo non sibi *in eo complacente tanquam in filio.* Vnde sequitur exclusio ab hæreditate, & damnatio. Ideo Bernardus serm. 10. in Psal. Qui habitat *ne ipsi,* inquit, *quidem carni expedit sic amari; ut videlicet cui caves à flagello paternæ correctionis, thesaurizes iram æternæ damnationis.* Ideo dicitur Psalm. 55. *pro nihilo salvos facias illos: in ira populos confringes,* sive, ut legit Augustinus, *deduces.* Tunc nimirum salvos facit, cum in ira paternæ correctionis ad salutem deducit. Quæ est expositio Augustini in eum Psalm. ubi *irascaris,* inquit, *& deducis: terres, & vocas: sævis, & salvas. A te ira videtur, sed paterna. Irascitur pater filio, iratus eum cædit: aurem vellit: manu trahit: ad scholam ducit.*

Matth 27. Gloria Christi in Thabor, figura humanæ felicitatis.

S. Leo. Prosperitas humana, nix ad solé.

Centurio filium Dei ex ærumnis agnovit.

Hieronym.

Glossa Tribulatio pignus dilectionis.

Prov. 3.

Tribulari, & Deo placere idem est in Scripturis.

Bernardus.

Psal. 55.

August. Tribulatio ira Dei paterna.

Cum eo igitur, quem Deus non flagellat, non agit tanquam cum filio, aut saltem non tanquam cum filio, in quo sibi tanquam in hæ-

rede complaceat. Sicut si pater habens duos filios unius curæ invigilaret; uni pædagogum assignaret; unius correctioni insisteret, altero planè neglecto: argumento id esset illum designari hæredem: alterum neque hæredem substitui, neque ullius disciplinæ capacem haberi. Eodem planè modo Deus se gerit cum prædestinato, & reprobo: cujus utriusque, saltem titulo creationis, est pater, uni pædagogum assignat, qui eum corrigat, & flagellet: alterum sine pædagogo ipsius arbitrio ut indisciplinatum relinquit; Quippe, ut ait Chrysostomus homil. 62. ad pop. Antioch. *pædagogus noster tribulatio est.* Pædagogus autem à patre datur filiis, dum sunt pueri. Idcirco de se Paulus 2. ad Corinth. 12. *datus est mihi Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Quod expendens Augustinus in Psal. 130 *ne*, inquit, *extolleretur, ut juvenis, colaphizatur ut puer.* Vberiùs id explicat idem Augustinus in Psalm. 93. ubi *duos*, inquit, *filios habet homo, alterum castigat, alterum dimittit. Facit unus malè, & non corripitur à patre: alter, mox ut se moverit, flagellatur. Vnde ille dimittitur, & iste cæditur, nisi quia huic cæso hæreditas servatur: ille autem dimissus exhæredatur?* Idem planè habetur apud Senecam lib. de providentia ubi *Deus*, inquit, *bonos, ut severus pater durius educat: vultque eos doloribus, ac damnis robur colligere.* Ex quo infertur, sub flagellis gaudendum, tanquam sub signo paternæ benevolentiæ, & futuræ hæreditatis: dolendum in prosperitatibus, tanquam in signo paternæ iræ, & futuræ exhæredationis. Ideo Augustinus in Psal. 53. expendens hunc locum, *flagellat omnem filium*, &c. *gaude*, inquit, *sub flagellis: quia tibi servatur hæreditas. Ad tempus emendat: non in æternum damnat. Illis autem* (reprobis) *ad tempus parcit: eos in æternum damnabit.* Nempe ut excluſos à numero hæredum, & excluſos à numero filiorum: siquidem *flagellat omnem filium.* Sicut igitur ex Gloſſa in Prov. 3. *tanto minus de flagello, quo castigamur, murmurare debemus; quantò certius in eo pignus paternæ dilectionis tenemus*: ita ij, qui in prosperitatibus versantur, tantò magis tristari debent, quantò certius habent pignus indignationis, & iræ Dei, tanquam excluſi à numero filiorum.

Addo etiam eos excludi à numero Christianorum. Hæc autem non est mea exaggeratio, sed doctrina Augustini lib. de Past. ubi *si exceptus*, inquit, *es à passione flagellorum, exceptus es à numero fidelium*, & Psalm. 55. *si putas te non habere tribulationes nondum cœpisti esse Christianus.* Quia scilicet hi in opere Christiani non sunt, qui Christi passionis non sunt consortes. Adderem excludi à numero hominum. Ideo dicitur Psalm. 72. *& cum hominibus non flagellabuntur.* Et sic, qui dimittuntur à Deo sine flagello ut indisciplinati, inter belluas numerantur. Ideo Augustinus in Psalm. 72. post ea verba *cum hominibus non flagellabuntur, attende*, inquit, *indisciplinatos: attende*

Chrysost. Tribulatio pædagogus. *Augustin.*

CLXVIII.

Seneca.

Gaudendū sub flagellis: in prosperitatibus dolendum. *August.*

Glossa.

Excluſi à numero tribulatorum, excludūtur à numero Christianorum. *August.*

Tribulationis expertes adnumerādi inter belluas. *August.*

taurum devotum victima, permissum errare liberè, & vastare quæ potest, usque ad diem occisionis. Ideo dicitur loco citato ad Hebr. iis qui minimè flagellantur, *extra disciplinam estis.* Homo quippe solus disciplinæ capax, animal disciplinabile: bell[illegible] ò *extra disciplinam.* Si non flagellati, & correpti, sunt *extra a[illegible]nam*, mutique sunt extra numerum hominum. Ideo dicitur 1.[illegible] *. ipse erit mihi in filium: qui, si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum.* Qui igitur non ita arguuntur à Deo, non sunt adnumerandi inter filios hominum; & multò minùs inter filios Dei. Si igitur neque inter Dei filios numerantur, neque ex Augustino inter verè Christianos, neque inter homines, multò minùs inter prædestinatos. Quod si non numerari debent inter hos, utiq; numerantur inter reprobos: cum inter utrosque non detur medium. Igitur ex loco citato Deus *flagellat omnem filium*, & hæredem: certè non flagellati numerantur inter non filios, & exhæredes. Hæc è Scripturis. Testimonia Patrum partim interseruimus Scripturis: partim rationibus interseremus.

1. *Reg.* 7. Tribulatio virga virorum.

Probatur igitur secundò ratione. Prima ratio. Omnis prædestinatus conformari debet Christo. Nullus in hac vita prosperatus, regulariter loquendo, conformatur Christo, ergo nullus in hac vita prosperatus, regulariter loquendo, est prædestinatus. Consequentia tenet ex forma. Major patet ex Paulo ad Rom. 8. *quos prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit*, &c. Minor probatur, quia nullus in hac vita prosperatus, est in adversitate, & cruce: cum adversitas, & prosperitas opponantur. Christi autem, ut notat Bernardus lib. de pass. c. 35. *crux non fuit unius diei, sed tota illius vita crux fuit, & martyrium*, ut ostensum est cap. præced.

CLXIX. Prosperitas reprobationis signum, quia difformat à Christo.

Ad Rom. 8.

Christi tota vita crux, & martyrium.

Bernard.

Confirmatur primò, quia Christus auspicatus est vitam à vagitu, & lachrymis. Quippe de eo canit Ecclesia, *vagit infãs inter arcta conditus præsepia.* Clausit vitam in lachrymis, ut ait Paulus ad Hebr. 5. *cum clamore valido, & lachrymis.* Quando scilicet *clamans voce magna emisit spiritum.* Matth. 27. totam denique vitam traduxit in lachrymis: quod ipse testatus est per Prophetam *Deus vitam meam annunciavi tibi: posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Psalm. 55. Denique post mortem ex aperto latere *exivit sanguis, & aqua.* Ioan. 19. Nimirum materia lachrymarum è lacu, qui circum præcordia stagnat, egrediens, fletus fuit cordis postremus. Indicans hoc Cyprianus serm. de passione, *de latere*, inquit, *tuo fons egreditur*: & infra: *ex hoc fonte lachrymarum perennes effluunt rivi.* Scilicet effusione illa sanguinis, & aquæ post mortem, voluit Christus ostendere, se ne guttam quidem aut cruoris, aut lachrymæ retinuisse, quam non pro omnium salute prodigeret. Si igitur tota Christi vita, & mors fuit

Christi tota vita fletus, & lachrymæ.

Ad Hebr. 5.

Matth. 27.

Psal. 55.

Ioan. 19.

Cyprianus.

Aqua egrediès è Christi latere fletus cordis postremus.

in lachrymis, sequitur apertè difformes esse Christo, qui vitam degunt in tripudiis, & risu. Si difformes, ergo non ex numero prædestinatorum: quos Deus vult *fieri conformes imaginis filij sui.*

Confirmatur secundò clariùs è perpetuis doloribus, tum externis, tum internis Christi: qui de se dixit Psal.87. *pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea. In laboribus* quidem *à juventute*: sed in doloribus à primo instanti Incarnationis, in ipsomet utero matris. In quo illud valde admirabile est, quod Christus à primo instanti, habens usum rationis perfectum supra omnes sepes, clausum se vidit in puellæ aluo: quo nullus est excogitabilis carcer angustior: ita ut neque versare se posset in latera; & se movere vix posset. Quod indicatur Hieremiæ 31. *novum fecit Dominus super terram; fœmina circumdabit virum*: puta infantem prudentiæ virilis. Hac pœna excogitari non potest gravior, si vir aut senex mente pollens, iterum intra mulieris aluum conclusus cogeretur per novem menses in eo ergastulo degere, corpore, superfusis undique visceribus, coarctato. Quæ ratio fortasse fuit ut Christus qui, ut notat D.Thomas 3. par. q.46.art.5.in corp.tanquam Rex, & exemplar martyrum *omne genus passus est passionis humanæ*, calumnias, proditiones, irrisiones, contumelias, spoliationem bonorum, vincula, sputa, alapas, flagella, spinas, clavos, crucem, lanceam: à carcere tamen, quem plerique passi sunt martyrum, & ab igne, quem passi sunt aliqui, fuisse videatur immunis. Quia scilicet ignis effectum passus est in anima per ardorem amoris: cum, ut ait serm.de S.Laurentio S. Leo, *segnior sit ignis, qui foris urit, quàm qui intus accendit.* Carcerem vero passus est in utero matris: dum mente pollens per novem menses arctissimis se vidit visceribus, immo etiam in proprio corpusculo, angustatum. Quippe, ut notat Arist.lib.7. de hist.anim. c.7. *quadragesimo post conceptionem die fœtus appareat magnitudine formicæ majusculæ.* Hæc de Christi pœna ante egressum ex utero: ex quo ubi prodiit, exegit infantiam in lachrymis, pueritiam exul à patria in ærumnis, adolescentiam in humanitate, exercens homo Davidicæ, hoc est, regiæ stirpis, artem fabrilem; juventutem in persecutionibus, & laboribus: & mortem denique subiens violentam plenam opprobriis, & doloribus. Ideo jure dictum est à Bernardo, *tota Christi vita crux fuit, & martyrium.* Quod si prosperitas consistit in tribus, in divitiis, in deliciis, in honoribus, Christus traduxit vitam in egestate, invidens *vulpibus foveas, & volucribus nidos; non habens ubi reclinaret caput suum* Lucæ 9. Traduxit vitam in doloribus, appellatus ab Isaia cap.53. *vir dolorum.* Traduxit vitam in summa humilitate, *saturatus opprobriis*, ex Threnorum 3. *despectus, & novissimus virorum*, ex Isaiæ 53. Videant igitur, qui in hoc seculo inter divitias, delicias, & honores prosperantur, an vita ab illis traducta sit vitæ, &

Psalm.87. Christi dolores primo instanti.

Hierem.31.

D.Thomas.

Christus passus est omne genus passionis humanæ.

Cur Christus à carcere, & igne immunis.

S. Leo.

Fœtus in utero formicæ magnitudine. *Aristot.*

Bernard. Christi vita in egestate, in dolore, in ignominia. *Luca 9. Isa.53. Thren.3. Isaiæ 53.*

cruci Christi conformis, an difformis: ut videant an signum prædestinationis habeant, an reprobationis.

Confirmatur tertiò; quia omnis prædestinatus per ea media debet perduci ad gloriam, per quæ ad eamdem perductus est Christus. Sed Christus perductus est ad gloriam per passiones, & tribulationes. Ergo omnis prædestinatus debet tendere ad gloriam per passiones, & tribulationes. Ergo nullus per delicias, & prosperitates potest tendere ad gloriam. Major patet; quia omnis prædestinatus debet tendere ad gloriam sequendo Christum. Et ideo dicitur Matth. 10. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Minor patet è Ps. 109. *De torrente in via bibet: propterea, exaltabit caput.* Torrentem appellat passiones hujus vitæ: quæ sicut torrens citò crescunt, citò deficiunt. Quippe, ut notat in hunc Psal. Augustinus, *torrens pluvialibus aquis colligitur: redundat, perstrepit, currit, currendo decurrit: & cursum finit.* Cum contra futuræ vitæ felicitas comparetur fluvio, qui jugiter fluens nunquam deficit. Ideo dicitur Ps. 45. *fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Igitur *propterea exaltavit caput*, usque ad exaltationem gloriæ: quia *in via* idest in vita *bibit de torrente* passionum. Est expositio Augustini in hunc Psalm. ubi *quia*, inquit, *de torrente in via bibit, propterea exaltabit caput. Idest, quia humiliatus, & factus est subditus usque ad mortem, mortem autem crucis; propterea Deus illum exaltavit*, &c. Unde infertur quod, qui de hoc torrente non bibunt in via, non exaltabunt caput in patria. Quod idem inferens Hugo Cardin. in hunc Psalm. *unde*, inquit, *illi, qui nolunt hic bibere de torrente tribulationis, eorum capita non exaltabuntur, sed conquassabuntur.* Quod est dicere non erunt electi, sed reprobi. Hoc autem multò potiori ratione: quia nobis non contingit *bibere de torrente*, sed solùm, ut habetur Apocalyp. 16. *de calice iræ Dei*, immo de calice tantùm stillam juxta illud 2. Paralip. 34. *furor Domini stillavit super nos.* Quia scilicet tribulationes, & passiones cujuscunque electi etiam martyris comparatæ cum passionibus Christi vix sunt calix, & stilla collata cum torrente. Quod si tot, & tam gravia *opportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Lucæ 24. puta in gloriam, quæ illi debebatur titulo hypostaticæ unionis, *quomodo*, ut infert Hugo ibidem, *qui nihil volunt pati, intrabunt in alienam?*

Denique ad societatem resurrectionis glorioſam cum Christo requiritur societas passionum Christi. Ideo Paulus ad Philip. 3. *ad cognoscendum*, inquit, *illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionis illius*, sive ex Græco *afflictionum eius, configuratus morti eius.* Qui igitur non *configurantur morti*, non configurantur resurrectioni. Quod si de Christo dictum est, *positus est in signum, cui contradicetur.* Lucæ 2. de electis dicit Paulus 1. ad Thessal. 3. *nemo*

Matth. 10. *Psal.* 109. Torrentis nomine tribulationes huius vitæ, quæ citò deficiunt. *August.* Felicitas futura fluvio comparatur fluenti perenniter. *Psal.* 45. *August.* CLXX. *Hug. Card.*

Apoc. 16. Christus bibit de torrente, nos de calice. 2. *Paral.* 34. Tribulationes cujuscunque electi respectu passionũ Christi, stilla sũt collata cũ torrente. *Luca* 24. *Ad Phil.* 3.

Luca 2. 1. *Thess.* 3.

Electi destinantur ut signum ad tribulationum sagittas.

moveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus, nempe ut signum ad tribulationum sagittas; juxta illud Thren. 3. *posuit me tanquam signum ad sagittam.* Quæ est expositio Hieronymi in eum locum ubi *qui*, inquit, *in hac vita assiduè mala tolerat, velut in signo positus ictus suscipit ferientium. Vnde & prædicator egregius, dum persecutionum mala tolerat; ipsi, inquit, scitis quod in hoc positi sumus. Ac si eis apertè dicat, quid vulnera nostra miramini? qui si æterna gaudia quærimus, huc ad hoc venimus, ut feriamur*, scilicet configurati Christo, qui *positus est in signum, cui contradicetur*, scopus omnium sagittarum, & persecutionum hujus sæculi. Sicut autem datur ut signum certissimum prædestinationis societas passionum Christi ex Paulo ad 2. Cor. 1. *scientes quod sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis: cum contrariorum eadem sit disciplina.* 1. Top. cap. 8. utique sejunctio à passionibus Christi erit signum certissimum reprobationis: & sic dici potest iis, qui sunt tribulationis expertes, *scientes*, signo pene infallibili, & scientifico, *quod sicut socij passionum non estis, sic nec eritis & consolationis.* Hæc quoad primam rationem desumptam ex difformitate ad Christum.

Thren. 3. *Hieronym.*

2. Cor. 1.

Aristot.

Electorum peccata puniri solent in hac vita.

Secunda ratio. Nullum peccatum remanere potest impunitum: cum proprietas culpæ sit debitum pœnæ. Ergo omne peccatum debet puniri. Vel igitur in hac vita, vel in futura. Sed peccata eorum, qui prosperantur in hac vita, non puniuntur in hac vita. Quia punitio fit per pœnas, quæ adversantur naturæ; non per prosperitates, quæ obsecundant. Ergo peccata eorum, qui prosperantur in hac vita, remanent punienda in altera. Quod autem hæc punitio non debet esse temporalis in purgatorio, sed æterna in inferno, conjectare licet ex eo quod peccatorum, quæ patrant electi, pœnas inchoare solet Deus in hac vita. Tum, ut iis pœna sit simul, & satisfactoria, & meritoria: cum pœna purgatorij sit tantùm satisfactoria. Tum etiam quia, si ij, qui sunt ex electis pœnè innocentes, adhuc in hac vita à Deo affliguntur, ut probentur: multò magis ij, qui sunt ex electis peccatores, in hac vita affliguntur ut purgentur. Et si aurum lucens adhuc in fornace ardet, ut magis luceat: aurum terræ sordibus admixtum in fornace ardebit, ut simpliciter luceat. Ideo dicitur ex persona justi Thren. 3. *tantùm in me vertit, & convertit manum suam tota die:* quasi artifex, qui opus suum poliat, & perficiat: Ideo Paschasius in hunc locum id applicans electis omnibus: *vertit*, inquit, *Deus manum suam tota die super membra eius; ut ea excruciet, emendet, & corrigat in præsentiarum, dum vivimus: & convertit parcendo, & anxiliando in futuro.*

Thren. 3. *Paschas.*

Tribulationibus Deus polit opera sua tanquã artifex.

Confirmatur primò. Quia sicut Deus, ne reproborum bona opera immunerata remaneant, largiri iis solet prosperitates hujus vitæ, ne

remaneant,

emaneant, punire eos solet adversitatibus hujus vitæ, ne puniat in futura. Audiamus hoc à Gregorio lib. 16. moral. cap. 10. *nostrum est*, inquit, *hæc flagella percipere, quibus salvator de æternitate gaudet.* Et infra. *Eant ergo nunc reprobi, & voluptatum suarum desideria multa in iniquitate consumment: atque eò temporalia flagella non sentiant, quò æterna eos supplicia spectant.* Hinc fit, ut plerumque electi prosperitates metuant, timendo ne præmia bonorum operum recipiant in vita, non recepturi in futura. Quod extremis hisce temporibus in Cardinali Bellarmino vidimus: qui evectus ad purpuram, ploraſſe dicitur timens, ne Deus ea dignitate præmiare vellet, ejus pro Ecclesia susceptos labores, in hac vita, non remuneraturus in futura. Idem sentiens evectus ad summum Pontificatus apicem magnus Gregorius proœm. in Psal. 50. *admonemur*, inquit, *prospera mundi metuere: & contra omnem seculi felicitatem acrius vigilare*; quasi excubias agendo contra hostem.

Gregor.

Prosperitates metuendæ.

Gregor.

Confirmatur secundò, quia pertinet ad justitiam divinam, ut res humanæ æqua lance librentur: atque adeo, ut qui tribulatur in hac vita, prosperetur in altera: & qui prosperatur in hac vita, tribuletur in altera. Statuta est à Deo hæc alterna mutatio, ut diei prosperitatis in præsenti vita succedat nox adversitatis in altera: & è converso nocti adversitatis succedat dies prosperitatis. Ideo dicebat Iob. c. 17. *rursus post tenebras spero lucem.* Decretum est à Deo risui fletus succedat, fletui risus: gaudio luctus, luctui gaudium. Quamobrem Gregorius loco cit. *admonemur*, inquit, *prospera mundi metuere. Namque præsentia gaudia sequuntur perpetua lamenta. Sicut enim per fletum ad gaudia ducimur: ita per gaudia pervenitur ad fletum.* Ergo gaudium præsens signum est fletus futuri; & fletus præsens futuri gaudij. Sicut si numismatis una facies insculptos haberet flores, adversa spinas, ex una facie conjecturare liceret alteram: ut si facies oculis obversaretur amœna floribus, in conversione numismatis facies succederet horrescens spinis, & è converso. Idcirco epuloni dicitur. Lucæ 16. *recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala, nunc hic consolatur: tu verò cruciaris:* conversa scilicet numismatis facie, è spinea in floream, è florea in spineam. Quod expendens Hilarius in Psal. 122. *fit*, inquit, *alterna conversio: & demutatur risus in mœrorem, & mœror in gaudium.* Unde sequitur ab iis, qui prosperitatibus inhiantes adversa fugiunt in hac vita, tribulationes non evadi, sed mutari. Quod advertens Bernardus in declam. ad verba Petri, *Ecce nos reliquimus omnia*, &c. *Quid tantopere*, inquit, *præsentem fugitis iram, flagellum timetis, virgam declinatis? An negatis quod non effugitis pœnitentiam sed mutatis? extremæ plena dementiæ commutatio, humanum declinat laborem, & paratum diabolo stridorem eligere sempiternum.* Idcirco electi exclamare

Statuta est à Deo alterna mutatio prosperitatum in pœnas, & è contra.

Iob. 17.

Gregor.

CLXXI. Prosperitas est una facies numismatis, altera tribulatio.

Luc. 16.

Hilar.

Bernard. Peccatores non effugiunt Dei flagellum, sed mutãt.

Bernard. sæpe solent cum Bernardo ibid. *hic ure, hic crucia, ut in æternum parcas:* nunc urere est parcere: nunc parcere est urere.

E Paradiso in Paradisum transferri; prærogativa est status innocentiæ. *Genes.* 3.

Ratio hujus est; quia erat solius status innocentiæ prærogativa, ut homo è Paradiso terrestri transferretur ad cælestem. Et sic Paradiso succederet Paradisus. Postquam verò ex Genes. 3. *emisit Dominus Deus eum* (hominem) *è paradiso voluptatis*, denegavit illi Paradisum in præsenti vita, reservans ei eumdem in futura: neque patitur hominem jam depulsum à Paradiso alium hic sibi condere Paradisum. Quæ est animadversio Bernardi loco citato ubi, cum dixisset totam causam damnationis in epulone fuisse delicias hujus vitæ, *neque enim*, inquit, *ad hoc nos de Paradiso voluptatis animadversio divina eiecisse videtur, ut alterum sibi hîc Paradisum adinventio humana pararet.* Unde infertur eos, qui sibi in prosperitatibus hujus seculi construunt Paradisum in hac vita, signum habere certissimum, se non fruituros Paradiso in futura.

Bernard. Homo eiectus è Paradiso non potest hoc sibi suum construere Paradisum. *Genes.* 13. *Rupertus.*

De regione Sodomæ habetur Genes. 13. *universa irrigabatur sicut Paradisus Domini.* Et Rupertus Abbas lib. 6. in Gen. appellat *arua Paradisæa.* Ideo super eam *pluit Dominus sulphur, & ignem de cœlo.* Genes. 13. quia Paradisus deliciarum in hac vita magnes est ignis, & sulphuris infernalis. Non vocat mysterio id, quod dicitur *sulphur, & ignem pluisse de cælo.* Poterat quippe ructari sulphur, & ignis ex infernis terræ partibus: ut accidit in eructationibus igneis Vesuvij, & Æthnæ, quæ inferni ora dicuntur ab Abulensi. In illa verò dicta à Ruperto *arva Paradisæa* non erupit ex partibus terræ infernis; sed *pluit sulphur, & ignis de cœlo:* & iis, qui sibi terram per delicias verterat in Paradisum, ipsummet cælum per supplicia vertitur in infernum. Neque enim, ut dictum est è Bernardo, *homo eiectus est de Paradiso, ut alium sibi hîc Paradisum adinventio humana pararet.* Unde est celebre illud Augustini effatum in epist. *difficile est, immo impossibile ut quis à delicijs ad delicias transeat: ut in terra, & in cælo appareat glorioſus.* Hæc pro secunda ratione ducta à punitione peccatorum inchoanda in hac vita.

Vesuvius, & Æthna fauces inferni. *Abulensis.* *Rupertus.* Cur in Sodomitas pluerit ignis è cælo. *August.*

Tertia ratio. Omne id, quod est medium ad vitia, est medium ad reprobationem. Sed prosperitas temporalis est medium ad vitia. Ergo est medium ad reprobationem. Ergo est ejusdem etiam signum: cum omne medium sit signum, & causa sui finis. Major patet, quia ad finem reprobationis devenitur per vitia. Minor probatur: quia, sicut *tribulatio est mater omnium virtutum*, ut ait Chrysostomus homil. 1. in Psal. 50. ita prosperitas, tribulationi opposita, est mater omnium vitiorum. Quamobrem Psal. 72. cum enumerasset Propheta prosperitates impiorum, *in labore hominum non sunt, cum hominibus non flagellabuntur*, statim subdit, *ideo tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate, & impietate sua.* Notanda est illa causalis, *cum ho-*

Chrysost. Psal. 72 Tribulatio mater virtutum, prosperitas vitiorum.

minibus non flagellantur ; ideo operti sunt iniquitate. Perinde ac si diceret ; quia prosperantur , ideo pleni sunt vitiis , ut sint iis veluti cooperti : ita ut nihil in eis humani appareat , sed toti sint vitia.

Ratio à priori est;quia prosperitas consistit in tribus , in delitiis, in divitiis , in honoribus. Vitia etiam reducuntur ad tria : quæ sunt *concupiscentia carnis,concupiscentia oculorum,& superbia vitæ.* 1. Ioan. 2. Per delicias, nutritur *concupiscentia carnis* : per divitias , *concupiscentia oculorum :* per honores , *superbia vitæ.* Sequitur. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum* ; ideſt, ut explicat Hugo Card.prodiit *ex abundantia* , utique rerum temporalium. *Transierunt in affectum cordis :* quia videndo se prosperari in peccatis , jam benè afficiuntur erga peccata. *Cogitaverunt , & loquuti sunt nequitiam.* Quippe iis , qui reperiuntur in statu humili , & afflicto, si quando *cogitant nequitiam* , non audent loqui. Hi autem , qui prosperantur, *cogitaverunt , & loquuti sunt nequitiam* jactantes etiam opera mala: & juxta Isaiam cap.3. *peccatum suum sicut Sodoma prædicantes.* Hi sunt effectus prosperitatum : ad quos consequitur damnatio. Ideo subdit infra , *propter dolos posuisti eis : dejecisti eos , dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem ?* &c. Similitudinem sumere videtur ab iis,qui dolosè foveam obtegunt : ut in eam incauti decidant. Quod indicatur etiam Psalm. 91. *donec fodiatur peccatori fovea* , in quæ verba Augustinus *felicitas* , inquit , *peccatorum,fovea ipsorum est.* Prosperitates igitur Deus *propter dolos posuit eis* , ideſt reprobis : fodiendo scilicet iis in humana felicitate foveam,prosperitatibus quasi tapetibus pictis contectam , & respersam floribus. Fodit autem Deus reprobis in prosperitate foveam , præbendo illis ex ea occasiones,& materiam peccandi:non tamen ex hoc intento , ut peccent , & quia fovea hæc non advertitur;sed sub prosperitatibus,quasi sub integumento pulcherrimo delitescit,ideo dicitur, *propter dolos posuisti eis.* Vbi citatur in hoc Chrysologus l. 1. de nugis curialium,*noverca,*inquit,*virtutis prosperitas bajulis suis sic applaudit, ut noceat, & infelici successu sic fortunatis obsequitur , ut in fine perniciem operetur.*

1. *Ioan.* 2.

Hug. Card.

Isaiæ 3.

Felicitas fovea dolosè obtecta.

Psal. 91.

Augustin.

Chrysolog.

Sequitur , *dejecisti eos , dum allevarentur.* In quo videtur alludere ad rotam : quam fortunæ tribuunt. In cujus assiduo roratu , qui in suprema parte consident , statim ad infimam dejiciuntur : revolutis infimis ad supremam. Quamobrem Boëtius de consol.lib.2.prosa 1. *Rotam,* inquit , *volubili orbe versamus , infima summis , summa infimis mutantes.* Et hoc est,quod dicit Propheta , *dejecisti eos , dum allevarentur.* Ideo ruinæ spiritualis signum esse solet fortunæ sublimitas;ex occasionibus,quas tribuit dilabendi in peccata:& sic ruendi è summo rotæ apice ad tartara. Ideo Christus , qui crucem ultro appetiit, regium honorem recusavit. Quippe, *cum cognovisset , quia*

Fortunæ rota dejectos allevat , sublimes dejicit.

Boëtius. CLXXII.

Ioan. 6. *venturi essent ut facerent eum regem, fugit in montem:* Ioan. 6. ut doceret suos electos mundi honores non ambire, sed fugere tanquam fomenta vitiorum. Quod advertens Gregorius 2. p. Pastor. c. 3. *Christus,* inquit, *exemplum se sequentibus præbens Rex fieri noluit: ad crucis verò patibulum sponte pervenit: ut membra ejus dicerent favores mundi fugere, terrores non timere: pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare, quia & ista sæpe per tumorem cor inquinant: illa per dolorem purgant. In istis homo obliviscitur: in illis verò ad sui memoriam revocatur. In istis sæpe antè acta bona depereunt: in illis autem longi quoque temporis admissa teguntur.*

Gregorius. Christus regnum fugit crucem appetiit.

Prosperitatis mala, tribulationis bona.

Confirmatur primò, quia prosperitas abstrahit animum à rebus supernaturalibus, & spiritualibus, quæ non videntur: & attrahit ad sensibilia, in quibus appetitus sensitivus per prosperitates requiem invenit. Ergo contrariatur virtutibus, quæ versantur circa honestum remotum à sensibus: & fert secum vitia, quæ versantur circa sensibilia. Vnde etiam fit, ut mens bonis intenta temporalibus obscuretur circa æterna. Quod advertens Chrysologus c. 1. de nugis curial. *Prosperitas,* inquit, *quò specie sui clarescit amplius, eò stupentibus oculis densiorem infundit caliginem.*

Chrysolog.

Peccati venenum sub prosperitatum dulcedine sorbetur faciliùs.

Confirmatur secundò, quia venenum peccati faciliùs sorbetur sub dulcedine prosperitatis, quàm sub amaritudine tribulationis, cui permixta amaritudo peccati statim sentitur, & rejicitur. Ideo idem Chrysologus ibid. *prosperitas,* inquit, *convivis suis ab initio propinat dulcia: & cum inebriati fuerint, lethale virus admiscet.* Hoc fortasse significat illud, quod vocant Fenellæ pomum gemmeum, quod suo fulgore spectantes attrahens ad capiendum, eo artificio erat confectum, ut emissis illico jaculis, tangentes confoderet: de quo Cardanus lib. 12. c. 56. Felicitatis humanæ symbolum. Quæ videtur, ementito fulgore, pomum gemmeum: sed eos, à quibus tenetur, lethalibus peccatis, quasi jaculis, conficit. Quod expendens Boëtius lib. 2. de consolat. prosa 8. *plus reor,* inquit, *hominibus adversam quàm prosperam prodesse fortunam. Hæc enim semper specie felicitatis, cum videtur blanda, mentitur: illa semper vera est, cum se instabilem mutatione demonstrat. Hæc fallit: illa instruit. Hæc fruentium mentes ligat: illa cognitione fragilis felicitatis absolvit.*

Prosperitas pomum gemmeum Fenellæ, ex quo jacula. Cardanus. Boëtius.

Prosperitas materiam præbet luxuriæ. Lactant.

Confirmatur tertiò, quia prosperitas tum in viribus, & bona valetudine corporis, tum in abundantia rerum, præbet materiam specialem luxuriæ: ex qua vitia omnia, & damnatio. Quod expressè tradens Lactantius de div. institut. lib. 2. cap. 2. *ex rerum,* inquit, *prosperitate luxuria: ex luxuria verò vitia omnia.* Hoc patet in Sodomitis: quorum reprobationis causas testatur Ezechiel cap. 16. ubi *hæc,* inquit, *fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium.* Vtique Deus Sodomitas delevit ob peccatum

Peccatum Sodomæ Saturitas. Ezechiel. 16.

nefandum : quod ab iis appellationem accepit,& tamen dicitur *iniquitas Sodomæ superbia, saturitas panis,& abundantia,& otium.* Nempe causaliter: quia hæc temporalium rerum copia , regionisque felicitas causa fuit abominandæ luxuriæ. Quod adnotans in historiis Orosius,*huic,* inquit , *universæ regioni bonis malè utenti rerum abundantia causa malorum fuit. Ex abundantia enim, luxuria: ex luxuria fœdæ libidines adolevere.* Oroſius.

Idem videre est in Davide. Qui persequente eum Saüle, ærumnis undique exagitatus, cum *eo tempore , quo solent reges ad bella procedere , remansisset in Ierusalem* 2.Reg. 11. cumque prosperè cuncta succederent : in infame adulterium lapsus est, quod turpioris etiam homicidii causa fuit. Notanda est morum diversitas in adversa , & secunda fortuna. Quippe quæsitus ad necem injustè à Saüle , cum eum in quadam spelunca impunè posset occidere , noluit : sed *præcidit oram chlamydis Saül : & percussit cor suum David eò quòd abscidisset oram chlamidis Saül* 1. Reg. 24. In adversa fortuna religioni sibi duxit, quod particulam vestimenti abscidisset : in secunda fortuna , nullo scrupulo, Uriam occidendum curavit. Tunc hostem , & noxium persecutorem sui occidere noluit. Postea amicum , innoxium , de se optimè meritum interfecit. Ita illi prosperitas otium , otium luxuriam, luxuria homicidium peperit. Quod observans Gregorius 1.part.past.c.3.*David,* inquit, *auctoris sui judicio penè in cunctis actibus placens , mox ut pressuræ* (tribulationis) *pondere caruit, factus est in morte Uriæ crudeliter rigidus , qui in appetitu fœminæ fuit enerviter fluxus: & qui malis antea noverat piè parcere, in bonorum quoque nece postea didicit sine obstaculo retractationis anhelare. Priùs ferire deprehensum persecutorem noluit : & postea , cum damno desudantis exercitus, etiam devotum militem extinxit.* Ex hoc videre licet, quantùm nutriat virtutes adversitas , quantùm incitet ad peccata prosperitas. Davidi prosperitas , & otium peperit adulterium. *Act.* 13. 2.*Reg.* 11. David mitis in adversa fortuna, sævus in prospera. 1.*Reg.* 24. *Gregor.*

Denique hoc discrimen prosperæ, adversæque fortunæ clarè conspicitur in Adamo, & in Iob. Ille enim statim à Diabolo est victus , qui illum agressus est per uxorem. Hic verò , cum *percussus ulcere pessimo sederet in sterquilinio* , Iob 2. tentanti eum Diabolo per uxorem non cessit: sed incredibili patientia se gerens, victor evasit. Utrûque Diabolus aggressus est per uxorem. Adamum aggressus est in statu innocentiæ ; Iob in statu naturæ corruptæ. Illum à Deo immediatè creatum, & ornatum justitia originali: hunc è parentibus ethnicis natum, & inter ethnicos educatum. Tamen diabolus de Adamo victoriam reportavit ; à Iob fuit turpiter victus. Nimirum fuit Adami victor inter delicias; à Iob victus inter supplicia. Adami victor inter prosperitates: à Iob victus inter ærumnas. Adam victus in Paradiso; Iob victor in stercore. Est animadversio Gregorii lib.3.moral. cap.6. Adami , & Iob in tentatione collatio. *Iob* 2. Adã victus in paradiso Iob victor in stercore. *Gregorius.*

ubi nuncupans Iob novi Adami appellatione, *antiquus*, inquit, *hosti ad Adam in sterquilinio victoriam perdidit : qui Adam in Paradiso superavit.* Nempe, ut subdit in fine capitis, *Adam noster fortis in sterquilinio jacuit, qui in Paradiso quondam debilis stetit.* In hoc etiam observandum, ab amicis Iob illum existimatum esse culpis obnoxium, eò quòd viderent pœnis undique flagellatum, ut patet Iob c.4. Sed à Deo fuerunt increpati tanquam *non loquuti rectum* Iob c.42. quia, sicut præsentis vitæ prosperitas non arguit innocentiam : ita neque adversitas culpam. Quod observans idem Gregorius lib. 15. Moral. c.24. *amici*, inquit, *Iob idcirco eum injustum esse crediderunt, quia flagellatum viderunt. Sed præsentis vitæ prosperitas innocentia testis non est : quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt. Et plerique ad infinita supplicia perducendi, absque flagello moriuntur.* Sicut igitur flagella innocentiam vel indicant, vel operantur : ita prosperitas, & præteritorum peccatorum supplicium est, & causa novorum.

CLXXIII. *Iob.4.* *Iob.42.* *Gregorius.* Iob ex flagellis peccator esse arguitur ab amicis ; sed stultè.

Confirmatur quartò ; quia continuata prosperitas non solùm est causa peccati, sed etiam perseverantiæ in peccato : quam immediatè sequitur damnatio. Qui enim in dignitatibus, & prosperitate versantur, neque monitores habent externos ad corrigenda vitia : cum plerique ex iis adulationi studeant : neque à Deo monentur internè : cum hæc admonitio fieri à Deo soleat per tribulationes. Ideo dicitur Tren. 1. *misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.* De iis dicitur Psalm. 9. *laudatur peccator in desideriis animæ suæ : & iniquus benedicitur.* Ideo Augustinus in hunc Psal. *nemo*, inquit, *gratuletur homini, qui prosperatur in vita sua : cujus peccatis deest ultor, & adest laudator. Major hæc ira Dei est. Irritavit enim Dominum peccator, ut ista patiatur : ideest, ut correctionis flagella non patiatur.* Ex persona ejus, qui prosperatur, & peccat dicitur Eccles. 5. *peccavi & quid accidit mihi triste ?* ex hoc quippe incorrectus usque ad finem vitæ cum peccatis perducitur. Ideo Paulinus epist. 18. ad Delphinum *qui prosperatur*, inquit, *in vita sua & viribus confisus sanitatis inultus dicit peccavi : & quid mihi accidit male ? non audeat sibi de corporea felicitate blandiri.* Quippe quò diutius expectatur in præsenti vitâ cum impunitate peccati, eò severioris judicii habet manifestissimum argumentum. Ideo dicitur Psalm. 2. *Dominus irridebit eum : quoniam prospicit, quod veniet dies ejus.* Nempe, ut ait Gregorius homil. 13. in Evangel. *tantò districtiorem justitiam in judicio exiget ; quantò longiorem patientiam ante judicium prorogavit.* De his usque ad finem vitæ prosperè agentibus dicitur Iob 27. *ducunt in bonis dies suos : & in puncto ad inferna descendunt.* Nimirum *ducere dies suos in bonis*, est proximus, & ultimus gradus ad barathrum.

c Prosperitas causa impœnitentiæ. *Thren.* *Augustin.* Peccatori, dum prosperatur, deest ultor, & adest laudator. *Paulinus.* *Psal.2.* *Gregor.* Patientia Dei diutur nior, majus est reproba. tionis indicium. *Iob. 27.*

E quibus omnibus certè concluditur prosperitates hujus vitæ, magnum reprobationis esse argumentum: sicut tribulationes ferè certa prædestinationis sunt pignora. E quibus, si quis eximi se posse existimet, & salvari, audiat Augustinum in Psal.37.in ea verba *quoniam ego in flagella paratus sum*, ubi: *non vis*, inquit, *flagellari? non tibi datur hæreditas. Omnis enim filius necesse est ut flagelletur. Vsque adeo omnis flagellatur; ut nec illi pepercerit, qui peccatum non habet. Quoniam ego in flagella paratus sum.* Quod autem hæc immunitas à flagellis reprobationis sit signum, agnovit, quod valde admirabile est, apertissimè Seneca qui lib.de provid. *nihil*, inquit, *infelicius eo, cui nihil accidit adversi: quia malè iudicaverunt Dij de ipso.* Quamobrem sicut tribulati pro Christo appellantur ab Augustino in Psalm.127.*feliciter infelices.* Ita hi jure appellari possunt infeliciter felices: quorum est ementita; & ut ait idem Seneca epist. 115.veluti *bracteata felicitas.* Certè Deus imperia, & monarchias ipsas orbis terrarum concessit scelestissimis hominum. Nempe, ut cæteros sileam, Iulio Cæsari,quo nullus ad evertendam patriam seditiosior;Tiberio,quo nullus mendacior; Caligulæ, quo nullus superbior;Claudio,quo nullus ignavior;Neroni,quo nullus crudelior, Heliogabalo, quo nullus lascivior; Diocletiano, & Maximiano, quibus nullus in Christianos atrocior,monstris ac portentis generis humani. Apostoli verò,aliique Deo amicissimi inter ærumnas vitam duxere, ut ait Paulus ad Hebr.11. *egentes, angustiati, afflicti.* Illis scilicet flagitiosis, & reprobis prosperitates hujus mundi datæ sunt, tanquam summa supplicia. His verò justis, & electis tribulationes datæ sunt tanquam maxima beneficia. Mirum *multæ tribulationes iustorum* Psal.33.& ut ibidem notat Augustinus, *iniusti pauciores habent tribulationes: si iusti sunt, multas habent. Sed post paucas tribulationes, aut nullas, illi venient ad tribulationem sempiternam:unde nunquam eruentur. Iusti autem post multas tribulationes venient ad pacem sempiternam; ubi nunquam mali aliquid patientur.* Cum igitur multæ tribulationes prædestinationis sint pignora; paucæ, aut nullæ reprobationis sint signa, in iis utique gaudendum, in his dolendum. Ideo Petrus Damianus lib. 6. epist. 31. *servus*, inquit, *Dei timere tunc debet, cum temporale quid percipit: tunc gaudere, cum perdit.*

Augusti. Prosperè agentes excluduntur à regno Dei.

Seneca.

Prosperè agentes infeliciter felices.

Augusti.

Seneca.

Felicitas huius seculi bracteata.

Imperia scelestissimis concessa.

ad Hebr.11.

Augusti.

In prosperitatibus dolendū.

Petr.Dam.

CAPUT IX.

Quintum prædestinationis signum, Humilitas; reprobationis, superbia.

CLXXIV. Dico nonò. Humilitas prædestinationis signum est; reprobationis, superbia. Probatur primò è Scripturis; in quibus, humilibus promittuntur tum media prædestinationis, tum ipse finis: superbis denegantur.

Humilibus promittitur specialis Dei providentia. *Isaiæ 66. Psal. 37. August.*

Primò promittitur humilibus specialis Dei providentia, quæ maximè consistit in dispositione mediorum. Is. 66. *ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Quæ omnia humilitatem insinuant. Item Psalm. 37. *Excelsus Dominus, & humilia respicit: & alta à longè cognoscit.* Quod expendens Augustinus serm. 1. de necessit. pœnitent. tomo 10. *Excelsus*, inquit, *Dominus, & humilia respicit: & excelsa à longè cognoscit. Excelsa poscit pro superbis. Illa respicit, ut attollat: ista cognoscit, ut deprimat.*

Humilibus promittitur Dei custodia. *Psal. 114. Glossa.*

Secundò promittitur humilibus Dei custodia. Psal. 114. *custodiens parvulos Dominus.* In quem locum Glossa, *parvulos*, inquit, *id est humiles corde: qui soli participant redemptionem Christi.*

Liberatio à tentationibus.

Tertiò promittitur liberatio à tentationibus, Psal. eod. *Humiliatus sum, & liberavit me.* Quod declarans Lyranus, *Proprium*, inquit, *est Deitatis succurrere in casibus desperatis. Parvuli autem defendere se non possunt à potentibus.*

Exauditio in precibus. *Iudith. 9. Eccles. 35.*

Quartò promittitur exauditio. Iudith. 9. *Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Eccles. 35. *Oratio humiliantis se penetrat nubes.* Quia scilicet, sicut Eliæ currus, ita orationi ut ascendat, humilitas est pro vehiculo. Ideo Chrysostomus in illud Psalm. 9 *non est oblitus clamorem pauperum, orationis*, inquit, *vehiculum est humilitas.*

Humilitas orationi est pro vehiculo. *Chrysost. 2. Cor. 7. Glossa.*

Quintò promittitur consolatio. 2. ad Cor. 7. *Qui consolatur humiles.* Quia proprium est misericordiæ divinæ consolari afflictos: plerumque autem humiles in afflictione versantur. Ideo Glossa *consolatur*, inquit, *humiles id est afflictos.*

Prov. 9.

Sextò promittitur facilis accessus ad Christum. Prov. 9. *si quis est parvulus, veniat ad me.* Quia scilicet per humilitatem assimilamur Christo: qui, cum esset in se magnus, ad exhibendam humilitatem factus est parvus. Quamobrem Gregor. lib. 34. mor. cap. 18. *quanta*, inquit, *humilitatis est virtus: propter quam solam veraciter edocendam*

Gregor.

Christus ob-

dam is, qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus.

Septimò promittitur revelatio mysteriorum Dei. Matt. 11. *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus: & revelasti ea parvulis.* Quippe, ut Glossa in Lucæ 12. *scientia clavis humilitas Christi: quam, qui habent, scripturas intelligunt,* immo ut Augustinus serm. 8. de Epiph. *tota, & vera Christiana sapientia disciplina in vera, & voluntaria humilitate consistit.*

solam humilitatem edocendam incarnatus, & passus. *Matth. 11. Glossa. August.*

Octavò promittitur exaltatio Lucæ. 14. *qui se humiliat, exaltabitur.* Quod expendens idem Augustinus serm. 16. de martyr. *Altitudinem,* inquit, *quæritis? per vallem pervenitur ad montem. Sedem quæritis claritatis? prius bibite calicem humilitatis.*

Lucæ 14. August.

Gratia crescit juxta mensuram humilitatis *2. Iacobi 4. 1. Petri 5. Fulgent.*

Nonò promittitur gratia. 2. Iacob. 4. & 1. Petr. 5. *Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam.* Ideo Fulgent. epist. 6. c. 9. *tantò magis,* inquit, *in te cognosces gratiam Dei crescere: quantò magis tibi humilitatem cordis videris abundare.*

Psalm. 33. Psal. 17. Matth. 5. August. Matth. 18.

Decimò promittitur salus, beatitudo, majoritas in regno cælorum. Psalm. 33. *Humiles spiritu salvabit.* Psal. 17. *tu populum humilem salvum facies.* Matth. 5. *beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Per pauperes autem spiritu intelliguntur, ut exponit Augustinus lib. 1. de serm. Dom. in monte, *humiles, non habentes inflantem spiritum.*

Franciscо humili sedes altissima. *S. Bonav.*

Denique Matth. 18. *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum.* Idcirco *sedes altissima visa est inter Seraphim: dictumque, hæc sedes humili servatur Francisco:* ut refert S. Bonaventura in ejus vita cap. 6.

Superbis Dei specialis custodia denegatur. *Psal. 73. August.*

Contra verò hæc in Scripturis promittuntur humilibus, denegari dicuntur superbis. Quippe denegatur iis providentia, & custodia Dei specialis. Ideo dicitur Psal. 73. *alta à longè cognoscit.* Quod expendens Augustinus serm. 2. de Ascens. *Videte,* inquit, *fratres magnum miraculum. Altus est Deus: erigis te, & fugit à te: humilias te, & descendit ad te.* Denegatur plerumque liberatio à tentationibus, consolatio, vocatio efficax, gratia efficax. Ideo dicitur 2. Iacob. 4. *Deus superbis resistit. Humilibus autem dat gratiam:* quia, ut notat Bernadus serm. 27. de verb. Dom. *confluit aqua ad humilitatem vallis: denatat de tumoribus collis.* Expendenda sunt illa verba, *Deus superbis resistit.* Idcirco Isidor. lib. 1. epistol. 164. *Considera,* inquit, *quantum est Deum hostem, & adversarium habere: & veterem hostem socium.* Denegatur exaltatio. Lucæ 18. *qui se exaltat, humiliabitur.* Psalm. 17. *oculos superborum humiliabis.* Proverb. 29. *superbum sequitur humilitas: & humilem spiritu suscipiet gloria:* Prov. 15. *antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur.* Quamobrem interrogatus quidam sapiens

Denegatur plerumque gratia efficax. *Bernard.*

Gratia aqua confluens ad valles. *Isidorus.*

Superbis Deus hostis, dæmon socius. *Lucæ 18. Psalm. 17. Prov. 29. Prov. 15.*

Dei fere tota occupatio in exaltatione humilium, depressione celsorum. *Herodot. Iudith. Bernard.*

à Ptolomeo Philadelpho Ægypti Rege, quid faciendum esset cupienti vitare superbiam, respondit, *cogitare quòd Deus superbos deprimit, humiles exaltat.* Æsopus rogatus à Chilone, quidnam Deus agat, ita respondit, *humilia exaltat: alta humiliat.* Artabanus, ut Xerxem à consilio invadendi Græcorum imperium revocaret, dixit *à Deo turres, montesque fulmine impeti: valles, atque ima servari.* Ita refert Herodotus lib. 7. Denegatur acceptatio orationis. Iudith. cap. 9. *nec superbi ab initio placuerunt tibi: sed humilium, & mansuetorum semper placuit deprecatio.* Ideo Bernardus homil. 1. super Missus est. *Audeo*, inquit, *dicere sine humilitate nec Virginitas Mariæ Deo placuisset.* Denegatur claritas, & notitia mysteriorum Dei. Matth. 11. *abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus*, idest ab iis, qui tales sunt apud seipsos. Ideo Gregorius lib. 34. mor. c. 17. *qui*, inquit, *nec dum semetipsum despicit, humilem Dei sapientiam non apprehendit.* Denegatur denique salus, beatitudo, introitus ad regnum cœlorum. Matth. 18. *nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Cum enim scriptum sit. Matth. 7. *intrate per angustam portam:* hæc, quæ parvos, & humiles capit; tumidos, & elatos non capit. Ideo excluſus à regno cœlorum Pharisæus ille Evangelicus, qui dicebat *non sum sicut cæteri hominum*; & Lucæ 8. introductus verò fuit humilis publicanus, qui *non audebat oculos neque ad cœlum levare*, quia ut notat S. Paulinus epist. ad Severum *non poterat eo recipi lata jactantia, quo se humilitas angusta collegit: & angustia angustior contriti cordis exilitate penetravit.* Hæc è Scripturis, & Patribus.

Matth. 18. Angusta cœli porta superbos non capit. *Matth.* 7. *Luca* 8. Publicani humilitas cœlum penetravit. *Paulinus.*

CLXXV. Humilitas quid sit. *Bernard.*

Probatur idem secundò ratione. Prima ratio, quia *humilitas est virtus, qua quis ex verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit*, ut docet Bernardus tract. de grad. humil. Ergo ex humilitate per cognitionem propriæ vilitatis oritur contemptus sui: ex contemptu sui odium sui, in eo quod contradicit Deo, cui humilis practicè cognoscit se infinitè subesse. Ex odio sui extirpatio amoris proprii: ex sublatione hujus pullulat amor Dei. Contra verò superbia consistit in nimia æstimatione sui: ex qua oritur inordinatus amor sui. Amor autem Dei, & amor sui sunt characteres prædestinatorum, & reproborum, quia juxta Augustinum in Psal. 64. *duo amores fecerunt sibi duas civitates: Hierusalem, & Babylonem.*

Amor Dei prædestinatorum character: amor sui, reproborũ. *Augustinus.*

Confirmatur primò, quia *initium omnis peccati est superbia.* Eccl. 10. eo quòd omne peccatum oriatur ex inordinata æstimatione, & amore; per quem præfertur voluntas propria voluntati Dei. Ideo S. Prosper lib. 3. de vita contempl. cap. 3. *nullum*, inquit, *peccatum fieri potest sine superbia. Siquidem nihil aliud est omne peccatum nisi contemptus Dei.* Aliam rationem insinuat Gregorius lib. 34. mor. cap. 18. *quia alia vitia eas solummodò virtutes impetunt, quibus*

Eccles. 10. Superbia in quo sensu initium omnis peccati. *Prosper. Gregorius.*

ipsa destruuntur, ut videlicet ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnant. Superbia autem nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit: & quasi generalissimè pestifer morbus corpus omne corrumpit. Superbia virtutibus omnibus adversatur. Rationem hujus subdit, quia per superbiam virtutes ipsæ evadunt vitia: *& quidquid illa invadente agitur, etiamsi esse virtus ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ servatur.* Ideo, ut ibidem addit, *interna superbia, quæ sæpe obtentu fictarum virtutum tegitur, tandem in aperta vitia erumpit: quia superbia vitiorum est radix. Sicut enim inferiùs radix tegitur; sed ab illa rami extrinsecùs expanduntur; ita se superbia intrinsecùs cælat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant.* Si igitur superbia radix est omnis peccati, humilitas illi opposita eradicat principium omnis peccati: & sic tollit principium deviativum à fine prædestinationis. Ergo humilitas signum est prædestinationis tanquam removens prohibens: sicut superbia est signum reprobationis tanquam *principium omnis peccati:* quod medium est unicum reprobationis. Humilitas eradicat omne peccatum.

Confirmatur secundò, quia ex eo quòd humilitas eradicat principium omnis peccati, sequitur quod sit principium omnium virtutum: quæ constituuntur per oppositionem ad peccata. Et hoc est quod dicunt humilitatem esse fundamentum perfectionis ac totius ædificij spiritualis. Quamobrem Basilius in admon. ad filium spir. *soli*, inquit, *præ omnibus humilitati stude: quod est omni virtute sublimius, ut ad perfectionis fastigium possis ascendere.* Bernardus de consid. lib. 5. *virtutum*, inquit, *stabile fundamentum est humilitas. Nempe, si nutet illa, virtutum aggregatio nonnisi ruina est.* Hugo Victor. de claustr. anim. cap. 3. *In spirituali*, inquit, *ædificio fundamenti locus in imo, idest in humilitate quæritur.* Augustinus sermon. 10. de Verb. Dom. *Magnus*, inquit, *esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento priùs cogita humilitatis, & quantò quisque vult, & disponit superiùs ponere molem ædificij; quantò erit maius ædificium: tantò altius fodit fundamentum.* Cum igitur ædificium spirituale prædestinatorum perventurum sit ad fastigium celsissimum supremæ felicitatis, debet utique incipere à fundamento profundissimo summæ humilitatis. Ideo idem Augustinus. *Quod est*, inquit, *fastigium construendæ fabricæ, quam molimur? quò perventurum est cacumen ædificij? citò dico: usque ad conspectum Dei. Videtis quàm excelsum est, quanta res est conspicere Deum.* Quamobrem sicut ex fundamento habetur signum ædificij: & quantò fundamentum est profundius, tantò magis signum est ædificij altioris: ita ex humilitate signũ habetur ædificij spiritualis per prædestinationem complendi: & quantò profundior erit humilitas, tantò majus signum erit prædestinationis ad gradum gloriæ altioris.

Humilitas, totius spiritualis ædificij fundamentum.

Basilius.

Bernard.

Hug. Vict.

August.

August.

Ambros. Humilitate nihil excelsius.

Ideo Ambrosius lib.7. in Luc. *nihil*, inquit, *humilitate excelsius.* Utique tanquam à signo: quia humilitas in fundamento, signum est celsitudinis in fastigio. Sicut autem, cum nulla extant ædificij fundamenta, quando jacta esse debuerant, nulla tunc subest spes ædificij: ita in superbis, si nullum adhuc jactum est fundamentum humilitatis, nulla spes esse potest ædificij attollendi usque ad conspectum Dei. Proinde in superbis ferè nulla spes prædestinationis apparet: cum ne prima quidem prædestinationis fundamenta sint jacta. Ideo Bernardus tract.de interiori domo cap.41. *Superbia*, inquit, *sicut origo est omnium criminum: ita est ruina omnium virtutum. Ipsa aut in exordio mentem per peccatum prosternit: aut in fine de virtutibus dejicit.* Quia scilicet corruat necesse est ædificium, quod solido fundamento non nititur. Idcirco Gregorius lib.34. moral. cap.18. *hi*, inquit, *qui humilitatem, quæ virtutum mater est, nesciunt, usum laboris sui perdunt: etiamsi quæ bona sunt, operari videantur. Quia surgentis fabricæ robusta celsitudo non figitur, quæ nequaquam per fundamenti fortitudinem in petra solidatur. Soli ergo ruinæ crescit, quod ædificant, qui ante molem fabricæ humilitatis fundamina non procurant.*

In superbis spes prædestinationis pœne nulla.

Bernard. Superbia ruina virtutum.

Gregor.

Superbia de medicina facit vulnus, de remedio morbum.

Gregor. CLXXVI.

Confirmatur primò; quia per superbiam, ut dictum est supra, virtutes ipsæ quodammodo vertuntur in vitia: & dum quis aut de virtutibus ipsis extollitur, aut opera alioquin virtuosa ad humanam gloriam dirigit, hoc ipso de cibo salubri fit venenum, de medicamento fit vulnus. Quod adnotans idem Gregorius lib.33. mor. cap.12. *qui*, inquit, *de acceptis virtutibus extollitur, non gladio, sed medicamento vulneratur.* Sicut igitur de ægrotorum salute desperamus, cum illis medicamenta ipsa vertuntur in nocumenta: ita philosophandum de signo æternæ salutis, aut mortis in iis, quibus per superbiam ipsamet bona opera morbum pariunt, & nocumentum.

Chrysol.

Quamobrem Chrysologus serm.7. *Fugiendum*, inquit, *est virus: pestilentia cavenda, quæ de remedijs creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen.* Utique de ægroto, cui cibi salubres in malos humores, & remedia verterentur in morbum, actum omnino esset: ejusque deploratam salutem pronunciaret Hippocrates.

Superbia causa luxuriæ. *Ezech.*

Confirmatur secundò, quia superbia ita est omnium vitiorum radix, ut specialiter sit causa luxuriæ. Ideo dicitur Ezech. cap.18. *iniquitas Sodomæ superbia*; nempe causaliter, eò quòd ex ea prodiit abominanda luxuria. Quia enim appetitus propriæ excellentiæ, ut appellatur à Scoto, luxuria quædam est spiritualis; iis, qui peccant hac luxuria spirituali, permittitur justo Dei judicio incidere in carnalem: ut dum supra se per superbiam eriguntur, infra se per luxuriam ad fœ-

dissima prosternantur. Quod advertens Gregorius lib. 33. mor. c. 11. *contra*, inquit, *eos* (superbos) *hostis antiquus, qui iam interiùs dominatur, etiam exteriùs sævire permittitur, ut qui in cogitatione elati sunt, per luxuriam prosternantur.* Idem multò antè docuit Cassianus lib. 12. coll. cap. 22. ubi docet *omnem animam, quæ superbiæ fuerit tumore possessa, nequitijs spiritualibus tradi, eamque passionibus carnis involui.* *Gregor.* *Cassian.*

Ex quo collige primò duplex in superbia signum reprobationis agnosci, alterum in ipsa per se spectata, alterum in luxuria ex ea emanante: quæ speciale reprobationis est signum, ut ostendetur suo loco. Unde fit ut superbia tum formaliter, tum causaliter, secundùm vitia quæ causat, reprobationis sit signum. Superbia, duplex reprobationis signũ, causaliter, & formaliter.

Collige secundò, quàm Deo abominabilis sit superbia. Ut enim hanc ex electorum suorum mentibus eradicet, eos quandoque in luxuriam prolabi permittit. Testatur hoc, inter cæteros, Damascenus lib. 2. de fide cap. 29. ubi: *permittitur*, inquit, *quis quandoque in turpem decidere actionem, ad emendationem deterioris affectus. Vt si quis est in virtutibus electus, hunc sinit Deus in adulterium prolabi, ut per ruinam in cognitionem propriæ infirmitatis veniens, confiteatur Domino humiliatus.* Notanda illa verba, *ad emendationem deterioris affectus*: quibus pronunciatur superbia deterior quàm luxuria: quia quidquam fœdius excogitari non potest. Unde fit, ut superbia tanquam vitium omnium deterrimum, contineat reprobationis signum omnium pessimum. Deus ad eradicandã superbiam ab electis permittit eos in luxuriã prolabi. *Damas-*

Secunda ratio. Tota prædestinatio pendet à conformitate ad Christum, ac proinde reprobatio à difformitate, juxta illud Pauli ad Rom. 8. *quos prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui.* Ergo illud prædestinationis est signum, per quod conformamur Christo; illud reprobationis, per quod difformamur. Sed per humilitatem maximè conformamur Christo; per superbiam maximè difformamur. Quia expressè Christus hoc unum voluit ut ejus exemplo discereremus: *discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Quæ verba perpendens Gregorius lib. 34. moral. cap. 18. *ad hoc*, inquit, *unigenitus Dei filius formam nostræ humilitatis suscepit; ad hoc despectus apparuit; ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta toleravit; ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus.* Unde fit ut Christiani simus nomine tenus, & inaniter; nisi discamus humilitatem à Christo. Quamobrem S. Leo serm. de nat. *frustra*, inquit, *appellamur Christiani, si imitatores non fuerimus Christi. Qui ideo viam se esse dixit, ut conversatio magistri fieret forma discipuli; & illam humilitatem eligat servus, quam sequutus est Dominus.* Humilitas maximè Christo cõformat. *Paulus ad Rom. 8.* *Gregorius.* *S. Leo.*

Confirmatur primò, quia cùm Christus in Scripturis modo leo

Apoc.5. dicatur, modo ovis, *vicit leo de tribu Iuda.* Apocal. 5. *tanquam ovis ad occisionem ductus est, & tanquam agnus coram tondente se obmutuit.* Isa.53. prædestinatos tamen oves appellare voluit, non leones. *Statuet oves à dextris.* Matth. 25. *oves Meæ vocem meam audiunt.* Ioan.10. ut ostenderet prædestinatos non tam illi debere conformari in magnitudine, quàm in humilitate actionum. Quod adnotans Cornelius in eum locum *electos*, inquit, *comparat ovibus ob patientiam, & humilitatem*, quia scilicet hi Christum non in rugitu leonis imitantur, sed in mansuetudine, & humilitate ovium. Idcirco Bernardus serm.2.in cap.jejunij, *sublimis*, inquit, *Dominus; sed non ita proponitur tibi: laudabilis magnitudo illius, non enim imitabilis: humiliare, & apprehendisti.*

Isa.53. *Matth.25.* *Ioan.10.* *Cornel.* *Bernard.*

Humilitatis exhibitio causa Incarnationis, & Passionis.

Confirmatur secundò; quia propter hunc finem Deus assumpsit humanitatem, ut imitabilem se præberet in humilitate, quam exhibere non poterat in sola Deitate. Quod animadvertens Greg.lib.34. mor.cap.18.supra cit. *quanta*, inquit, *humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is, qui sine æstimatione magnus est; usque ad passionem factus est parvus?* Adde Eucharistiam ipsam è Christi humilitate provenisse; qui priùs à Deitate ad formam servi, postea etiam ad formam cibi ampliùs exinaniri voluit. Quæ est observatio Augustini enarr.in Psal.33. ubi: *unde*, inquit, *commendavit corpus, & sanguinem suum? de humilitate sua. Nisi enim esset humilis; nec manducaretur, nec biberetur.*

Gregor. *Augustin.*

Humilitati adscribitur ipsamet Christi exaltatio.

Confirmatur tertiò: quia Christus prædestinatorum caput, licèt illi deberetur exaltatio ex titulo unionis hypostaticæ, & titulo aliarum virtutum; voluit tamen ut ea adscriberetur soli humilitati ad Philip. 2. *Humiliavit semetipsum, &c. propter quod & Deus exaltavit illum.* Ideo Bernardus serm.2. de Ascen. *sola*, inquit, *est humilitas, quæ exaltat, quæ ducit ad vitam.* Hæc via, & non est alia præter ipsam. Atque hinc est, ut idem Apostolus ascensum Christi supra omnes cælos tribuerit descensui infra omnia. *Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit primùm in inferiores terræ? Qui descendit ipse est, qui ascendit super omnes cælos.* Ad Ephes.4. Dicitur Christus *ascendisse super omnes cælos*, usque ad locum supremum: quia *descendit in inferiores partes terræ*, nempe ad inferos, & ad centrum terræ, usque ad locum infimum. Quæ est animadversio Chrysostomi in eum locum. *Descendit ad infimas partes, post quas non aliæ: & ascendit super omnia, super quæ non sunt alia.* Ut scilicet ostenderet nobis tantundem ascendendum in gloria, quantùm per humilitatem descendimus. Sicut enim tradunt Physici aquam in fontibus tantum ascendere, quantùm priùs ad ima descenderat: neque simpliciter ascendere posse nisi ante descenderit: ita planè contingit prædestinatis, adeo ut de Christo ipso dicatur, *quid est quod ascendit,*

Ad Phil.2. *Bernard.* *ad Ephes.4.* *Chrys.st.*

CLXXVII. Ascenditur ad gloriam per descensum.

nisi quia & descendit ? & ponitur tantum ascendere, quantùm descenderat, nempe ascendere ad supremum, quia descenderat ad infimum : *quid est quod ascendit, nisi quia descendit ?* &c. Hæc de Christo prædestinatorum duce. De cæteris autem prædestinatis id insinuat David Psalm. 83. *ascensiones in corde tuo dispositi in valle lachrymarum.* Quippe ascensio ad montem gloriæ disponitur per descensum ad humilitatis vallem. Ideo Augustinus serm. de verb. Dom. *omnes*, inquit, *celsitudo delectat : sed humilitas gradus est.* Quia scilicet decet prædestinatos conformari Christo *ascendenti, quia descendit*, ut dictum est. *Psal.83.* *August.*

Addit Basilius admon. ad filium spir. humiles esse Deo similes. *Vir*, inquit, *humilis est Deo similis : & in templo pectoris sui gestat eum.* Hoc autem videtur explicatu difficile : cum humilitas propriè dicta non sit virtus quæ cadere possit in Deum. *Basilius.* Humilis in quo sensu Deo similis.

Prima expositio esse potest in hoc attendi quandam proportionem quòd sicut Deus, in omni communicatione ad extra, semper se ad suas creaturas demittit infra se: ita humilis demittit etiam se ad eos, qui sunt infra se : cum superbus attollat se supra se: Deo autem impossibile est attollere se supra se : & de facto demittit se infra se : & ideo dicitur à Basilio *humilem esse Deo similem.* Contra verò de Lucifero dicit Gregorius lib. 24. mor. cap. 17. quod *Dei similitudinem perdidit : quia esse ei superbè similis in celsitudine concupivit.* Dei similitudo amittitur per superbiam.

Secunda expositio esse potest humilem esse similem Deo : quia in suis operibus alienus à gloria propria quærit gloriam Dei. Et sic conformatur Deo, qui *omnia operatur propter semetipsum.* Prou. 16. nempe propter suam gloriam. Quamobrem humilis est similis Deo; quia, dum operatur, idem est finis, & scopus Dei, & humilis, nempe Dei gloria. Ideo Christus, qui de se dixit, *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11. de se etiam testatus est, *honorifico Patrem meum : non quæro gloriam meam.* Ioan. 8. Contra verò superbus dirigit suas actiones non ad gloriam Dei, sed propriam : & sic dissimilis est Deo. Immo in hoc directè Deo adversatur : qui non potest aliam gloriam intendere, quàm divinam. Ideo primus Angelus, qui peccando appetiit gloriam propriam, Sathahel nominatus est : quod nomen ductum ex radice Hebraica, significat *adversarium Dei.* Quia scilicet, dum appetiit esse ut Deus, quærendo non Dei gloriam, sed propriam, adversatus est Deo. Testatur hoc Chrysostomus homilia de Adam, & Eva, ubi, *unus Angelus primus*, inquit, *qui Sathahel dictus est, malignam, & nefariam præsumptionem assumens dixit, ponam sedem meam in Aquilone, & ero similis Altissimo : & ita pro tali præsumptione præcipitatus de culmine Angelico diabolus nominatur.* Hinc sumitur *Prov. 16.* *Matth. 11.* *Ioan. 8.* Luciferi nomen proprium Sathahel.

Tertia ratio à posteriori, quia plerumque humiles salvantur : su- CLXXVIII.

Superbia peccatum Angeli. *Gregorius.*

perbi damnentur. Ergo humilitas prædestinationis est signum, superbia reprobationis. Antecedens apparet primò in Angelis. Quandoquidem peccatum Angelicum, ex communi Patrum consensu, fuit superbia: quia Angelus, ut notat idem Gregorius lib. 34. moral. c. 17. *jus perversæ libertatis appetiit: ut & præesset cæteris, & nulli subesset. Sed, dum primam celsitudinem superbè appetiit: jurè perdidit participatam.* In hoc observandum est, fuisse Luciferum de supremo ordine Seraphico. Quippe, qui fuit supremus Angelus, & sic è supremo ordine. Ideo Bernardus serm. 3. de verbis Isaiæ vidi Dominum, &c. *Ecce*, inquit, *Rex noster novos in terra Angelos fabricaturus advenit: non inferioris ordinis Angelos, sed Seraphim. Audi, quid loquitur, ignem veni mittere in terram. Vult ergo Seraphim fabricare: ut hi ibi stent, unde tu corruisti.* Cum ergo Lucifer esset ordinis Seraphici, appellatus est *Cherub extensus* Ezech. 28. *in deliciis Paradisi Dei fuisti: & tu Cherub extensus, & protegens.* & infrà. *Ejecì te de monte Dei, & perdidi, ô Cherub, projectus de medio lapidum ignitorum.* Quod de Lucifero ejecto de medio Seraphim exponit Hieronymus in eum locum, & communiter alij. Cum igitur esset Seraphim, appellatur ab Ezechiele Cherub; quia Seraphim dicitur ab incendio amoris, Cherub à plenitudine scientiæ. Quia ergo ille caruit ardore divini amoris; sed tantùm complacuit sibi de claritate scientiæ; ideo, cum esset Seraphici ordinis, Cherub dicitur. Quod animadvertens Gregorius lib. 17. moral. c. 15. *Cherub*, inquit, *plenitudo scientiæ interpretatur. Idcirco iste Lucifer Cherub dicitur: quia transcendisse cunctos scientiâ perhibetur.* Quippe ob superbiam magis sibi complacuit de claritate scientiæ, quæ vergebat ad gloriam propriam: quàm de incendio divini amoris, qui dirigitur ad gloriam Dei: &, quod proprium superborum est, lucere tantùm appetiit, non ardere. Quod expendens serm. cit. Bernardus. *Quid, ergo* inquit, *in veritate non stetisti: nisi quia Seraphim non fuisti? Seraphim quippe ardens, vel incensus interpretatur. Tu verò habuisti miser lucem; sed ardorem non habuisti. Bonum erat tibi si ignifer magis esses, quàm Lucifer.*

Lucifer de supremo ordine Seraphico. *Bernard.*

Christus venit fabricare ex hominibus novos Seraphim. *Ezech. 28.*

Lucifer cur appellatur Cherub. *Hieronym.*

Seraphim dicuntur ab incendio; Cherubim à scientia. *Gregorius.*

Bernard. Lucifer lucere magis voluit quàm ardere.

E quibus colligitur eos, qui valde appetunt lucere apud homines, non leve habere reprobationis indicium. Siquidem vestigia sequuntur Luciferi, qui reproborum est signifer. Ideo aviditatem humanæ gloriæ Christus posuit inter maxima impedimenta salutis, dum dixit Ioan. 5. *quomodo potestis credere, qui ab invicem accipitis: & gloriam, quæ à Deo est, non quæritis?* Si acceptatio humanæ gloriæ ponit impedimentum, & quasi impotentiam ad fidem cum dicat *quomodo potestis*, &c. multò magis ad spem, & charitatem, aliaque ad prædestinationis finem necessaria. Idem Christus hoc idem reposuit inter signa reprobationis, quæ apparebant in Pharisæis Matth. 23. *amant primos*

Ioan. 5.

Ambitiosi excludi videntur etiã à numero fidelium. *Matth. 23.*

primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Videant ſuperbi, quam ſpem habere poſſint ſalutis, quando hæc, quæ tanquam peccata leviſſima æſtimant, Chriſtus ipſe repoſuit inter maxima impedimenta ſalutis, & inter vitia Phariſæorum: qui Luciferi aſſeclæ lucere volebant, non ardere. Quippe omnis ſuperbus, qui ſuper alios attolli, ac cæteris præferre ſe ſtuder, imitatorem ſe oſtendit diaboli. Quod adnotans Gregorius lib.3.mor. cap.18. *ſunt*, inquit, *nonnulli, qui electionis faſtigium aſcendunt; illum videlicet imitantes, qui ſe primus apud ſe extulit; ſed elevando proſtravit.* Porro Luciferi ſuperbia eluceſcit magis ex ejus collatione cum humilitate Joannis Baptiſtæ: de quo dictum eſt Ioan.5. *ille erat lucerna ardens, & lucens.* Prior quidem eſt lux, quàm ardor. Dicitur tamen Ioannes *lucerna ardens, & lucens*: quia directè oppoſitus Luciferinæ ſuperbiæ, ardere magis appetiit, quàm lucere. Quod advertens Bernardus ſerm.de Nativit.Ioan.Bapt. *ille*, inquit, *erat lucerna ardens, & lucens, non ait lucens, & ardens: quia in illo ex fervore ſplendor: non fervor prodiit è ſplendore. Sunt enim, qui non eo lucent, quo ferveant: ſed magis fervent, ut luceant. At iſti planè non fervent ſpiritu, ſed ſtudio vanitatis.* Hoc pertinet ad reprobos Luciferi aſſeclas, qui ſplendere ſtuduit, ardere non ſtuduit. Contra quos idem Bernardus ſerm.3. in verba Iſaiæ vidi Dominum. *Quid lucere*, inquit, *feſtinatis? nondum advenit tempus in quo fulgebunt juſti, ſicut Sol. Interim perniciosus eſt iſte appetitus lucendi.*

Gregor.

Ioan.5. Ioannes Baptiſta cur dictus lucerna ardens, & lucens.

Bernard. In Ioanne ſplendor ex fervore: in ambitioſis fervor è ſplendore.

Bernard.

Contra verò prædeſtinatorum eſt proprium ardorem divini amoris curare, ſplendorem proprii nominis non curare. Quod videre eſt in Ioanne Baptiſta electorum anteſignano. Qui directè, ut dictum eſt, Lucifero oppoſitus, divinam ſimilitudinem nullatenus affectavit. Immo cum poſſet haberi Meſſias, Chriſtus Deus, ſi tantùm ipſe annuiſſet, apertè *reſpondit non ſum.* Ioan.1. de ſe pronuncians humiliter, *ego vox.* Quod obſervans Bernardus ſerm. cit. *lucet*, inquit, *Ioannes tantò utique clariùs, quantò amplius fervet: tantò veriùs, quantò minùs lucere appetit. Fidelis Lucifer, qui Solis juſtitiæ non uſurpare venit, ſed prænunciare ſplendorem.* Ioannes igitur, qui lucere non ſtuduit, Chriſti Solis verus Lucifer factus eſt. Lucifer verò, qui nimium lucere præſumens, Sol eſſe appetiit, lucem propriam amiſit, æterna nocte mulctatus. Ioannes Chriſti præcurſor, & electorum vexillifer, iis præmonſtravit, quàm glorioſum finem ferat humilitas: & in quam lucem evadat nominis voluntaria obſcuritas. Lucifer reproborum dux oſtendit ſuis, quàm horrenda nox excipiat hunc, quem tantopere ſuperbi ambiunt, humanæ gloriæ ſplendorem. Qui iis eſt veluti prodigioſi cometæ infauſta lux, lethi, & damnationis prænuncia. Et hoc eſt primum exemplum, in quo

Ioannes Baptiſta directè Lucifero oppoſitus.

Ioan.1. *Bernardus.*

Ioannes Chriſti Solis Lucifer.

Gloriæ humanæ ſplēdor perniciosus cometa.

apparet humilium prædestinatio, reprobatio superborum.

Apparet id secundò in Saüle, & Davide. Quippe Saüli dictum est 1. Reg. 15. *cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.* Quod exponens Gregorius in lib. Reg. *quasi*, inquit, *dicat superbus modo, injustè deponeris: qui priùs humilis regnum sortiri meruisti.* Nempe ex superbia reprobatus, ex utroque regno est dejectus, terreno, & cælesti. Expressè autem reprobationis causam in Saüle fuisse superbiam, id tradit lib. 26. moral. cap. 19. ubi *Saül*, inquit, *ab humilitatis merito in tumorem superbiæ culmine potestatis excrevit. Per humilitatem quippe prælatus est, per superbiam reprobatus.* David verò, qui, ut testatur Psalm. 130. de se *humiliter sentiebat:* & se *canem mortuum* appellabat 1. Reg. 24. ad utrumque fuit regnum evectus temporale, & æternum. Quod expendens Gregorius lib. 37. moral. cap. 17. *Parvulus*, inquit, *in oculis suis est, qui in eo quod se considerat, imparem se alienis meritis pensat. Saül autem reprobus, in bono, quod cœperat, non permansit: quia fastu susceptæ potestatis intumuit. At contra David semper de se humiliter sentiens, eidem sævienti adversario humiliter se prostravit dicens: Quem persequeris Rex Israel, canem mortuum? Certè jam unctus in Regem fuerat: iam exorante Samuele, & cornu super se oleum fundente didicerat, quod eum divina gratia, Saüle reprobato, ad Regni gubernacula possidenda servabat. Et tamen persequenti adversario mente se humili substernebat: cui divino iudicio prælatum se esse cognoverat.* Ex hac comparatione ibidem colligit universaliter reproborum proprium esse alios despicere, electorum aliis se submittere. *Omnes*, inquit, *iniqui per tumorem cordis elati, cunctos, quos cernunt, superbiæ fastu despiciunt.* Et infrà: *Electi etiam se illis humiliant: quibus iam se per maiora iudicia antepositos deprehendunt. Hoc autem esse proprium electorum specimen solet, quod de se semper sentiunt infrà quàm sunt. Hinc namque ab eodem David dicitur, si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam. Hinc Salomon ad sapientiam parvulos vocat dicens, si quis est parvulus veniat ad me. Hinc in Evangelio Dominus dicit, confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis. Hinc magister gentium dicit, facti sumus parvuli in medio vestri.* Addit infrà de reprobis: *Contra verò reproborum est magnificè de se sentire, & magnos esse in oculis propriis.* Ideo subdit: *hanc humilitatis formam reprobi, quia Leviathan membra sunt, vel cognoscere, vel tenere contemnunt. Quia & si quando se humiles specie tenus ostendunt, humilitatis vim servare intrinsecùs negligunt. Qui sæpè, ut si quando unumquodlibet bonum vel minimum faciunt, malis à suis omnibus respectum mentis procaciùs avertunt: atque hoc, quod vel extremum bonum fecerint, tota intentione semper inspiciunt: & ex eo se se iam*

1. *Reg.* 15. *Gregor.* Saül ob humilitatē evectus ad regnum, ob superbiam ejectus è regno terreno, & cæleſti.

Gregor. 1. *Reg.* 24. David ob humilitatē ad utrumque regnū evectus.

CLXXX. *Gregor.* Electi de se humiliter, reprobi de se magnificè sentiūt.

Superbi mēbra diaboli.

quasi sanctos aspiciunt; obliti malorum omnium, quæ commiserunt unius sui tantummodò boni memores, quod fortasse facere nec perfectè potuerunt. Sicut evenire contrà electis solet, ut cum multarum virtutum gratia polleant, unum vel tenuissimum vitium valde defatigans pulset. Quatenus, dum ex quadam parte se sic infirmari considerant, de his virtutibus, in quibus prævalent, se minimè extollunt: dumque de infirmitate trepidant, hoc quoque, ubi fortes sunt, humiliùs servant. His quasi coloribus à Gregorio reproborum superbia, electorum humilitas delineatur, occasione collationis inter superbiam Saülis, ob eam cælesti, & terreno regno dejecti, atque humilitatem Davidis.

Diviti superbia causa damnationis, Lazaro humilitas causa salvationis. *Chrysol.*

Apparet idem tertio in divite, & Lazaro. Neque enim putandum est illum è solis divitiis reprobatum; hunc è sola mendicitate salvatum: nam neque divitiæ per se sunt malæ, neque mendicitas per se bona: neque byssus, & purpura, aut solæ epulæ putandæ diviti causa esse damnationis. Quod expendens Chrysologus sermon. 121. *numquid*, inquit, *per se tantùm divitiæ criminosæ sunt? aut solæ tantùm per se penes Deum damnandæ sunt vestes? & tantùm per se puniendæ sunt epulæ: ut non solum careant præmio bonorum; sed omnium malorum ferant, & mereantur exitium?* Dicendum igitur est divitias diviti fuisse causam superbiæ; & ideo damnationis: mendicitatem Lazaro causam fuisse humilis tolerantiæ; & ideo salvationis. Quod indicans idem Chrysologus serm. 124. *Pauperem*, inquit, *contemptus provexit ad patientiam; divitem extulit purpura ad superbiam, ad cæcitatem splendor, sublimitas ad ruinam.* *Chrysol.*

Pharisæus rejectus propter superbiam; publicanus electus propter humilitatem. *Chrysost.* *Chrysost.*

Apparet idem quartò in Pharisæo, & Publicano Evangelico. Ille enim plenus bonis operibus associatis cum superbia rejectus est, & reprobatus: hic vero oneratus peccatis adjuncta humilitate justificatus est, & electus. Quod expendens Chrysostomus homil. 66. in Matth. *Sine humilitate*, inquit, *si multa alia peragas; immundus eris apud Deum. Quod Pharisæus omnibus patefecit; qui mille virtutibus affluens, supernam felicitatem propter arrogantiam amisit.* Huc revocari posset animadversio illa à nobis aliàs relata ejusdem Chrysostomi homil. 5. de incomprehens. Dei Nat. ubi *finge*, inquit, *animo bigam duplicem; quarum in altera virtus iuncta sit cum superbia; in altera cum humilitate peccatum. Videbis bigam illam peccati facile anteire virtuti: palmamque obtinere non pernicitate peccati; sed vigore humilitatis. Contra vero bigam alteram retardari, ac vinci non imbecillitate virtutis, sed pondere ac mole superbiæ. Hoc exemplo Pharisæi, & Publicani perspicies, &c.* His exemplis apparet humiles, quamvis peccatores interdùm sint, converti plerumque, & salvari: superbos, quamvis ad speciem cæteris virtutibus affluant, plerumque damnari.

Castitas superbiæ adjuncta interdū amittitur circa finem vitæ. *Gregor.*

Confirmatur primò, quia castitas diu servata, si superbiæ adjungatur, interdum ex justo Dei judicio amittitur, etiam circa finem vitæ. Quod animadvertens Gregorius lib.24.moral.cap.13. *Plerumque*, inquit, *latet superbia: & castitas innotescit. Atque ideo ostensa diù castitas circa vitæ finem perditur: quia cooperta superbia usque ad finem incorrecta retinetur.*

Humilitas sola evadit è laqueis diaboli.

Confirmatur secundò, quia non datur alius evadendi modus è tot diaboli laqueis, quàm humilitas: Deo auxilium efficaciter humilibus præbente, superbis sæpissimè denegante. Quod declaravit olim magnus Antonius. Cui, ut refertur in ejus vita, cum ostensi fuissent innumerabiles diaboli laquei toto terrarum orbe ad capiendas animas undequaque dispositi, ipso exclamante, *quis è tot laqueis poterit tandem evadere?* responsum fuit, *sola humilitas.*

CLXXXI. Et ratio est; quia, cum nemo tot diaboli tentationes evadat sine auxiliis specialissimis Dei, hæc humilibus à Deo dantur, denegantur superbis. Nimirum, si etiam in humanis ad magnanimitatem pertinet, juxta effatum Poetæ, *parcere subiectis, & debellare superbos*; multò magis præstabitur id à supremo monarcha Deo: in quo est magnanimitas in gradu infinito, & altioris ordinis. Ideo maximum, & fere unicum medium Christianis ad assequendam gratiam, & gloriam est humilitas. Quamobrem Augustinus epist.56. *si quæris*, inquit, *quid primum sit in religione, & disciplina Christi, respondebo, primum est humilitas. Quid secundum, humilitas. Quid tertium, humilitas. Sicut enim Demosthenes primas; secundas, tertias pronunciationi dedit: ita easdem ego dabo humilitati in schola Christi.* *August.*

Contra verò schola diaboli in superbia consistit. Adeo ut reprobi non alio nomine censeantur, quàm filij superbiæ: quorum caput est diabolus. Ideo dicitur Iob 14. *ipse est Rex super universos filios superbiæ.* Hoc maximè charactere discernuntur filij diaboli à filiis Dei. Quippe diabolus caput est superborum, Christus humilium: ille superbiæ, hic humilitatis exemplar. Quod egregiè, ut assolet, prosequitur Gregorius lib.34. moral.cap.18. cujus fusè de hoc differentis verba, quæ ad rem nostram maximè faciunt, libet hic paucis ad brevitatem resectis, transcribere. *Hostis*, inquit, *noster magnus inter omnia conditus videri super omnia voluit elatus. Redemptor noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus. Ille ait, in cælum ascendam: iste per Prophetam dicit: vita mea inferno appropinquavit. Ille dicit, super astra Cæli exaltabo solium meum: Iste humano generi à Paradisi sedibus expulso dicit, ecce venio cito, & habitabo in medio tui. Ille dicit, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: iste dicit, ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Ille dicit, ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo: Iste cum in* *Gregor.*

Exemplar superbiæ in diabolo, humilitatis in Christo.

forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens; & per membra sua loquitur dicens, Domine, quis similis tibi? Ille per membra sua loquitur dicens: nescio Dominum, & Israel non dimittam. Iste per semetipsum dicit, novi eum, & sermonem eius servo: Ille dicit, mea sunt flumina, & ego feci ea: Iste dicit: non possum à me ipso facere quidquam. Ille regna omnia ostendens dicit: tibi dabo gloriam illorum, quia cui volo do illam: Iste dicit calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram, vel sinistram, non est meum dare vobis. Ille dicit: eritis sicut dij scientes bonum, & malum: Iste dicit: non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Hæc & plura ibi Gregorius. E quibus apparet exemplar superbiæ in diabolo; in Christo humilitatis: ut maximè ex hoc discernantur, qui sint conformes Christo, & conformes diabolo; & sic reprobati. Schola diaboli tota est in edocenda superbia: schola Christi tota in doctrina humilitatis. Et sic bene ex hoc discerni possunt utriusque scholæ discipuli. Ideo idem Gregorius ibidem: *ille*, inquit, *vihil aliud mentes sibi subditas docet, quam celsitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore transcendere: Iste ad sputa, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam, atque ad mortem veniens, membra sua admonet dicens: Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Unde apertè concluditur ex hoc maximè cognosci reprobos sequaces diaboli, & electos sequaces Christi: & sic superbiam reprobationis, humilitatem electionis signum esse perspicuum. Quæ est expressa consequentia ejusdem Gregorij, qui rem totam ita concludit. *Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, & Leviathan iste Rex dicitur superborum; apertè cognoscimus, quod evidentissimum reproborum signum superbia est, ac contra humilitas electorum.* *Gregor.*

CAPUT X.

Sextum prædestinationis signum misericordia in pauperes.

CLXXX. Misericordia in pauperes prædestinationis est signum: *Psal. 40. Augus. Hug. Card.*

DIco decimò. Misericordia in pauperes prædestinationis est signum. Probatur primò è Scripturis. Primus locus Psalm. 40. *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conservet eum, & vivificet eum,* &c. Promittitur *intelligenti super egenum, & pauperem liberatio in die mala*; ideſt, ut explicat Augustin. Hugo Cardin. & alij in die judicij. Promittitur conservatio, & vivificatio; *Dominus conservet eum, & vivificet eum. Hæc vivificatio*, ut ait Augustinus,

pertinet ad futuram vitam. Ergo *intelligentes super egenum, & pauperem* signum habent prædestinationis pœne infallibile. Quia, ut ibidem Augustinus, *ista Prophetæ optatio promissio est, securi expectare, qui hoc agunt.* Hoc autem signum maximè illi habent, qui *intelligunt super egenum, & pauperem*, ij scilicet, qui non ex quadam prodigalitate quibusdam connaturali, sed eleemosynas largiuntur ex consideratione, & advertentia; considerando in pauperibus sive imaginem Dei, sive personam Christi; & illos ex corde compatiendo. Quod notans ibidem Hugo Cardinalis: *Dicit*, inquit, *qui intelligit: quia maius est dare animum compatiendo, quam pecuniam.* Sicut, ut idem Augustinus apud Glossam, *beatus, qui intelligit, ut & non petentibus det. Qui petentibus dat, benè facit: quò tacentem intelligit, beatus.* Quippe, ut addit Hugo, *huic qui ita intelligit, multa bona promittit. Primum est bonum vitæ æternæ: quod dividitur in duo. Primum est habere omne bonum; de quo dicit, beatus ille est: cum beatus sit, cui omnia optata succedunt. Secundum est carere omni malo; de quo subiungit, in die mala liberabit eum Dominus.* Quod argumentum prosequitur idem Hugo dicens huic promitti primò conservationem in bono, *Dominus conservet eum.* Secundò vivificationem per gratiam, *& vivificet eum.* Tertiò beatitudinem in terra per spem futuræ vitæ, *& beatum faciat eum in terra.* Quartò liberationem à tentationibus diaboli, *& non tradat eum in animam inimicorum eius.* Quintò auxilium in tribulationibus: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius.* Sextò denique videtur Deus illi promittere specialem assistentiam in morbis, exhibendo illi quodammodo famulatum; quasi versando, & vertendo ejus stratum in ægritudine, & lectum propriis manibus concinnando, quod famuli præstant Dominis: & ideo subditur, *versasti*; sive, ut legit Augustinus, *vertisti stratum eius in infirmitate eius.* Ex his liquet iis promitti beatitudinem inchoatam in terra, postea consummandam in cælo. Quod advertens Augustinus, *ne putarent*, inquit, *illi, qui intelligunt super egenum, & pauperem, recipiendos quidem se esse in cælo, sed negligi in terra: promissionem habent vitæ præsentis, & futuræ.* Nihil ad prædestinationis signum præclarius.

Augustin.

Hug. Card.

Compassio comes eleemosynæ.

Augustin.

Hugo.

Eleemosynæ bonæ omnia promittuntur.

Misericordibus Dei specialis assistentia in morbis.

Augustin.

Secundus locus est Psalm. 111. *Iucundus homo, qui miseretur, & commodat: disponet sermones suos in iudicio; quia in æternum non commovebitur. In memoria æterna erit iustus: ab auditione mala non timebit.* Et infra, *Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi: cornu eius exaltabitur in gloria.* Primò *qui miseretur, & commodat*, is est, qui eleemosynas elargitur: quia eas non tam dat, quàm commodat, eadem largiùs recepturus, juxta illud Luc. 6. *date: & dabitur vobis.* Quamobrem Augustinus ex-

Psal. 111.

Eleemosyna est contractus cõmodati.

Augustin.

pendens hæc verba, *qui miseretur & commodat. Date*, inquit, *& dabitur vobis. In eo quod das, ut tibi detur, commodas.* Hoc autem consonat iis, quæ dicuntur Prov. 22. *fœneratur Domino, qui miseretur pauperi.* Qui autem ita commodat per manus pauperum pecuniam suam Domino, non solum jucundè vivet in hac vita, ob quod dicitur, *iucundus homo:* sed etiam *disponet sermones suos in iudicio.* Quia optimè respondere poterit judici non interroganti nisi de eleemosynis datis, aut negatis. Ideo Augustinus *facta ipsa*, inquit, *sermones sunt, quibus in iudicio defendetur. Quid non erit ei sine misericordia, quia & ipse fecit misericordiam?* Sequitur, *in memoria aterna erit iustus: ab auditione mala non timebit.* Quia, ut addit Augustinus, *ad dexteram segregatus audiet, venite benedicti, &c. Neque aliqua illic eorum nisi opera misericordiæ commemorantur. Et ab auditu malo non timebit: quod audient ij, qui à sinistris erunt.* Sicut igitur, qui parant se ad examen pro consequenda laurea doctoratus, disponunt multò antè capitula, lectiones, responsiones: quæ in eo temporis articulo usui esse poterunt: & signum consequendi doctoratus is habet, qui bene sermones ibi adhibendos disponit: ita eleemosynarum largitor signum habet supremæ laureæ consequendæ: quia bene sermones suos disponit adhibendos in examine districto judicij. Ad quod respiciens Hugo Cardinalis *homines*, inquit, *misericordes modò formant non tantùm sermones, quos respondebunt: sed etiam illos, quibus alloquetur eos Dominus: esurivi, & dedistis mihi manducare*, &c. Certè vir cordatus cogitat ad ea, quæ responsurus est in illa magna disputatione extremi judicij. Observandum legi à Chrysostomo, *disponit rationes suas in iudicio*, alludendo ad id, quod dicitur Lucæ 16. *redde rationem villicationis tuæ:* quia omnes rationes benè supputatæ reperiuntur per eleemosynas pauperum. Quippe, ut notat Chrysologus serm. 40. *sine causa accusant peccata, quem pauper excusat.* Nempe, ut ait Chrysostomus hom. 33. ad pop. Anth. *ipsamet eleemosyna Christi adstat tribunali, non tantùm patrocinans, sed ipsi etiam persuadens iudici, ut patrocinium præstet; feratque pro eo sententiam.* Sicut igitur, cum judex munera, & pecuniam accipit à reo, ac se subornari permittit, signum hoc est pœnè evidens sententiæ favorabilis ferendæ, pro liberando reo: si verò munera respuit, in malam id partem accipitur, ut signum futuræ in ferenda sententia severitatis. Ita planè, si nostra Christus munera respuit (quod fit cum ad erogandas eleemosynas efficax nobis auxilium denegat) tunc justi judicis est maximè pertimescenda severitas, nullis muneribus retardanda. Si verò nostra Christus, per manus pauperum, munera suscipit, signum id est futuræ in ferenda sententia clementiæ, severitate muneribus delinita. Et *suadente eleemosyna*, juxta id, quod diximus ex Chrysostomo, *ut ipsemet*

Prov. 22. Misericors in die iudicij bene judici respõdebit.

August.

CLXXXIII.

Hug. Card.

Chrysost. Per eleemosynas rationes omnes benè supputantur.

Chrysol. Chrysost. Eleemosyna patroni loco.

Christus iudex eleemosynis veluti sanctissimè subornatur.

judex reo patrocinium præstet, feratque pro eo sententiam. Ideò subdit Propheta, *dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Quia, ut notat Augustinus, *ille thesaurum servabit in cœlo, qui esurire, & sitire in pauperibus se dixit in terra.*

Tobiæ 12. Tertius locus est Tobiæ 12. *eleemosyna est, quæ à morte liberat: & ipsa est, quæ purgat peccata; & facit invenire misericordiam, & vitam æternam.* Quatuor effectus tribuuntur hic eleemosynæ: quorum singuli prædestinationis continent signa. Primus est liberatio à morte. Quod, cum non possit intelligi de morte temporali, necessariò intelligitur de æterna. Ex quo occasionem sumpsit quorumdam error. Qui, ut refert Augustinus lib. 21. de Civit. cap. 21. dicebant *etiam illi, qui nefariè, ac nequiter inter ipsas eleemosynas vixerit, cum misericordia futurum judicium. Vt aut non damnetur omninò; aut post aliquod tempus à damnatione novissima liberetur.* Igitur hi putabant, etiam postquam quis damnatus esset ad gehennam, ab ipsis gehennalibus flammis virtute eleemosynæ liberari. Quod licet falsum sit, & hæreticum; verum tamen est, & de fide, quod Tobiæ loco cit. dicitur ibidem cap. 4. *eleemosyna liberat à peccato: & non patitur ire in tenebras,* idest in gehennam; de qua Matth. 22. *mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus,* &c. Quippe, ut ait Augustinus hom. 39. inter 50. *ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem in carcere mitti permittit.* Ac si diceret, etiam si te ad fores gehennæ peccatum perduceret, idest ad maximum damnationis discrimen, *ante fores gehennæ stat misericordia: & neminem* (ex misericordibus) *in carcerem mitti permittit.* Admirabile est, quod hic insinuat Augustinus *ex verè misericordibus damnari neminem.* Sed consonat Scripturæ locis cit. *eleemosyna non patitur ire in tenebras: eleemosyna liberat à morte.* Et hic est primus effectus hoc loco illi à Spiritu Sancto, per os Archangeli Raphaëlis tributus. Secundus effectus est purgatio à peccatis. *Ipsa est, quæ purgat peccata.* Est ergo eleemosyna Purgatorii loco. Et sicut ibi purgantes peccata sunt de sua salute securi, ita proportionaliter, &c. Quamobrem Cyprianus lib. de opere, & eleemosyna, *quid debeant,* inquit, *facere peccantes, magisteria divina docuerunt, operationibus justis Deo satisfieri; misericordiæ meritis peccata purgari.* Ideo dicitur loco citato: *ipsa est, quæ purgat peccata.* Eleemosyna igitur non à gehenna solùm, sed etiam à Purgatorio liberat. Tertius effectus est propitiatio divinæ misericordiæ: quare subditur, *& facit invenire misericordiam.* Quia scilicet Deus misericordibus misericordiam exhibet, juxta illud Matthæi 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Neque enim,* ut advertit Cyprianus loco cit. *Promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit.* Ideo dicitur *facit invenire misericordiam*; sine qua nemo salvari potest. Quartus effectus illi tribuitur

Eleemosynæ effectus quatuor.

Augustin.

Eleemosynæ vi damnatos etiam salvari, error aliquorum.

Matth. 22. Augustin.

Eleemosyna eripit à foribus ipsis gehennæ,

Eleemosyna Purgatorii loco. *Cyprianus.*

Matth. 5.

tribuitur vita æterna : *Facit invenire misericordiam, & vitam æternam.* Non fuit satis dicere, *facit invenire misericordiam :* sed quia hæc poterat non esse continuata usque ad perseverantiam finalem, ideo subdit, *& vitam æternam :* quæ ultimus est, & præcipuus prædestinationis effectus. Quia, ut ait Lyranus, in hunc locum, *eleemosyna est satisfactoria pro peccatis : & sic introductoria ad regnum cælorum.* Hæc de quatuor eleemosynæ effectibus Tobiæ 12. designatis. CLXXXIV.

Quartus locus est Matth. 25. *Venite benedicti*, &c. *esurivi enim, & dedistis mihi manducare*, &c. His verbis misericordia in pauperes declaratur à Christo ut unicum medium gloriæ consequendæ. Sicut etiam ut unicum medium reprobationis, & damnationis immisericordia in pauperes, *ite maledicti*, &c. *esurivi enim, & non dedistis manducare*, &c. In quo duo recurrunt dubia non vulgaria. Primum est, quod videantur excludi hîc à prædestinationis tum signo, tum effectu ipsi pauperes, qui non habent, unde eleemosynam largiantur. Secundum est, non dari alia virtutum opera remuneranda præter eleemosynam: neque alia vitia, ut blasphemias, homicidia, adulteria punienda, præter immisericordiam in pauperes. *Matth. 25.*

Ad primum respondeo, pauperes spiritu, qui divitias spontaneè reliquerunt, non tam judicandos esse, quàm assessuros ut judices: juxtà illud, quod in persona Apostolorum fidelibus omnibus, sua propter Christum relinquentibus, promissum est, *sedebitis super sedes judicantes*, &c. Matth. 19. Quamobrem Beda in Natali Sancti Benedicti, *sciendum*, inquit, *est omnes, qui ad exemplum Apostolorum sua reliquerunt omnia, & sequuti sunt Christum, judices cum eo venturos.* Quod ampliari potest ad omnes pauperes spiritu, id est eos omnes, qui paupertatem patienter, & libenter tolerant. Pauperes igitur spiritu, qui eleemosynas dare nequeunt, assistent ut judices: divites verò, qui per eleemosynas datas salvabuntur, assistent ut judicandi. Quod notans Beda serm. in nat. S. Benedicti *præter ordinem judicantium cum Domino, agnoscit ordinem electorum judicandorum à Domino. Qui non quidem omnia sua pariter reliquerunt ; sed de his tamen, quæ habebant, quotidianas dare eleemosynas Christi pauperibus curabant.* Pauperes igitur salvabuntur sublimiùs per divitiarum contemptum, divites per largitionem. Majus ergo prædestinationis est signum paupertas voluntaria, quàm eleemosynarum largitio: quia per illam pauperes prædestinantur ut judices, per hanc divites ut judicandi. Et hæc pro responsione ad primum. *Beda.* Pauperes salvantur per patientiam, divites per eleemosynam.

Ad secundum respondeo primò cum Chrysost. hom. 5. de pœnit. *hîc alia virtutum opera subticeri. Poterat enim dicere, venite ad me benedicti quod casti, quod virgines vixistis, quod Angelicam conversationem suscepistis. Sed tacet hæc : non quod memoria sint indi-* Eleemosyna primarum obtinet inter virtutes.

gna: sed quod post clementiam sint secunda. Si igitur miseri cordia in pauperes primum obtinet locum in assequutione gloriæ, primum etiam obtinebit locum in signo prædestinationis ad gloriam. Quippe ea, quæ in assequutione finis sunt media, ante assequutionem sunt signa. Respondeo secundò largitionem eleemosynarum non solùm obtinere in prædestinationis serie primum locum, sed etiam pœne unicum. Quippe in assequutione gloriæ unicè nominantur à Christo. Quod expendens Augustinus in Enchirid. cap. 69. *eleemosynis*, inquit, *tantum tribuit Scriptura divina, ut earum tantummodò fructum se impertiturum pronunciet Dominus dextris; & earum tantummodo sterilitatem sinistris.* Id autem, non quia hæ sint unicum virtutis opus remunerando; aut negatio eleemosynæ sit unicum peccati genus damnandum. Sed quia, cum ad perseverantiam finalem adultorum requirantur specialia, & efficacia Dei auxilia, hæc divitibus adultis dantur, aut denegantur potissimùm propter eleemosynas datas, aut negatas. His enim, qui largiter eleemosynas erogant, erogantur etiam à Deo largiùs auxilia specialia tum in decursu vitæ, tum maximè in fine vitæ: sive ad præservandum, sive ad resurgendum à peccato. Iis verò, qui eleemosynas denegant, hujusmodi auxilia justissimè denegantur. Et ideo, quia saltem radicaliter ab his potissimùm pendet salus, aut damnatio: ab his etiam potissimùm prædestinatio, aut reprobatio sumitur. Quæ est solutio ejusdem Chrysostomi hom. cit. de pœnit. ubi: *Non*, inquit, *dixit ite maledicti, quia fornicati estis, quia furtum, aut falsum testimonium fecistis, periuraslis. Quare, Domine, virtutum aliarum non recordaris? non indico, inquit, peccatum, sed inclementiam: non peccatores, sed immisericordes indico. Ob inclementiam vos damno, quod talem, ac tantam salutis medicinam, eleemosynam scilicet, qua amoliri, atque abstergi omnia peccata potuerunt, tantum beneficium despexistis. Itaque inclementiam vitupero tanquam malitiæ radicem.*

Augusl. In quo sensu soli eleemosynæ promittatur prædestinatio, soli immisericordiæ reprobatio.

Luca 16. Quintus locus est Lucæ 16. *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Hortatur ad eleemosynam. Quippe mammona iniquitatis vocantur divitiæ; sive quia, ut notat S. Hieronymus in Matth. cap. 6. *de iniquitate collectæ sunt:* sive causaliter, ut volunt alij, quia impellunt ad iniquitatem. Si ergo divitiæ impensæ pauperibus *faciunt nobis amicos, qui recipiant nos in æterna tabernacula*, utique eleemosynarum largitio prædestinationis est signum: sicut signum est quod quis admittendus sit ad aulam regiam, si eò munera, & amicos præmittat. Ideo, ut refert Gregorius hom. 32. in Evang. cum quædam matrona duobus peregrinis eleemosynam obtulisset, ij alacriter responderunt, *nos te requirimus in die judicij: & quidquid possumus, tibi præstabimus.* Quapropter erogando eleemosynas, ut notat idem

Hieronym.

Gregor. Pauperes efferunt se in die iudicij patronos.

Gregorius lib. 21. moral. cap. 14. debemus cogitare quod patronis potiùs nos *recepturis in aterna tabernacula* munera offerimus, quàm egenis dona largimur. Ex quo colligitur prædestinationis signum præclarius esse penes pauperes, qui eleemosynam recipiunt; quàm penes eos, qui dant. Illi enim in Paradiso dominium obtinent, ut de eo possint disponere ad libitum, recipiendo etiam alios tanquam in domos proprias. Quod advertens Theophylactus in hunc locum, *Theoph.* *Æterna*, inquit, *tabernacula pauperibus in Christo constituta sunt: in quæ possint eos recipere, qui hîc ipsis amicè largiuntur de bonis. Felix permutatio, in qua temporalia mutantur æternis.* Hoc autem videtur potissimùm verificari de eleemosynis erogatis in pauperes voluntarios, de quibus dicitur Matthæi 8. *Beati pauperes spiritu, quoniam* *Matth. 8.* *ipsorum est regnum cælorum.* Ita enim hoc regnum ipsorum est, ut ad ejus participationem admittant etiam amicos. Ideo Christus, *facite vobis amicos*, &c.

Sextus locus est Pauli ad Coloss. 3. *Induite vos, sicut electi Dei,* *Coloss. 3.* *sancti, & dilecti, viscera misericordiæ.* Ergo hæc viscera propria sunt electorum Dei. Ergo signa electionis, & dilectionis Dei. Neque mirum, quandoquidem hæc eadem viscera cognovit in Deo Zacharias, dum dixit *Per viscera misericordiæ Dei nostri*, Lucæ 2. Ideoque Deus dicitur à Paulo 2. Corint. 1. *pater misericordiarum.* Cum *2. Cor. 1.* in Deo sit pariter misericordia, & justitia, & multa opera ex divina justitia prodeant, non dicitur pater justitiarum, sed *pater misericordiarum*: quia scilicet opera justitiæ originem sumunt non ab intrinseco, sed ab extrinseco, nempe à peccatis, & culpis: quæ sunt omnino à Deo aliena. Opera verò misericordiæ sumunt originem ab intrinseco, nempe ab ipsiusmet Dei visceribus: quæ sunt viscera misericordiæ. Et sic opera misericordiæ Deum agnoscunt tanquam parentem, è cujus visceribus sunt genita. Ideo dicitur *pater misericordiarum.* Est animadversio Bernardi in natali Domini sermon. 5. ubi *Bernard.* *Rectè*, inquit, *non pater iudiciorum, vel ultionum dicitur, sed pater misericordiarum; eò quòd misserendi causam, & originem sumat ex proprio: iudicandi, vel ulciscendi magis ex nostro.* Ideo Paulus *induite sicut electi Dei viscera misericordiæ*, quæ signa sunt electionis, & dilectionis specialis Dei, quia conformantur visceribus misericordiæ Dei nostri.

Deus Curdicatur pater misericordiarũ.

Probatur idem secundò rationibus ductis etiam è Scripturis, & CLXXXV. Patribus, sed per mediatas consequentias. Prima ratio. Eleemosyna removet omne prædestinationis impedimentum. Ergo prædestinationis est signum. Consequentia patet, quia removens prohibens est aliquo modo causa efficiens, dum existit: & sic signum antequam existat. Antecedens probatur, quia omne prædestinationis impedimentum reducitur ad peccatum, quod solum est deviativum à fine

Eleemosyna quomodo tollat peccata?

ultimo. Sed eleemosyna tollit peccatum, tum afferendo remissionem peccati commissi, tum præservando à futuro. Quod significatur Tobiæ 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat.* Quippe, ut ait S. Leo serm. 2. de Ascens. *Per charitatis largitatem omne peccatum vincitur, aut declinatur.* Peccatum commissum *vincitur*, committendum *declinatur*.

Tob. 4.

S. Leo.

Confirmatur primò ex Dan. 4. *peccata eleemosynis redime, & iniquitates misericordijs pauperum.* In quo observandum est, peccata Nabuchodonosor apud Deum fuisse gravissima, de quorum punitione Deus per os Danielis jam sententiam tulerat: & tamen eumdem Danielem eorum veniam non desperasse, si ad ea redimenda adhibita fuisset eleemosyna. Notanda est etiam versio Arabica, quæ ita legit, *peccata tua eleemosynis, quasi syndone involue.* Quia sicut syndone deformitas tegitur, ita eleemosynis deformitas peccatorum. Sed melius vulgata, redime: quasi, persoluto pretio, redimatur per eleemosynas homo à captivitate peccati: & tollatur omne debitum per servitutem contractum. Quamobrem sicut dicimur redimi à peccatis Christi sanguine; ita suo modo dicimur à peccato redimi eleemosynis, *peccata tua eleemosynis redime.* Ideo in testamento cujusdam Petri illustris viri, quod refertur à Baronio anno 103. habentur hæc verba, *cœpimus cogitare, & quærere consilium à sacerdotibus, qualiter innumerabilia peccata nostra redimere potuissemus, & à pœna æterna evadere. Accepimus ab eis consilium, præterquam renunciare sæculo, nihil esse melius, quàm eleemosynarum virtutem, & de proprijs rebus, & substantijs monasterium construere.*

Dan. 4.

Baronius.

Confirmatur secundò ex Eccles. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua: & eleemosyna resistit peccatis.* Iure optimo eleemosyna comparatur aquæ: quia in extinguendis peccatis videtur novus quidam baptismus. Quod expendens Cyprianus de opere, & eleemos. *Hic*, inquit, *ostenditur, & probatur, quod sicut lavacro aquæ salutaris baptismi gehennæ ignis extinguitur; ita eleemosynis, ac iustis operibus delictorum flamma sopitur.* Ita fit, ut interdum unicus panis misericorditer erogatus, causa sit ut Deus det speciale aliquod auxilium ad resurgendum à peccato: ac proinde sit causa, & semen salutis. Quod observans Augustinus hom. cit. *Dedit*, inquit, *Deus nobis secundum baptismum. Nam sicut aqua extinguit ignem: ita eleemosyna extinguit peccatum. In substantijs nostris habemus abundantiam, quæ flammas nostras oblatione unius panis extinguit.* Huc facit quod narrat Leontius in vita S. Joannis Eleemosynarij de quodam Petro teloneario. Qui, cum semel panem unicum petenti egeno dedisset, raptus paulò post ad judicium, conspexit à Dæmonibus multa sua delicta in statera suspendi. Cum verò à bonis Angelis quærerentur aliqua ejus bona opera, nec reperirentur; tandem panis ille prolatus est, quem paulò antè inopi de-

Eccles. 3.

Eleemosyna novus baptismus. Cyprian.

Augustin.

derat:qui in altera stateræ parte libratus,æquale pondus tulit in lá-
ce.Ita Petrus liber evadens,ut advertit idem Leontius,summus elee-
mosynarius factus est:adeo ut nec proprio corpori parceret. In hoc
adamussim impletum est,quod ait Augustinus, *nostras flammas oblatione unius panis extingui.* Consonat id, quod dicitur Lucæ 11. *Date eleemosynam,& ecce omnia munda sunt vobis.* Hac quippe aqua mundantur animæ maculæ veluti novo baptismate. Quamobrem S.Laurentius Novariensis Episcopus homil.de pœnit.*Aqua*,inquit,*ablutio, & remissio in eleemosyna est largientis.Ne differas ablui inquinatus fontibus eleemosynæ,ut rursus in baptismatis fontem redeas.* Sicut igitur, si in uniuscujusque potestate esset iterum baptismi aqua expiari, nemo esset tam vecors, qui id non maximè discuperet; atque aurum, si opus esset, ad id consequendum prodigeret: ita planè ardentibus quisque studiis ferri deberet ad novum hunc baptismum, quem SS. Patres in eleemosyna collocant.Et sicut baptismus culpam simul remittens, & pœnam, maximum est prædestinationis pignus iis, qui proximè post susceptum baptismum ex hac vita migraverint: ita proportionaliter iis,qui post multas eleemosynas, quasi post sæpius repetitum baptismum, decesserint. In hoc enim eleemosyna præfertur baptismo, quod lavacrum hoc semel susceptum non licet resumere;lacrum eleemosynæ licet.Quod animadvertens Ambrosius ser. 1.in hæc eadem Ecclesiastici verba *sicut aqua extinguit ignem ita eleemosyna*,&c. *Quodammodo*, inquit, *eleemosyna aliud est lavacrum: nisi quod indulgentior est eleemosyna,quàm lavacrum. Lavacrum enim semel datur* (nempe baptismus) *eleemosynam verò quoties feceris, toties veniam promereris.* Quid non sperandum ab hoc frequentissimè repetito baptismate non solùm ad remissionem culpæ, sed etiam pœnæ?

Luca 11.

S.Laurent. Novarien.

Ambros. Eleemosyna præfertur baptismati.

CLXXXVI.

Secunda ratio.Omne id,quod præstat efficaciam orationi,prædestinationis est signum.Sed eleemosyna est hujusmodi. Ergo,&c.Major patet,quia tum salus, tum media ad salutem habentur à Deo:qui ea dat petentibus. Ideo conjungitur oratio,& misericordia, Psal.65. *qui non amovit deprecationem meam, & misericordiam suam à me.* Minor probatur, tum quia pauperes intercessores sunt potentissimi apud Deum. Quippe, ut habetur Psal.21. *Deus non despicit deprecationem pauperis.* Tum quia ipsamet eleemosyna, etiam tacente paupere, efficacissimè orat apud Deum. Idcirco dicitur Eccles. 29. *Conclude eleemosynam in corde pauperis: & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Iansenius, & alij legunt, *In sinu pauperis*, quia scilicet, ut ait Basilius apud Cornelium in hunc locum, *horrea divitum sunt ventres pauperum: & manus pauperum sunt gazophylacium Christi.* Sed melius vulgata *in corde pauperis*; idest, ut explicat Cornelius, & alij, *in ventre, & stomacho pauperis*, quasi in ea arca tutiùs asser-

Eleemosyna efficaciam præstat orationi.

Psal.65.

Psal.21.

Eccles.29.

vetur. Subditur. *Et hæc pro te exorabit ab omni malo:* sive ut alij, *ab omni afflictione liberabit.* Ideo subditur, *super scutum potens, & super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit.* Scutum est armaturæ genus defensivæ; lancea, offensivæ. Pro utraque est eleemosyna: quæ *super scutum, & super lanceam pugnat.* Quod observans Glossa: *Eleemosyna*, inquit, *super scutum, quod est armatura ad defendendum; & super lanceam, quæ est armatura ad invadendum, adversus inimicum, scilicet diabolum, pugnabit, protegendo in eius tentationibus, & ipsum per victoriam repellendo.* Sed, quod magis facit ad probandum intentum, expendenda sunt illa verba, *hæc pro te exorabit.* Non dicit, pauper orabit, sed *hæc orabit:* quia non pauper, sed eleemosyna est, quæ orat. Quare etiamsi pauper interdum improbus sit, & nullius apud Deum meriti: quodammodo, ut dici solet in Sacramentis, ex opere operato eleemosyna ipsa clamat, rogat, impetrat. Neque dicitur, orabit, sed *exorabit:* quod propriè est orando, id, quod petitur, impetrare. Quippe eleemosyna aditum habet paratum ad conspectum, & aures Altissimi. Idcirco dicitur Act. 8. Cornelio centurioni, *eleemosynæ tuæ, & orationes tuæ ascenderunt in calum.* Priùs dicitur, *eleemosynæ*, deinde *orationes.* Quia licet oratio citissimè ad Deum ascendat, priùs tamen ascendit eleemosyna, quàm oratio. Quippe, ut ait Chrysostomus homil. 7. de pœnit. *pennata est eleemosyna, aureas habens alas, ipsos oblectans supra modum Angelos.* Ideo Cornelio dicitur, *eleemosynæ tuæ ascenderunt in calum.* Immo neque oratio, neque pœnitentia ipsa Cornelij ascendisset in cælum, nisi pennis innixa eleemosynæ. Quod advertens Chrysostomus hom. 6. de pœnit. *Pœnitentia*, inquit, *nisi pennatam habuisset eleemosynam, nequaquam ascendisset in calum.* Neque eleemosyna solùm facillimum aditum habet ad Deum: verum etiam, quod vix de Deipara dicitur, divino solio assistit, non pedissequa, sed Regina. Quod argumentum aurea planè prosequitur eloquentia idem Chrysostomus serm. 9. in Matth. ubi: *Eleemosyna*, inquit, *semper Deo propinqua est; pro quibuscumque voluerit facilè munus gratiæ impetrat. Huic cum multa fiducia portæ cæli aperiuntur? & veluti regina intrante, nullus ianitorum audet dicere, quæ tu es, vel unde? Virgo est, habens alas aureas* (eo nempè auro, quod pauperibus erogatur) *semper intra solium regale consistens.* Si eleemosyna, ex Chrysostomo, *portæ cæli aperiuntur, intratque veluti regina:* magnam profectò habet eleemosynarum largitor suæ prædestinationis arrham; utpotè qui eleemosynam ad Cælum præmiserit: quæ regni cælorum veluti anticipatam possessionem suo nomine capiat.

Eleemosyna scutum, & lancea.

Glossa.

Act. 8.

Chrysost.

Eleemosyna pennata.

Eleemosyna Christi solio assistit ut regina.

Eleemosynæ alæ aureæ.

Eleemosyna reddit Deo similem.

1. Ioan. 3.

Tertia ratio. Eleemosyna reddit hominem Deo similem. Ergo prædestinationis est signum. Consequentia patet, quia prædestinationis ultimus terminus est completa similitudo cum Deo, 1. Ioan. 3.

similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Antecedens probatur ex Lucæ 6. *estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.* Similitudinem cum Deo requirit non in omnipotentia, neque in quovis alio divino attributo, sed in misericordia, tanquam in proprio Dei charactere, seu nota. Quod expendens Gregorius Nyssenus tract. de beatit. *si misericordia*, inquit, *appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi ut Deus fias, tanquam insignitus nota propria divinitatis?* Vide ad quam prædestinationis sublimitatem eleemosyna extollat, ut per eam non solùm homo beatus reddatur, & videns Deum, sed etiam quodammodò *Deus fiat.* Et ratio est quia, ut ait Augustinus ser. 5. de Verb. Dom. *omnes mendici Dei sumus: omnes ad ianuam magni illius patrisfamilias stamus.* Ille verò totus est in eleemosynis erogandis largissimè, tum secundùm dona naturæ, dando hominibus quotidie unde alantur, & vestiantur; tum secundùm dona gratiæ, tribuendo omnibus etiam infidelibus auxilia sufficientia ad salutem. Neque, ut ita dicam, alio in negotio Deus momentis singulis occupatur, quàm in eleemosynis largiendis. Ideo idem Augustinus loco cit. *mendici*, inquit, *Dei sumus. Ut agnoscat Deus mendicos suos, agnoscamus nos nostros.* Consonat his, quod dicitur Actor. 20. *beatius est magis dare, quàm accipere:* quia dando magis reddimur Deo similes. Idem Clem. Alexandr. lib. 2. Strom. cap. 9. *Dei*, inquit, *imago est homo benefaciens.* Et Nazianzenus or. 16. *nihil*, inquit, *adeo divinum habet homo, quàm benefacere. Esto calamitoso Deus.* Nihil ad eleemosynæ dignitatem illustrius, quàm quod per eam homo veluti ad divinitatem evehitur. Minùs exaggeratè de hoc quidam sapientiores ex ethnicis. Quippe Ptolemæus Philadelphus Ægypti Rex, teste Ælian, dicere solebat, *regium magis esse ditare, quàm ditescere.* Et Xenophon, teste Stobæo serm. 46. dictitabat, *præclarius esse beneficia post se relinquere, quàm trophæa.* Et Agesilaus, teste Plutarcho in apophtheg. regium dicebat esse, *parva accipere, & magna largiri.* Sed magis præclarè Chrysostomus homil. 33. ad pop. Ant. *melius esse scire artem dandi eleemosynam, quàm esse regem, & diademate coronari.* Quippè hæc non est ars regia, sed divina. Nam, ut ibidem addit, *eleemosyna mortem superat, diabolum cohibet, Deo reddit persimilem.* Ideò Demosthenes rogatus, quid Deo simile haberent homines, respondit, *benefacere.* Sed clarissimè S. Leo sermon. 10. de quadrag. *ubi*, inquit, *Deus veram misericordiam invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit.*

Nyssenus.

Eleemosyna evehit ad Deitatem

Augustin.

Dei occupatio in eleemosynis largiendis.

Act. 20.

Clem. Alex.

Ælianus.

Stobæus.

Plutarch.

Chrysost.

Eleemosynæ ars plusquã regia.

Demosth.

S. Leo.

CLXXXVII. Eleemosyna reddit similes Christo.

Quarta ratio. Eleemosyna reddit nos similes Christo. Ergo prædestinationis est signum. Consequentia patet ex illo Pauli ad Rom. 8. *quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui.* Antecedens probatur, quia tota Christi vita traducta fuit in operibus

Rom. 8.

Act.10. misericordiæ spiritualibus, & corporalibus. Ideò dicitur Act. 10. *qui pertransit benefaciendo, & sanando.* Quamvis autem vitam elegerit pauperem ad solatium pauperum, voluit tamen opera misericordiæ corporalia exercere ad exemplum divitum, pauperibus aliis eleemosynas erogando. Quod evidenter colligitur ex iis, quæ dixit Iudas Marci 14. *poterat unguentum istud venundari plusquam trecentis denariis, & dari pauperibus. Non quia de egenis pertinebat ad eum* (idest, non quia curaret, quod ea eleemosyna daretur egenis) *sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat,* Nempè ea, quæ mittebantur à devotis distribuenda pauperibus, ipse loculos habens, & pecuniæ depositarius, suffurabatur, partem talis eleemosynæ retinendo: erat quippe constitutus à Christo eleemosynarius. Quod expressè adnotavit Beda lib.4. cap.54. in Lucæ 12. ubi: *Ipse,* inquit, *Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse legitur, & à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens.* Hoc idem ad Christi imitationem præstiterunt Apostoli. Quamobrem Paulus Actor. 20. *ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit, beatius est magis dare, quàm accipere.*

Christus eleemosynas erogabat.

Mar. 14.

Beda.

Act.20. Pauli eleemosynæ.

Observandum est Paulum magistrum gentium, cui Orbis totius demandata erat cura spiritualis, laborasse manibus, ut haberet de quo eleemosynam præstaret pauperibus. Quod adnotans idem Beda loco cit. in ea verba Lucæ, *vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam: Hoc,* inquit, *tunc dignè fit, quando quis semel pro Domino suis omnibus spretis, nihilominus post hæc labore manuum, unde & vitam transigere, & eleemosynam dare queat, operatur. Vnde gloriatur Apostolus, omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos.* Hoc autem profitetur Apostolus se facere ex eo quod *meminerat verba Domini Iesu, quoniam ipse dixit beatius est magis dare, quàm accipere.* Hoc ille & dictis præstitit, & factis. Quippe tota ejus vita, perpetua fuit bonorum omnium elargitio: neque ad aliud in terras descendit è cælis, quàm amore compulsus eleemosynæ. Quæ est animadversio Chrysostomi hom. 8. de pœnit. ubi, *ipsa,* inquit, *eleemosyna humanum genus salvabit: ipsa nos Deo reconciliavit: ipsa infinita operata est bona. Ipsa filium Dei compulit servum fieri, & semetipsum exinanire. Hanc æmulemur, per quam salvati sumus: hanc amemus.* Tota igitur, ex Chrysostomo, Christi vita, & passio non aliud fuit, quàm quædam eleemosynarum erogatio, usque ad propriarum vestium nuditatem. Qui est perfectissimus modus eleemosynæ, in egestatem redigi ad ditandos egenos.

Beda.

Eleemosynæ amor Verbum ad Incarnationem attraxit.

Chrysost.

Unde

Unde colligere licet Christum ipsum nihil aliud esse, quàm ipsammet divinam misericordiam, obtectam velamine ad miseros sublevandos. Quapropter cum omnes divinæ perfectiones Christo concomitanter in natura divina unitæ sint, tamen non dicitur à Paulo in Christi Incarnatione apparuisse Dei infinitas, potentia, justitia, sed misericordia: *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri Dei*, ad Tit. 3. quia infinitate, omnipotentia, justitia veluti delitescentibus, sola apparuit misericordia. Quod adnotans Bernardus, *apparuerat*, inquit, *potentia in rerum creatione, sapientia in gubernatione: sed benignitas misericordiæ maximè apparuit in Incarnatione.* Idque etiam causæ est, ut æternus Pater ab eodem Apostolo 2. Corinth. 1. *Pater misericordiarum* appelletur: quia scilicet pater Christi est, qui totus misericordia est. Estque observatio Bernardi serm. 5. de natali, ubi *in eo*, inquit, *quod pater misericordiarum dicitur Deus, quis non videat proprio nomine filium designari?* Proprium igitur Christi nomen, ex Bernardo, misericordia est. In quo eodem sensu Deipara dicitur *mater misericordiæ*, quia Christi mater: per misericordiam namque filius designatur. Dicitur autem Deus non pater misericordiæ, sed *misericordiarum:* quia Christus Dei filius juxta multiplicem hominis miseriam, multiplicem exhibuit etiam misericordiam. Quod etiam advertit Bernardus loco citato ubi, *pater*, inquit, *non misericordiæ, sed pater misericordiarum: quia Apostolus nobis in filio duplicem misericordiam commendat. Vnus Dei filius, unum Verbum: sed miseria nostra multiplex multitudinem quærit misericordiarum.* Si igitur Christus quantus quantus est, misericordia est: & hac, juxta dictum Bernardi, tanquam *proprio nomine designatur:* necessariò sequitur misericordes esse maximè conformes Christo, atque ut ita dicam quidditativè: quia eius nomen, & quidditas potissimùm misericordia est. Unde fit, ut habeant characterem electorum, qui est, juxta Paulum, *ut sint conformes imaginis filij sui*, ad Rom. 8. Idcircò quippe in Incarnatione non potentiam, aut majestatem, sed misericordiam exhibuit, ut possint huic homines conformari. Quandoquidem, ut notat idem Bernardus, *potestas subiectionem, maiestas exigit admirationem: neutra imitationem. Apparuit bonitas, cui possit homo, qui ad imaginem Dei creatus est, conformari.*

In Incarnatione sola apparuit misericordia. *Bernard.*

Christi nomen proprium misericordia.

CLXXXVIII

Quinta ratio. Per eleemosynam acquiritur jus ad gloriam. Ergo eleemosyna signum est prædestinationis ad gloriam. Consequentia patet ex terminis. Antecedens probatur, quia per eleemosynam fit quidam contractus cum Deo, isque multiplex. Primus est contractus depositi. Sicut enim pecunia ab avarissimo quoque deponitur in tabulis nummariis apud fideles depositarios, qui eam in ferreis arcis asservant, ac suo tempore reddunt: ita per eleemosynas non amittitur

Eleemosyna est contractus depositi.

Eleemosyna claditur in sinu pauperum tanquam in arca.

pecunia, sed in sinu pauperis quasi in arca concluditur, juxta illud Eccl.29. *conclude eleemosynam*, sive, ut alij, *absconde eleemosynam in sinu pauperis*, eandem recepturus in sinu Abrahæ. Quia, ut notat Chrysologus serm.8.de jejunio & eleemosyna, *manus pauperis sinus est Abrahæ: ubi, quicquid pauper accepit, mox reponit.* Si igitur de unoquoque fidelium rogat Ecclesia, ut ejus *anima suscipiatur ab Angelis, & perducatur in sinum Abrahæ*, in eo utique erogata eleemosyna custoditur: quia *manus pauperis sinus est Abrahæ.* Parum est abscondi *in sinu Abrahæ*, dum dicitur *absconde eleemosynam in sinu pauperis:* quia absconditur in ipsomet sinu Dei opportuno tempore restituenda, absque ullo aut fisci sequestrantis, aut latrunculi suffurantis periculo. Ideo Cyprian. tract. de oper. & eleemosyna *Patrimonium*, inquit, *Deo creditum nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua furantis evertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur.* Si igitur avari pecuniam plerumque abscondunt in sacculis, quam fidelissimis depositariis fide publica custodiendam tradunt, ut de ea thesaurizent: æstimare debent eleemosynas abscondi in sinu pauperis tanquam thesaurum in sacculo. Ideo dicitur Eccles. 17. *vir eleemosynarius quasi sacculus cum ipso*, ut legit Lyr. utique sacculus absconditus in cælo ad thesaurizandum: quia, ut notat Chrysostomus serm. citato, *manus pauperis thesaurus est cæli. Quod suscipit, ne pereat in æternum, reponit in Cælo.* Quod significatur Eccles. cap.29. dum dicitur, *pone thesaurum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum.* Ubi Glossa *pone thesaurum in præceptis altissimi, qui præcepit fieri eleemosynam.* Quia, ut supra diximus ex Basilio, *manus pauperum sunt gazophylacium Christi.* Concludamus hoc cum Chrysostomo homil.7. de pœnit. ubi *transfugæ*, inquit, *sunt opes: quomodo tenebuntur? custoditæ fugiunt: permanent distributæ.* Hæc de primo contractu depositi.

Eleemosyna thesaurus repositus in sacculo.

Eleemosyna contractus mutui.

Secundus contractus est mutui. Ideo Proverb. 19. *fœneratur Domino, qui miseretur pauperi.* Unde sequitur in die judicij eleemosynarum largitorem non tam debere Deo rationem reddere, quàm à Deo mutui rationem exigere: neque tam Deum respicere ut creditorem, aut judicem; quàm ut debitorem, ac pæne reum. Quod advertens Chrysostomus homil.5.de pœnit. *qui miseretur*, inquit, *pauperis, fœneratur Deo. Si Deo fœneretur, is ergo nobis debitor erit.* Ad-

Eleemosyna est mutuum cum usura.

de non esse simplex mutuum, sed fructuosum, cum fœnore. Idcirco non dicit Scriptura, mutuatur, sed *fœneratur Deo:* ut, ad capiendos avarorum animos, ostendat mutuum reddendum esse cum usuris. Quod advertens Basilius in Psalm. 38. *cur*, inquit, *non dixit, qui miseretur pauperis, dat Deo? novit Scriptura avaritiam nostram insatiabilem; quæ sibi majorem ad habendum proponit redundantiam, semperque plus quærit. Ideo non dixit, dat Deo; sed fœneratur Deo:*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ut avarus, & lucri cupidus audito usurarum nomine se misericordiæ dederet. Usura autem hæc non est qualiscumque : cum non centum pro centum, sed pro uno reddatur centuplum : quæ usura est inaudita, atque apud omnes inusitatissima. Quamobrem idem Chrysost. homil. 33. ad pop. Ant. fusè probat clementiam esse *artem omnium quæstuosissimam*, & homil. cit. de pœnit. *centum*, inquit, *quaris? ego centuplum tribuo. Hanc itaque, quam in pauperes facis eleemosynam, in fœnus à me accipis.* Tradunt nostrorum epistolæ de rebus Iaponicis apud eos populos in more positum, magnam à divitibus vim pecuniæ Bonziis, qui apud eos veluti sacerdotium obtinent, erogari; accepta ab iis syngrapha, qua eandem pecuniam se promittunt in altera vita cum fœnore reddituros. Hac syngrapha apud eos populos sibi divites beatitudinem pollicentur, quæ pauperibus desperanda proponitur. Quod Iaponibus inanis error, ac superstitio, hoc nobis Christiana, ac vera spondet religio, supremæ veritatis, quæ nec falli potest, nec fallere, firmissimis innixa promissis. Quicunque ergo eleemosynas erogat, syngraphan hanc accipit Dei manu subscriptam de pecunia erogata excipienda cum fœnore. Quippe, ut ait S. Leo serm. 6. de jejun. *Deus fidejussor est pauperum, & largissimus redditor usurarum.*

Chrysost.

Syngraphæ apud Iapones de pecunia reddenda in altera vita.

S. Leo.

CLXXXIX Eleemosyna contractus est emptionis.

Tertius contractus est emptionis: cum ematur eleemosynis ipsummet regnum cælorum. Ideo Chrysostomus hom. 6. de pœnit. *mercatura*, inquit, *& negotiatio tua cælum est. Da pauperi, & accipe paradisum: parva da, & magna suscipe: da mortalia, & immortalia recipe.* Augustinus etiam in tract. de misericordia : *Eroga*, inquit, *terram, ut emas cælum : age illi gratias, qui rem tam pretiosam tam vili pretio te facit emere. Das unde sustentetur fames hominum : accipis unde sis socius Angelorum.* Petrus Chrysologus serm. 8. de jejunio, & eleemosyna. *Da*, inquit, *homo pauperi terram, ut accipias cælum : da nummum, ut accipias regnum : da micam, ut accipias totum.*

Sed ex his oritur dubitatio quomodo dicatur cælorum regnum eleemosynis emi, si ex oraculo Christi, *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. 11. Ad quod respondeo regno cælorum hanc vim adhiberi non tam ferro, quàm auro, argentoque. Quadrat in hoc tritum illud Proverbium, *argenteis hastis pugna, & omnia vinces.* Argento enim pauperibus erogato, quasi argenteis hastis pugnatur. Ideo dicitur Eccles. 29. *eleemosyna super scutum potens, & super lanceam pugnabit.* De quo suprà. Huc etiam facit adagium illud Philippi Regis Macedonum, qui *nullam dicebat esse arcem adeo munitam : quæ, si eò iumentum accederet auro onustum, expugnari non posset :* nempe subornatis largitione custodibus. Quò alluśit vates Lyricus dum dixit, *aurum per medios ire satellites, &*

Matth. 11.

Cælum hastis argenteis per eleemosynã expugnatur.

perrumpere amat saxa potentiùs ictu fulmineo. Arx igitur cæli munitissima non pilis ferreis expugnatur, sed aureis. Ideo Chrysologus serm. cit. *da nummum, ut accipias regnum.* Bellum ergo cælo infertur nummarium, nempe largitione nummorum: ac proinde violentia, qua *violenti rapiunt illud*, sita est in superando amore inordinato divitiarum. Benè igitur cohærent quod *regnum cælorum vim patitur*, & quod acquiritur per emptionem: eò quòd fiat vis cælo largitione pecuniæ. Et quia hoc fit dando, & recipiendo: ideo intervenit contractus dati, & recepti. Quod innuit Chrysostomus hom. 6. de pœn. *da panem, & recipe paradisum*, ecce contractum dati, & accepti: qui non est nisi contractus emptionis. Quia verò per emptionem transfertur dominium ad emptorem, hinc est ut eleemosynarum largitor habeat signum prædestinationis ampliſſimum: ac proinde feliciter hic vivit, ac securus moritur, tanquam perventurus ad cælestem domum, quam sibi suo ære coëmit. Quod si hoc alicui videatur exaggeratè dictum, intelligat esse dictum Augustini lib. 50. homil. in principio, ubi: *Cultor*, inquit, *elemosynarum, ex eo quod ære suo comparavit cælum, feliciter vivit, & securus iam moritur.* Claudam hæc cum eodem Augustino lib. de eleemosyna, ubi: *Hæc est*, inquit, *solatium grande credendum, totius virtutis nostræ præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati, corona pacis, qua promeretur Christum iudicem, & Deum computat debitorem.* Quid ad prædestinationis signum præclarius quàm id, quo quis veluti sub su oponit dominio regnum cælorum?

Eleemosynarum cultor felix vivit, securus moritur.

Eleemosynæ encomia.

Hæc autem limito primò quòd eleemosyna non sit de bonis, sive è rebus malè acceptis alicui certo Domino debitis. Hujusmodi enim eleemosynæ non sunt prædestinationis signum, sed reprobationis. Quamobrem Augustinus lib. de vita Christiana c. 12. *Aliqui*, inquit, *per hoc se iustificatos existimant, eò quòd de substantia pauperum exiguam eleemosynam faciant; & de eo, quod plurimis abstulerunt, uni quoddam minimum largiuntur: nutritur unus, unde plures esuriunt; & de multorum spoliis vix pauci teguntur. Non talem eleemosynam Deus quærit: nec vult pietatem sui de alterius crudelitate fomentari.*

Eleemosyna non debet fieri de alienis.

Limito secundò, quod non sit ex motivo vanæ gloriæ, aut jactantiæ. Quippe, *qui faciunt eleemosynam, ut honorificentur ab hominibus, receperunt mercedem suam.* Matth. 6. Quamobrem Chrysostomus lib. 1. de compunct. cordis. *Novi*, inquit, *plurimos eorum præcipuè, qui videntur distribuere indigentibus pecunias suas, non solùm superbiæ, & iactantiæ laqueos incurrisse, sed & vitiorum aliorum multorum. Nonnulli enim ob hoc largiuntur, ut amentur: aut his certè, quos amant: aut quorum erubescunt personas. Sed & alias his similes occasiones incurrunt: per quos non iam mandato Dei opus, quod fa-*

Eleemosyna non debet fieri ex motivo vanæ gloriæ. *Chrysost.* CXC.

ctum est, assignatur, sed voluntati humanæ. Unde fit, ut tale opus merè naturale non possit esse signum prædestinationis ad finem supra omnem naturam,

Limito tertiò, quod eleemosyna non sit facta ad captandam sub ea fiducia peccandi licentiam. Tum quia eleemosynæ factæ in statu peccati, licet si fiant cum debitis requisitis, maximè disponant ad recuperandam gratiam: non tamen merentur aliquod de vita æterna, quæ prædestinationis est terminus: & in hoc sensu dicitur à Paulo 1. ad Corinth. 10. *si distribuero omnes substantias meas in cibos pauperum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*, idest ad meritum vitæ æternæ. Tum quia eleemosynæ factæ ad captandam fiduciam peccandi, Dei justitiam irritant, non misericordiam provocant. Ideo Augustinus lib. 21. de civit. cap. 27. *qui*, inquit, *dicunt, qualitercumque eleemosynas pro peccatis quotidianis, & magnis, & quantacunque scelerum consuetudine, misericordiam posse impetrare divinam, videntur rem dicere absurdam, atque ridiculam.* Rationem reddit infra, *quia hi Christum se in hoc pascere existimant, ut licentiam malefactorum se ab illo emisse vel quotidie potius emere credentes, securi damnabilia tanta committant.* Unde infra concludit, *qui ergo dignas pro suis peccatis eleemosynas facit, prius eas incipiat facere in se ipso: cum scriptum sit, miserere animæ tuæ placens Deo. Hanc eleemosynam, ut Deo placeat, non faciens animæ suæ, quomodo dignas pro peccatis suis eleemosynas facere dicendus est?* Quod si opponitur Tobiæ 4. Quod *eleemosyna animam à morte liberat*; respondet idem Augustinus ser. 33. ex comm. quod *eleemosyna tunc animum liberat, si criminosus mortifera peccata iam deserat: ne substantiam suam offerat Deo, & animam tribuat inimico.* Idem in Enchirid. *qui vult*, inquit, *ordinatè dare eleemosynam, debet incipere à se ipso: est enim eleemosyna opus misericordiæ: verissiméque dictum est, miserere animæ tuæ placens Deo.* In hoc observandum est, juxta Hieronymum, & alios, Nabuchodonosorem sequutum Danielis consilium, *redime eleemosynis peccata tua*, cœpisse eleemosynas pauperibus erogare; ideoque sententiam contra eum prolatam, dilatam fuisse per annum. Sed quia non plenè se correxit; ideo, ut notat in eum locum Cornelius, *amisit bonum clementiæ malo superbiæ.*

Eleemosyna fieri non debet ad captandam fiduciam peccandi. 1. Cor. 10.

Augustin.

Hæc quoad triplicem limitationem nostri dicti. Quod idem tamen amplio primò ad eos, qui vel exiguam eleemosynam faciunt, quia majorem non possunt. Ideo dicitur Isaiæ 58. *frange esurienti panem tuum*: quia scilicet, qui non potest panem integrum dare pauperi, frangat, & det dimidium. Quæ est animadversio Glossæ, *Frangat*, inquit, *panem, qui dare totum non potest.* Ideo Aug. in Psal. 49. *Quid tam vile quàm frangere esurienti panem? Tanti valet regnum cælorum. Si non habes facultatem frangendi panem, non habes domum in quam*

Eleemosyna vel exigua prodest non exiguè. Augustin.

inducas, non habes vestem qua cooperies; da calicem aquæ frigidæ, mitte duo minuta in gazophylacium. Tantum enim meruit vidua duobus minutis, quantum Zachæus dando dimidium patrimonium. Tanti valet (regnum cælorum) *quantum habueris.*

Amplio secundò ad eos, qui adeo inopes essent, sive ex necessitate, sive ex voluntaria paupertate, ut nihil dare possent. Ideò dicitur Prov. 19. *fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Non dicit, qui eleemosynam erogat; sed *qui miseretur.* Quia, qui eam dare non potest, & ex corde elicit actum compassionis de miseria pauperis, paratus ad dandum, si haberet: utique eo modo *fœneratur Domino,* ac si daret. Ideo Augustinus in serm. com. serm. 7. *Fortè aliquis dicit, Ego terrenam substantiam non habeo, quam possim pauperibus erogare. Accipe præclarum & præcipuum eleemosynarum genus: sit in te bona voluntas: omnes homines, sicut teipsum, diligas: pro omni ora: hoc illis desidera, quod tibi velis, &c.* Unde fit ut à pauperibus & à religiosis paupertatem voventibus eleemosyna fieri possit oratione & desiderio. Quemadmodum de sancto Antonio Patavino tradunt, qui Salutationem Angelicam pro paupere petente eleemosynam recitabat. Quapropter idem Augustinus in Psal. 103. *Si potes,* inquit, *dare, da: si non potes, affabilem te fac: coronat Deus intus bonitatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat, Non habeo: charitas de sacculo non erogatur.* Quippe actus internæ & externæ commiserationis vicem supplet eleemosynæ. Ideo Nazianzenus oratione de amandis pauperibus, *Da,* inquit, *aliquid vel exiguum inopi: non erit exiguum ei, qui rerum omnium eget: modò pro facultate tribuatur. Loco magni muneris, affer solatium. Si nihil habes, collachryma.*

August.

Eleemosyna erogari potest desiderio, & cõpassione.

Amplio tertiò ad eos, qui exercent opera misericordiæ spiritualia, præsertim præbendo bona consilia, retrahendo peccatores à peccatis, & reducendo ad statum gratiæ. Ratio est, quia hæc eleemosyna est altioris ordinis, per quam animæ esurienti & sitienti præbetur cibus & potus spiritualis: hospes & exul reducitur ad viam patriæ: nudus vestitur habitu gratiæ: ægrotus non solùm visitatur, sed etiam sanatur: mortuus non sepelitur, sed resuscitatur: animæ denique esurienti, erranti, nudæ, ægrotanti, mortuæ subvenitur. Quod expendens Chrysostomus hom. 3. in 1. ad Cor. *Nullius,* inquit, *rei pretium est cum anima conferendum: ne totus quidem mundus. Quare etiamsi divitias innumeras pauperibus dederis, nihil tale efficies, quale is qui convertit animam.* Ideo dicitur Iacobi 5. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Quippe, ut ait Gregorius epist. lib. 6. epist. 27. *Tantò quis erit magis à suis peccatis omnibus absolutus, quantò per eius vitam aliorum animæ è peccatorum suorum nexibus eruperint.* Rationem reddit libro 19. Moralium cap. 6. *Si enim,* inquit,

Eleemosyna altioris ordinis cõversio peccatoris.

Chrysost.

Iacob. 5.

Gregor.

magnæ mercedis est à morte eripere carnem quandoque morituram; quanti meriti erit à morte animam liberare in cælesti patria sine fine victuram? Denique dicitur Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quod de misericordia intelligitur impensa ad sublevandam miseriam tum corporis, tum animæ. Ideo in misericordia maximum prædestinationis signum statuitur. Quippe, ut ait Augustinus serm. 44. ad fratres in Eremo, *sola misericordia hominem ducit ad Deum: sola Deum deducit ad hominem.* Hæc de sexto prædestinationis signo in misericordia repositio. Matth. 5. August.

CAPUT XI.

Sextum reprobationis signum avaritia, & immisericordia in pauperes.

DIco undecimò. Avaritia & immisericordia reprobationis est signum. Hoc dictum colligitur ex præcedenti. Breviter tamen

Probatur primò è Scripturis. Primus locus Prov. 21. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis; & ipse clamabit, & non exaudietur.* Reproborum autem est ad Deum clamare, & non exaudiri, juxta illud Psal. 17. *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret; ad Dominum, nec exaudivit eos.* Consonat Tobias cap. 4. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ut nec à te avertatur facies Domini.* Ex oppositio autem antecedentis sequitur oppositum consequentis, quod si quis faciem suam avertit à paupere, Deus avertit faciem suam ab eo. Ideo Augustinus sermone 5. de verbis Domini, *Quam frontem,* inquit, *habes petendo ad Dominum Deum tuum, qui non agnoscis parem tuum?* Ideo idem Augustinus in Psal. 42. *Vis,* inquit, *orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, ieiunium & eleemosynam. Sine his alis iacet oratio; & sine orationis ascensu non obtinetur misericordia.* Adde sine Dei misericordia salvari neminem. Avaritia reprobationis signum. Psal. 17. CXCI.

Secundus locus est Matth. 25. *Ite maledicti, &c. esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Eodem igitur modo condemnantur, ac si eleemosynam denegassent Christo ipsi petenti: quod peccatum gravissimum foret, & manifestum reprobationis indicium. Quamobrem cætera peccata taceri, quia minora, expressè docet Chrysostomus hom. 6. de Pœnit. ubi *Non dixit,* inquit, *quia fornicati estis, quia furtum feciistis, &c. mala quidem hæc manifestè, sed respectu negantis eleemosynam sunt secunda.* Quia nimirum, posito quod Christus protestatus sit omnibus se suam personam collocare in paupere, injuria facta pauperi, facta est Christo. Ideo dicit ipse re- Eleemosynæ denegatio omnibus criminibus antefertur.

probis, *Quandiu non feciſtis uni de minoribus his, mihi non feciſtis.*

Auguſt. Matth.25. Quod obſervans Auguſtinus tomo 10.hom.39. inter. 50. *Chriſtus*, inquit, *iudex eſſuriſſe & ſitiſſe ſe dicit, & catera in ſuis minimis perpeſſum fuiſſe ſe aſſerit. Date ergo omnibus: ne, cui non dederis, ipſe ſit Chriſtus.*

Chryſoſt. Expendit hoc egregiè Chryſoſtomus hom. 80. in hunc locum Matthæi, *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare. Si inimicus fuiſſem, nonne ad mitigandos flectendoſque crudeles ſuffeciſſent inedia, frigus, vincula, nuditas, ægrotatio? Vos autem neque hæc contuliſtis amico, & Domino, & benefactori.* Chriſtus igitur, qui judex eſt, idem perſonam geret accuſatoris in ſuis membris, nempe in pauperibus, quibus eleemoſyna eſt denegata. Et ſicut miſericordes reperiunt in judicio quot pauperes, tot patronos; ita immiſericordes quot pauperes, tot accuſatores & hoſtes. Quod eſt horrendum & formidabile; quia, ut ait Chryſologus ſerm.40 *excuſari non poteſt, quem fames pauperis accuſabit. Videbit diem malam, qui diem iudicij ſine advocatione paupertatis intrarit.*

Dives epulo damnatus ex negatione eleemoſynæ.

Tertius locus eſt Lucæ 16. ubi inducitur *dives, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, ſepultus in inferno.* Sanè indumenta purpurea, & epulum quotidianum non ſunt ex ſuo genere peccata mortifera, quæ cauſare poſſent damnationem: ſed apponuntur hæ circumſtantiæ, ut declaretur habuiſſe talem divitem de ſuperfluis; de quibus, quia tenebatur facere eleemoſynam Lazaro mendico, & non fecit, ideo *ſepultus eſt in inferno*: non ex purpura, aut epulis, ſed ex omiſſione eleemoſynæ. Ita expreſsè Chryſoſtomus

Chryſoſt. hom.2.de Lazaro, ubi de epulone loquens: *Non quia*, inquit, *dives fuerat, torquetur; ſed quia miſericors non fuit. Ideo non eſt exauditus ab Abrahamo, quia ille non exaudierat Lazarum.* Quod animadvertens Auguſtinus ſermone 25. de verbis Domini ſecundùm Lucam; *Ideo*, inquit, *negatur in pœnis miſericordia diviti: quia ipſe, dum viveret, noluit miſereri: ideo rogans dives non exauditur in tormentis; quia rogantem pauperem non exaudivit in terris.* Obſervandum eſt, quod cùm totum corpus arderet, tamen cruciatus majores ſenſit in lingua, quam ad pauperis contemptum aperuerat, ad dandam eleemoſynam clauſerat. Quæ eſt animadverſio ejuſdem Auguſtini

Auguſt. ſerm.110. de tempore, *ubi: Totum*, inquit, *divitis corpus flammis gehennæ conſumitur, & ſola lingua amplius cruciatur. Ideo ſine dubio in lingua maiorem ſenſit ardorem, quia per eam ſuperbè loquendo contempſerat pauperem: ipſa enim lingua, quæ noluerat dicere ut eleemoſyna pauperi donaretur, graviùs gehennæ flammis exuritur.* Obſervandum eſt etiam in terrenis micas panis quæſitas à paupere, neque obtentas; ab epulone in inferno guttam aquæ quæſitam, nec impetratam; in ſupplicium negatæ micæ. quod expendens Greg. hom.40. in Evang. *Qui vulnerato*, inquit, *pauperi menſæ ſuæ vel micas dare noluit*

noluit, in inferno poſitus uſque ad minima quærenda pervenit: & guttam aquæ petivit, qui micas panis negavit. Hæc omnia ſatis oſtendunt reprobationem epulonis effectum fuiſſe elemoſynæ denegatæ.

Confirmatur, quia non potuit epulo excludi à ſinu Abrahæ, eò quòd eſſet dives: nam Abraham quoque *erat dives valde in poſſeſſione auri & argenti*, Gen. 13. & ſic non potuit ex hoc capite dives excludi à ſinu Abrahæ divitis. Excluſus eſt autem quia Abraham dives quidem fuit; ſed de divitiis eleemoſynas erogabat: epulo verò dives erat; ſed divitias in propria, non in pauperum commoda convertebat. Quod advertens Chryſologus ſerm. 121. *Mirum*, inquit, *quod Abraham quondam dives, nunc divitem ſpernit. Verùm Abraham, fratres, non ſibi ſed pauperi dives fuit: & opes non habere, ſed prorogare geſtivit magis; magiſque in ſinu pauperis, quàm in horreis recondere ſuas ſtuduit facultates.* Quod adeo gratum Abrahamo fuiſſe dicit Chryſologus, ut ne in ipſo cælo ſine pauperum conſortio manere voluerit. Hac enim de cauſa *factum eſt, ut moreretur pauper, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ:* nam, ut ait Chryſologus, *re vera, fratres, parum ſe beatum credidit, ſi in ipſa ſuperna gloria ab hoſpitalitatis pio ceſſaret officio.* *Chryſol.*

Quartus locus eſt ad Epheſ. 5. *ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.* Ecce avarus expreſsè à prædeſtinatione excluditur ut idolorum cultor: ideoque dicitur etiam ad Coloſſ. 6. *avaritia, quæ eſt ſimulachrorum ſervitus.* Unde fit, ut majus reprobationis ſignum conſtituatur in avaritia, tanquam in quadam ſpecie idololatriæ. Cur autem avaritia magis, quàm fornicatio dicatur *idolorum ſervitus*; cum tam fornicator habeat pro idolo perſonam amatam, quàm avarus pro idolo pecuniam: rationem reddit Chryſoſtomus in hunc locum, *quia, ſicut idololatræ venerantur idola, neque ea præ reverentia audent tangere: ita avarus pecunias, quaſi idolum, veneratur, neque eas audet contingere: ſed ſolùm inani earum delectatur aſpectu.* Adderem, unumquemque peccantem mortaliter conſtituere ſibi ultimum finem in creatura: ſed hoc ſpecialiùs pertinere ad avarum, quàm ad alios. Quia fornicarius conſtituit ultimum finem in delectabili: quod habet quidem rationem finis reſpectu appetitus ſenſitivi, ſed non finis ultimi reſpectu hominis, cujus finis eſt honeſtum: & ſic conſiſtit inordinatio in hoc, quod aſſumitur pro fine ab appetitu rationali id, quod ſolùm reſpectu appetitus ſenſitivi eſt finis. Avarus verò finem ſibi conſtituit in pecunia: alioqui, ſi amat pecuniam ut fornicetur, magis fornicator eſt, quàm avarus. Pecunia autem de ſe habet rationem utilis, & ſic non habet rationem finis, ſed medij. Minor autem eſt inordinatio fornicarij, qui præponit finem delectabilem fini honeſto; quàm avari, qui conſtituit ſibi. *Epheſ. 5. CXCII.* *Chryſoſt.*

rationem finis in eo, quod habet tantùm rationem medij. Ideò peculiariùs dicitur avaritia esse quædam *idolorum servitus*: quoniam omnimoda quadam inordinatione constituit sibi idolum, & ultimum finem in medio. Quod non facit fornicator, solùm inordinatè permutans unum finem cum alio, honestum cum delectabili. Unde fit ut avaritia majus quoddam sit reprobationis signum, quàm fornicatio, tum ex ratione dicta: tum etiam quia non rarò venereæ voluptatis assecutio ex nimia consumptione spirituum mœrorem parit, ac nauseam; & sæpissimè dolores, ac morbos: ex quibus fornicandi fomenta deficiunt: contra verò avarus sistit in pecuniæ cupidine, quæ est quodammodo infinita, dum crescit cum ipsa pecunia cupiditas plus habendi. Quod notans Augustinus lib. 50. hom. 30. *divitiæ*, inquit, *amatoribus suis quantò fuerunt ampliores non afferunt satietatem, sed plus habendi cupiditatem.* Hæc autem cum expleri non possit per media licita, trahit sæpissimè ad illicita. Ideo Chrysostomus homil. cum Sarton. & Aurel. acti essent in exil. quæ habetur tom. 5. *Vesana*, inquit, *divitiarum cupiditas morbus est insanabilis: ingens per orbem diffusa fornax, quæ nunquam extinguitur.* & Chrysologus serm. 29. *cupiditas*, inquit, *sævus hostis amando lædit, ditando nudat, frangit fidem, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, admit innocentiam.* Quapropter dicitur 1. ad Timoth. 6. *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva: quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Hæc autem radix extirpatur per charitatem erogando divitias indigentibus. Ideo Augustinus serm. 12. de Verb. Dom. secundùm Matth. *extirpa*, inquit, *cupiditatem, & planta charitatem. Sicut enim radix omnium malorum est cupiditas; ita radix omnium bonorum est charitas.* Ergo, quando hæc cupiditas non tollitur per charitatem, tunc *radix est omnium malorum, & mergit in interitum, & perditionem:* ac proinde reprobationis est signum. Hæc immediatè è Scripturis.

Augusti.

Chrysost.

Chrysol.

1. Tim. 6.

Augusti.

Probatur idem secundò ratione petita etiam è Scripturis. Prima ratio, quia constitutum est à Christo omnibus hominibus quasi lex talionis iis verbis Matth. 7. *qua mensura mensi fueritis, remetietur & vobis.* Ergo ille, qui misericordiam non præstat inopi, jam præscribit Deo, ut misericordiam non præstet sibi. Vnde fit, ut certus sit de modo, quo Deus in judicio est acturus cum illo: sicut certus est de modo, quo ipse egit cum paupere. Alioqui non esset verum, quod *eadem mensura*, &c. Ideo Augustinus homil. 25. de Verb. Domini secundum Lucam: *Non mentitur*, inquit, *modus illius mensuræ, si qua mensura mensi fueritis, ita remetietur vobis. Ideo negatur in pœnis misericordia diviti; quia ipse, dum vixit, noluit misereri.* Præterea S. Leo sermon. 4. de collectis. *Misereantur*, inquit, *pauperum, qui*

Matth. 7.

Augusti.

S. Leo.

ſibi volunt parcere Chriſtum. Qui ergo non miſeretur pauperum, non vult ſibi miſericordiam præſtari à Chriſto: quo nullum majus eſſe poteſt reprobationis indicium. Confirmatur, quia eleemoſyna ſacrificium eſt pro peccato, ex quo Chriſtus propitiatur peccatori. Chriſto autem non propitio, unuſquiſque manet ſub reprobatione. Eſt argumentum Auguſtini lib. 50. homil. 29. *Sacrificium*, inquit, *Chriſtiani eſt eleemoſyna in pauperem: hinc Deus fit peccatis propitius. Niſi autem peccatis propitius fiat Deus, quis remanebit niſi reus?*

Secunda ratio. Divites tenentur erogare ſibi ſuperflua in eleemoſynas indigentibus. Ergo non erogando habent manifeſtum reprobationis ſignum: quia ſunt in ſtatu damnationis. Conſequentia patet. CXCIII.

Antecedens hic ſuppono ex communi Doctorum cum D. Thom. in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 4. in corpor. ubi dicit *id, quod neceſſarium reputatur ad aliquid, quod eſt ultra decentiam ſtatus, debere in eleemoſynam diſpenſari: & hoc cadere ſub præcepto.* Ita certum hoc eſt apud Patres, ut paſſim dicant pauperibus, ſi eleemoſyna denegatur, fieri injuriam; & eos fraudari de re ſibi debitâ, juxta illud Eccl. 4. *eleemoſynam pauperis ne defraudes.* Ideo Ambroſius ſermon. 81. *non majus*, inquit, *eſt crimen habenti tollere; quàm, cum poſſit, indigentibus denegare.* Hieronymus epiſt. 110. quæſt. 1. *ſi plus habes, quàm tibi ad victum, veſtitumque neceſſarium eſt, illud eroga: & in illo debitorem te eſſe noveris.* Obſerva conſtitui à Hieronymo debitum erogandi eleemoſynas de ijs, quæ *neceſſaria non ſunt ad victum, & veſtitum.* Unde fit, ut ij, qui divitiis utuntur ad choreas, ad comædias, ad aulæa, ad famulorum ſatellitia, ad luxus, neglectis neceſſitatibus pauperum, peccent, ex Hieronymo, contra hoc debitum: & retineantur ab eo bona pauperum, quemadmodum debitor bona retinet creditoris. Ideo alij docent, bona non tam eſſe eorum, qui poſſident, quàm pauperum; juxta id, quod dicitur Lucæ 15. *ſi in alieno fidelis non fuiſti.* Quæ verba expendens Auguſtinus lib. 2. quæſt. Evang. cap. 35. dicit *alienas appellari terrenas has facultates.* Quippe ut idem notat in Pſalm. 147. *ſuperflua diviti, neceſſaria ſunt pauperi: aliena retinet, qui iſta tenet.* Quod penſiculatiùs declarans Baſilius conc. 4. de eleemoſyn. *Famelici*, inquit, *eſt panis ille, quem tu apud te detines: nudi veſtis illa, quam tegis: diſcalceati calceus ille, qui domi tuæ putreſcit: egeni argentum, quod poſſides intra arcam: Itaque tot injuria afficis, quot, dum licet, tuis rebus non juvas.* Admirabilius eſt id, quod addit Chryſoſtomus ad pop. Ant. divitem eſſe rerum ſibi ſuperfluarum merum diſpenſatorem: *Tuarum*, inquit, *rerum es, ô homo, merus diſpenſator, non minùs quàm qui Eccleſiæ bona diſpenſat.* Et infra: *Non ad hoc accepiſti, ut in delicijs abſumeres, ſed ut in eleemoſynas erogares. Numquid enim tua poſſides? Res pauperum tibi ſunt creditæ: ſive ex laboribus juſtis, ſive ex paterna*

D. Thom.

Ambroſ.

Hieronym.

Lucæ 15.

Auguſtin.

Baſilius.

Chryſoſt.

Psalm. 111. *hæreditate possideas.* Nihil clarius. Ideo Psal. 111. eleemosyna justitia appellatur, non misericordia. *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi.* Quasi eleemosynam faciens reddat ex justitia id, quod debetur pauperibus: & negans eleemosynam injustè retineat. Ideo Bernard. epist. 42. ad Heron. *Nostrum*, inquit, *est,* Bernard. *pauperes clamant, quod effunditis: nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter vos expenditis.* Quamobrem videntur opes à Deo divitibus dari, ut eas illi reddant in persona pauperum: & esse quasi syngrapha, quæ cum ficta permutatione pecuniæ inter mercatores exerceri solet in iis, quos vocant cambios; in quibus sine ulla transmissione pecuniæ idem dat, idem accipit. Ideo Augustinus lib. 50. homil. 29. de August. eleemosyna loquens: *Deus*, inquit, *ipse dat, ipse accipit: quasi fœnus trajectitium facit.*

Tertia ratio. Divitiæ ferunt secum maximam difficultatem salutis, Matth. 19. cum habeatur ex Christo Matth. 19. *facilius est camelum per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Ergo ad tollendam hanc quasi impossibilitatem ex ore Christi, divitiæ aut debent relinqui propter Christum, aut saltem debent participari cum pauperibus Christi. Ergo dives sine eleemosyna reprobatur: cum nulla alia via diviti relinquatur salutis, nisi per eleemosynam. Ideo Augustinus serm. 25. de Verb. Dom. *via*, inquit, *cæli pauper est: incipe erogare, si non vis errare.* Expressè id docet Beda homil. in nat. S. Benedicti. ubi, *duo sunt*, inquit, *ordines electorum in judicio futuri, unus judicantium cum Domino; de quibus hoc loco memorat, qui reliquerunt omnia, & secuti sunt illum: alius judicandorum à Domino; qui non quidem omnia sua pariter reliquerunt, sed de his tamen, quæ habebant, suas dare eleemosynas pauperibus curaverunt: unde audituri sunt in judicio, venite benedicti, esurivi enim, & dedistis mihi manducare,* &c. Igitur, qui neque relinquit sua, neque dat pauperibus, non est inter ordines electorum. Unde concluditur divitem sine eleemosyna clarissimum continere reprobationis indicium. Ideo idem Augustinus lib. de 12. abus. cap. 4. *dives*, inquit, *sine eleemosyna, qui superflua sibi indigentibus nihil habentibus non distribuit, dum in terra quæsita, in terra diligenti cura custodit, cælestis patriæ patentem thesaurum amittit.*

Quarta ratio. Immisericors in pauperem valde deficit in fide, in spe, in charitate. Ergo habet non unum reprobationis signum, sed multiplex. Consequentia patet ex terminis. Antecedens probatur. Et primò, quod talis deficiat in fide patet, quia eleemosynam non negaret, si crederet Christo dicenti pecuniam erogatam pauperibus non amitti, sed præmitti cum fœnore. Si quis enim alicui pecuniæ cupido pro singulis nummis aureis offerret centum; & avarus ille renueret unum dare accepturus centum: signum esset evidens, quod

ille centum pro uno pollicenti non crederet: aut saltem de fide talis promissi dubitaret. Ergo negans pauperi eleemosynam, Christo promittenti centuplum, non ex corde, & veraciter credit: aut saltem de fide promissionis licèt non signatè, tamen exercitè, & practicè, dubitat. Hùc revocari potest, quod supra diximus, apud Iapones esse in more positum, pecuniam à populis largissimè Bonziis tribui, ad recipiendas syngraphas debiti in altera vita restituendi. Ita plus fidei apud ethnicos fabella obtinet: & mendacium, quàm apud Christianos Christi promissum, & Evangelica veritas.

Secundò immisericors in pauperes notabiliter deficit in spe: quæ, ut ait Clem. Alex. *veluti sanguis est fidei.* Quia, si speraret alteram vitam, curaret utique eò pecuniam transmittere, ubi speraret se diutissimè, idest fine fine, victurum. Qui id negligit, sed opibus tantùm utitur ad commoda præsentis vitæ, signum est non aliam ab eo sperari, quàm præsentem vitam. Patet hoc evidenter in aliis rebus humanis. Qui enim apud exteros degit ad patriam reversurus, eò curat sua bona transmittere, ubi est perpetuum domicilium collocaturus. Si verò procul à patria palatia ædificat, vineas emit; sumptus omnes impendit; signum evidens est, nulla eum spe, aut cogitatione teneri reversionis in patriam. Idem planè judicium de iis faciendum, qui divitias impendunt, sive in struendis palatiis, sive in colendis vinetis, sive in coemendis oppidis, sive in aliis bonis præsentis vitæ. Signum est enim perspicuum, suum fixisse domicilium in hoc exilio; CXCIV. & parum, aut nihil ab eis sperari bona patriæ, & æternæ vitæ: ad quam transmittuntur opes per manus pauperum. Ideo Christus ad *Matth. 6.* eleemosynam adhortans Matth. 6. *thesaurizate*, inquit, *vobis the-* *Chrysol.* *sauros in cælo.* Quod declarans Chrysologus sermon. 8. de jejun. & eleemosyn. *Thesaurus*, inquit, *cæli est manus pauperis: quod suscipit, rapit in cælum. Da igitur pauperi terram, ut accipias cælum: da nummum, ut accipias regnum: da micam, ut accipias totum.* Ex quo manifestè sequitur signum esse reprobationis potissimum hanc avaritiam erga pauperes. Neque enim quis sperare rationabiliter potest in ea cælesti urbe se beatissimè victurum, ad quam nihil bonorum suorum præmittit: cumque omnia ejus bona in præsenti vita sint fixa, signum etiam est, quod tota ejus felicitas terminabitur in hac vita.

Hoc autem tum universaliter reprobationis est signum, tum maximè in eo, qui moriturus nihil, aut parum, in testamentis suæ animæ consulit; totusque est in ditandis filiis? aut familia. Quippe hic facit injuriam maximam Christo, dum illi præponit illa ipsa bona, quæ mox coactus relinquit: eaque mavult amittere, quàm ad cælum transmittere. Quod signum pœnè evidens est cælestem patriam ab hujusmodi homine aut non credi, aut non sperari. Si enim posset

dives suam secum asportare pecuniam, nemo certè esset tam parum sui amans, qui mallet eam filiis relinquere, quàm secum transferre. Intantùm igitur eam aliis relinquit, inquantùm desperat eam secum per manus pauperum transferendam: & sic apparet quod notabiliter deficit in spe.

Confirmatur primò, quia si quis speraret animam posse post mortem vestiri, alioquin nudam appariturum, nemo esset adeo sui immemor, ut vestem secum non ferret. Eleemosyna autem sola vestis est, quæ transferri potest, animam vestitura post mortem. Quamobrem Chrysostomus hom. 84. in Ioan. *eleemosyna*, inquit, *vestis est, quæ resurget. His vestibus fulgebunt, qui tunc audient, esurientem me vidistis, & dedistis mihi manducare. Hæ* (vestes) *faciunt insignes, hæ conspicuos, hæ securos.* Unde infra ita concludit. *Animam vestiamus vestibus semper duraturis. Quod si in hac vita negleximus, saltem in morte nobis consulamus: & ex rebus nostris nobis opem ferre per eleemosynam curemus.*

Eleemosyna vestis in alia vita. *Chrysost.*

Confirmatur secundò, quia si quis speraret animam ex hoc corpore profecturam ferre posse secum comitem subsidio futurum in hoc itinere: nemo esset tam amens, qui vellet hinc discedere incomitatus. Sola autem eleemosyna potest hominem ex hac vita proficiscentem benevolè comitari. Quod perpendens Ambrosius lib. 7. in Lucam cap. 56. *non sunt*, inquit, *hominis bona, quæ secum ferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum.*

Ambros.

Confirmatur tertiò, quia si quis sistendus coram judice tanquam reus capitis, speraret se ferre posse patrocinantem, & advocatum: nemo ita suis rebus malè consuleret, ut ad conservandam filiis pecuniam, seipsum patrono ante judicem spoliaret. Unusquisque autem sistendus post mortem est ante Christum judicem, apud quem eleemosyna patrocinatur. Quod si patronum non curat, aut nimiùm præsumit; aut, quod verius est, desperat suæ causæ: dum in re omnium gravissima apparere vult coram judice absque advocato. Quandoquidem ut ait Chrysostomus hom. 9. de pœnit. *eleemosyna homines celerrimè in cœlorum sedes adducit, advocati optimi loco fungens.* Hæc autem omnia, si dum negliguntur in vita, signa sunt animi parùm aut nihil curantis futuram vitam, multò magis signa desperationis, & reprobationis sunt, cum negliguntur in morte. Tum quia non supereſt ulteriùs benefaciendi tempus: agiturque tunc non de decretis, ut ita dicam, interlocutoriis; sed de sententia finali: qua per totam æternitatem non datur ultrà appellatio. Tum quia, si certum est apud Theologos, ad perseverantiam finalem indigere nos specialibus, & extraordinariis auxiliis gratiæ: quæ à Deo dantur efficacia prædestinatis, ac proinde in iis prope mortem apparent quidam extraordinarij motus, & effectus gratiæ: certè ij, in quibus tunc apparet tam

Chrysost.

exigua æternæ ſalutis cura, ut illi filiorum, aut quorumcumque amorem præferant, non videntur efficaciter cooperari auxiliis extraordinariis gratiæ, quæ dantur in eo ſtatu: & ſic inter extraordinarias etiam tentationes dæmonum non habituri perſeverantiam finalem, ac proinde collocandi inter reprobos.

Quæ omnia expendens Chryſoſtomus tomo 5. ſerm. de gratiis reddendis Deo, ſuadens Chriſtum cum hæredibus cohæredem adſcribendum, portionem illi hæreditatis totius impertiendam; ac de eorum ſalute, qui id facere negligunt, pœne deſperans: *Qua*, inquit, *fueris ratione excuſandus, ſi eum* (Chriſtum) *ad hæreditatis communicationem unà cum filiis non admiſeris? qui tibi & cælos communicaverit: qui mortem, tuam ob cauſam, non obligatus, ſed gratiam facturus ſubierit: pro quibus immenſis in te beneficiis magnum es illi in modum obnoxius.* Et infra: *Morti*, inquit, *proximus ede aliquid quod animi præferat magnitudinem, amoriſque erga Deum, etſi non immenſi, mediocris tamen indicio ſit futurum. Quod ſi ne id quidem per te peractum, qua poteris ratione excuſari, quando nec Dei timor, neque inutilis, & ſupervacua pecuniarum futura poſſeſſio, neque liberis relinquenda ſecuritas, neque ampla illa, & propoſita tibi, & ſervata venia, reddere te humaniorem queant?* Quando igitur in morte defectus apparet miſericordiæ erga pauperes, quos Chriſtus in loco ſubſtituit, ſignum eſt à morituro ſpem ſuam neque collocari in Chriſto, neque figi in cælo: quia, ut notat idem Chryſoſtomus homil. 16. in Matth. *qui eleemoſynam non facit, neque cor habet in cælo, neque ſpem in Deum.* Deficit igitur talis notabiliter in ſpe: quod ſignum eſt pœnè evidens defuturam illi cæleſtem gloriam, quæ eſt objectum ſpei. Neque enim ſperare rationabiliter poteſt ſe à Chriſto hæredem pronunciandum cæleſtis regni: qui Chriſtum conſcribere cum conſanguineis noluit cohæredem terreni boni. Ideo prædeſtinari, juxta conſilium Chryſoſtomi ſerm. cit. de reddendis Deo gratiis, *Chriſtum cum ſuis hæredibus cohæredem adſcribunt: & portionem illi hæreditatis totius impertiunt.* *Chryſoſt.*

Tertiò denique immiſericors in pauperes deficit notabiliter in charitate. Quippe miſericordia pars eſt ſubjectiva charitatis, circa perſonas magis indigentes ſublevativa miſeriæ: ac proinde deficere notabiliter in miſericordia, eſt deficere notabiliter in charitate. Miſericordia autem ſine ſubventione miſeriæ, cum adeſt ſubveniendi facultas, fruſtratoria eſt, & inanis. Quo exemplo explicat Iacob. c. 2. fidem mortuam, quæ ſalvare non poteſt: *Si*, inquit, *frater, aut ſoror nudi ſint, & indigent victu quotidiano, dicet autem aliquis ex vobis illis ite in pace, calefaciamini, & ſaturamini: non dederit autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit? ſic & fides, ſi non habet opera, mortua eſt in ſemetipſa.* Quia ſcilicet, ut notat Auguſtinus lib. de *Iacob. 2.* *Auguſt.* CXCV.

spir. & litt. cap. 32. *Christus est vita fidei.* Sicut autem vita manifestatur per operationes vitales, quibus cessantibus signum est cessare vitam: ita charitas manifestatur per opera misericordiæ ex ea profecta: quibus cessantibus signum est mortuam esse charitatem: neque ampliùs fidem charitate animari. Ideo Bernard. epist. 32. *mortua*, inquit, *fides est, quæ non operatur ex dilectione:* quasi non habens animâ ipsam dilectionem, qua vegetetur, & moveatur ad opera. Negans igitur opera misericordiæ pauperi, signum præfert, quod in eo est fides mortua sine anima charitatis. Fides autem mortua, ut patet, reprobationis est signum. Denique, si ex Aug. tract. 5. in Ioan. *inter filios Dei, & filios diaboli discernit sola dilectio:* utique inter diligentes discernit sola operatio. Quippe, ut ait Gregorius l. 2. in Evang. homil. 30. *probatio dilectionis exhibitio est operis.* Unde fit, ut non exercens opera misericordiæ in pauperes, numerandus sit inter filios diaboli, atque adeo inter præscitos. Ex quo ulteriùs sequitur divitem immisericordem duplex habere reprobationis signum, & immisericordiam, & divitias. Siquidem, ut ait Augustinus lib. de contemp. mundi cap. 5. *si regnum cælorum est pauperum, restat ut infernus sit divitum.*

CAPUT XII.

Sextum prædestinationis, signum, Dilectio inimicorum; Reprobationis, affectus vindictæ.

CXCVI. Dico duodecimò. Prædestinationis signum est dilectio inimicorum.

Matth. 5. Probatur primò è Scripturis. Primus locus est Math. 5. *Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos: ut sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* Huic loco accinit Matth. 5. *beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.* Unde sic arguo. Dilectio inimicorum reddit filios Dei. Ergo & hæredes regni: quia *si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* ad Rom. 8. Ergo prædestinationis est signum: quia prædestinati sunt, qui Christi cohæredes destinati sunt. Confirmatur ex versione Chrysostomi in hunc locum Matt. qui, ubi vulgata *ut sitis filij Patris vestri*, legit, *ut sitis similes Patri vestro.* Unde habetur ex dilectione inimicorum haberi potissimùm filiationem Dei: quia ex ea habetur similitudo Dei. Nempe Dei, ut canit Ecclesia, *proprium est misereri semper, & parcere.* Ideo dicitur Oseæ 11. *non faciam furorem iræ meæ: non convertar ut disperdam Ephraïm. Deus enim ego, & non homo.* Notanda est causalis,

Oseæ. 11.

causalis, *Deus enim ego.* Ideo non ulciscar, neque faciam id, quod dictaret ira, quia *Deus ego.* Parcere igitur divinissimum: sicut etiam conferre inimico beneficia. Hoc enim genere ultionis Deus suas injurias ulciscitur. Quamobrem dicitur Isa. 35. *adducet Dominus ultionem retributionis: ipse veniet, & salvabit nos.* Ideo S. Paulinus epist. 2. *hæc est*, inquit, *vindicta cælestis, inimicum diligere.* Quod animadvertens Augustinus in Psalm. 99. *tantum*, inquit, *accedis ad similitudinem, quantùm proficis in charitate.* Illud planè idem, quod dicit Christus, *diligite inimicos*, &c. *ut sitis filij Patris vestri:* sive, *ut sitis similes Patri vestro, qui in cælis est.* Ex hac similitudine Christus filium Dei se ostendit in cruce. Quando enim pro se alloquutus est Patrem, non patrem appellavit, sed Deum; *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. Quando verò pro inimicis rogavit, disertè appellavit Patrem, *Pater ignosce illis:* quia tunc diligendo inimicos se præferebat filium, juxta illud, *ut sitis filij Patris vestri*, &c. Ideoque Cyprianus lib. de bono patientiæ, *inter cætera*, inquit, *quibus Christus indicia divinæ majestatis expressit, paternam sapientiam tolerantiæ tenore servavit.*

Isa. 35. *Paulin.* *August.* *Cyprian.*

Id porro causæ fuit, ut bonus latro, inter tot crucis opprobria, Christum agnoverit regem cælorum, & filium Dei: non quidem propter miracula eclipsis, terræmotus, &c. quæ, teste S. Leone serm. 2. de passione, nondum evenerant, cum latro conversus est. Sed quia ejus tolerantiam inter tot cruciatus animadvertens, ex tam constanti perpessione divinum in eo aliquid esse conjecit. Quamobrem Hilarius lib. 11. de Trinit. *latro regnum Christi in Christi corpore didicit.* Quid ad credendum permovit, nisi patientia in ejus corporis perpessione patefacta? Immo specialiter, quia tunc rogantem pro inimicis audivit, ideo ad credendum in eum ut verum Dei filium permotus est, ut expresè tradit Euthymius in Matth. 27. qui, *latro*, inquit, *pœnitentia ductus est, audiens quod Christus pro eis, qui eum crucifixerunt, intercederet.* Nimirum filiationem Dei ex dilectione inimicorum agnovit, juxta id, *diligite*, &c. *ut sitis filij*, &c. Si igitur dilectio inimicorum fuit in Christo signum filiationis Dei naturalis, à fortiori erit in nobis signum filiationis Dei adoptivæ: & sic prædestinationis ad regnum. Et si Christus diligendo inimicos, expressit in se similitudinem Patris, nos eadem inimicorum dilectione exprimimus in nobis similitudinem Christi: quæ prædestinatorum est propria, dicente Paulo ad Rom. 8. *quos prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui.*

Christus tolerantiâ suam ostendit divinitatem.

Euthym. S. Latro Christum Dei filium ex inimicorum dilectione cognovit.

Rom. 8.

Nulla autem re magis, quàm inimicorum dilectione in nobis exprimi similitudinem Christi significatur in Cant. 4. & 5. ubi, dum singillatim describuntur membra sponsi, & sponsæ, nulla in eis appareret similitudo. Quippe capilli sponsæ dicuntur *greges caprarum:* ca-

Inimicorũ dilectione Christi similitudo in nobis exprimitur.

pilli sponsi *sicut elatæ palmarum :* genæ sponsæ, *sicut fragmen mali punici:* genæ sponsi, *sicut areolæ aromatum :* labia sponsæ, *sicut vitta coccinea :* labia sponsi, *sicut lilia :* & sic de cæteris. Sola in oculis similitudo laudatur, quod in utroque sint oculi columbini. Nempe sponsæ dicitur, *oculi tui columbarum :* sponso, *oculi eius sicut columbæ :* quia scilicet Christus tot peccata, & offensas, quæ quotidie in illum patrantur, respicit oculis columbinis : & dum irascitur, sicut columba
Hierem. 25. irascitur : quæ sine amaritudine est, sine felle. Ideo dicitur Hier. 25. *à facie iræ columbæ, à facie iræ furoris Domini.* In hoc ergo maximè apparere debet similitudo inter animam prædestinatam, & Christum: quod sint utriusque *oculi sicut columbæ :* quæ carens felle, ut notat
Theoph. Hieronymus in Oseam, *ablatos pullos non dolet :* &, ut notat Theophylactus in 1. Matth. *columba, si eius fœtus auferantur, & persecutionem patiantur, statim ad suas domos revertitur,* utique injuriæ immemor. Talis nimirum similitudo cum Deo non solùm esse debet in oculis columbinis, sed etiam in corde columbino immemore injuria-
Act. 13. rum. Quod satis indicatur iis verbis Actor. 13. *inveni David, virum secundùm cor meum : qui faciet omnes voluntates meas.*

David secũdùm cor Dei dictus propter injuriarum oblivionẽ. *Hilarius.*

Certè David in multis à voluntate Dei recessit : in numeratione populi, in adulterio, in homicidio ; tamen absolutè dicitur esse *secundùm cor Dei :* quia cor Davidis conformabatur cordi Dei in oblivione injuriarum, quas à Saüle, ejusque assectis passus erat quamplurimas. Quod in Davide expendens Hilarius in Psalm. 53. *non,* inquit, *inimicos bello persequitur, neque insidiantibus sibi decertando armis resistit : sed exemplo Domini, cuius & nomen & lenitatem præfigurabat, proditus orat, periclitans psallit, patiens odia gratulatur : & ideo secundùm cor Domini repertus est.* Neque solùm in hoc David se juxta
CXCVII. cor Domini ostendit, quod hostes insectatus non est ; sed etiam quod Semei sibi maledicenti ne verbo quidem succensuit : sed potiùs contra eum, qui ultionem suadebat, exarsit, ut habetur 2. Reg. 19. Quod
Bernard. advertens Bernardus serm. 34. in Cant. *ô verè,* inquit, *hominem secundùm cor Dei, qui se ulciscenti potiùs, quàm exprobranti succensuit!* Similitudo igitur cum Deo, & conformitas cum visceribus misericordiæ divinæ sumitur ex dilectione inimicorum : & ideo ex ea habetur signum filiationis, juxta superiùs dictum ex Matth. 5. *diligite inimicos vestros,* &c. *ut sitis filij Patris vestri :* sive, *ut sitis similes Patri vestro, qui in cælis est.* Ex hac autem filiatione Dei, & conformitate ad imaginem Christi habetur signum prædestinationis ad regnum. Dici enim potest cuilibet inimicis condonanti, quod dictum est Davidi postquam noluit ulcisci de Saüle, *nunc scio quod certissimè regnaturus sis.* Nempe David, ut advertit Chrysostomus, *egressus est de spelunca cum capite coronato : eò quòd hostem dimiserit, & nactus occidendi potestatem, pepercit. Qui enim lætus inimico parcit, iam gloriæ coronam habet in capite.*

Secundus locus est Matth. 6. *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Cui consonat id, quod dicitur Lucæ 6. *dimittite, & dimittemini.* Unde sic arguo. Promittitur remissio peccatorum remittenti injurias. Ergo remissio injuriarum prædestinationis est signum: cum statim Deus remittat peccata, quæ sola sunt prædestinationis obstacula. Quamobrem S. Cyprianus de orat. *addidit,* inquit, *legem certa nos sponsione constringens, ut sic nobis peccata dimitti postulemus, sicut nos debitoribus nostris dimittimus.* Unde fit, ut cum inimico injurias dimittimus, non tam illi beneficia impendamus, quàm nobis. Quod animadvertens Chrysostomus homil. 27. in Genes. *si dimiserit,* inquit, *homo hominibus delicta illorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis. Ne igitur putemus, dum benefacimus alij, quod magnum quoddam beneficium apud illum deponamus: nam ipsi sumus, qui beneficio fruimur; & multum inde boni nobis conciliamus.*

Matth. 6.

Cyprian. Qui inimico injurias condonat, non tam illi, quàm sibi beneficia impendit. Chrysost.

Tertius locus est Matth. 5. *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Quem locum explicans Augustinus lib. 1. de ser. Dom. *illam,* inquit, *credo terram, de qua in psalmo dicitur, spes mea es tu, portio mea in terra viventium. Mites autem sunt, qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum.* Ideo prædestinati appellantur à Christo, *oves: statuet oves à dextris.* Ovium autem est proprium tondenti, & laceranti non obsistere. Quod apparuit in Christo prædestinatorum duce: qui *tanquam ovis ad occisionem ductus est: & tanquam agnus coram tondente se obmutuit,* Isa. 53. Hoc est proprium eorum, qui à dextris collocandi sunt tanquam oves. Hæc è Scripturis.

Matth. 5. August.

Matth. 25.

Isa. 53.

Probatur idem secundò ratione. Dilectio proximi prædestinationis est signum. Ergo multò magis dilectio inimicorum. Antecedens patet ex probatis cap. 10. Consequentia probatur, quia intra genus dilectionis proximi habet primitatem excellentiæ dilectio inimicorum. Tum quia, si diligitur inimicus, multò magis diligetur amicus, & neutralis. Tum quia dilectio inimici est cum circumstantia summè difficultante. Quippe per eam infertur vis propensioni naturali inclinanti ad vindictam. Ac proinde in ejusmodi actibus verificatur dictum Matth. 11. *regnum cælorum vim patitur: & violenti rapiunt illud.* Quamobrem Augustinus in Enchirid. cap. 73. *minus,* inquit, *magnum est erga eum esse benevolum & beneficum, qui tibi mali nihil fecerit. Illud multò grandius, & magnificentissimæ bonitatis est signum, ut tuum quoque inimicum diligas; & ei, qui tibi malum vult & facit, si potest, in bona semper velis, faciasque, dum possis.*

August.

Et ratio est, quia diligere amicum est commune cum infidelibus; diligere inimicum, proprium est Christiani. Ideo Christus Matth. 5. *si diligitis, qui vos diligunt, nonne & publicani hoc faciunt?* Quod

Matth. 5.

expendens Augustinus serm. 61. de temp. *si amas*, inquit, *amantes te filios, & parentes: amant & gentes: amant & dracones: amant & lupi: amant & ursi. Vt ergo superiores simus & gentibus, & bestijs, etiam adversarios diligamus.*

Confirmatur primò, quia si facienti eleemosynam promittitur æterna benedictio Matth. 25. multò magis diligenti ex corde inimicum: quod est genus eleemosynæ altioris. Ideo Augustinus loco cit. *multa*, inquit, *sunt genera eleemosynarum, quas non facimus, ut dimittantur nobis peccata: sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccarit.*

Dilectio inimicorũ pœnè martyrio præponitur. *Nazianz.*

Confirmatur secundò, quia dilectio inimicorum æstimatur actus tam heroïcus, ut pœnè martyrio præponatur. Ideo Nazian. or. 19. *Stephanus*, inquit, *cum lapidaretur, pro lapidantibus orabat: maius aliquid morte Christo offerens.* Quamobrem cum Stephanus *vidit cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* Actor. 7. utique Christus cum tota curia cælesti spectabat pugnam non tam Stephani cum hostibus decertantis, quàm pro hostibus deprecantis. Quippe, dum *pro lapidantibus orabat, offerebat Christo aliquid morte maius.*

CXCVIII. Dilectio inimicorũ in Christo miraculorũ operativa. *August.*

Confirmatur tertiò, quia in ipsomet Christo dilectio inimicorum fuit omnibus eius miraculis admirabilior: immo ipsamet fuit miraculorum operativa. Nam, teste Augustino in Psal. 54. Ideo Christus post resurrectionem exhibuit se discipulis supra mare ambulantem; quia exhibuerat se in passione pro inimicis rogantem. *Ille*, inquit, *calcat fluctus huius seculi, qui diligit inimicos. Christus in mari ambulabat intrepidus: cuius omnino de corde auferri non poterat inimici dilectio: qui pendens in cruce dicebat, Pater ignosce illis.* Addit idem Augustinus, ideo Petrum ambulantem supra fluctus, *cum videret ventum validum, cœpisse mergi*, Matth. 14. quia nondum erat firmus in dilectione inimicorum. *Petrus*, inquit, *iussus est ambulare: sed, cum videret ventum validum, timuit, & mergi cæperat conturbatus in exercitatione sua. A quo vento valido? à voce inimici.* E quibus apparet quàm admirabilis, & supra omnes vires naturæ sit actus dilectionis inimicorum: ut meritò dixerit loc. cit. Augustinus esse *actum magnificentissimæ bonitatis.* Unde sequitur in eo collocari signum firmissimum prædestinationis. Quod agnoscens Nyssenus apud S. Maximum serm. 42. *Siquis*, inquit, *contumelia contumeliam ulciscetur, hac ipsa vitia augebit. Firma, & indubitata gratiæ spes, & fruitio ijs, qui per patientiam expectant.* Neque incongruè Franciscus Petrarcha dialogo de vindicta: *Vltionis*, inquit, *momentanea delectatio est: misericordiæ, sempiterna. Fac tu id hodie, quo perpetuò delecteris.*

Nyssenus.

CAPUT XIII.

Septimum reprobationis signum, Affectus vindictæ.

DIco decimò tertiò. Reprobationis signum est affectus vindictæ. Probatur primò è Scripturis. Matth. 6. *si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Quod expendens Augustinus in Enchirid. cap.74. *si*, inquit, *non dimiseris, non dimittet. Ad tam magnum tonitrum qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est.* Hoc illustrat Matth.18. parabola servi: cui dicitur, *serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me: nonne ergo oportuit te misereri conservi tui?* Et infra, *tradidit illum tortoribus*, &c. Unde concludit Christus parabolam, *sic faciet pater meus cælestis, si non remiseritis fratri vestro de cordibus vestris.* Quod expendens Chrysostomus hom.27. im Genes. *si hoc*, inquit, *non fecerimus, nihil eos* (inimicos) *ladere poterimus: nobis autem ipsis intolerabilem gehennæ pœnam paramus.*

Matth.6.

Augustin.

Matth.18.

Chrysost.

Qui inimicis non dimittit, eos non lædit; sed sibi gehennam parat.

Confirmatur ex Matth.6. *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus*, &c. Ergo, si non dimittimus, Deus non dimittet. Ex oppositio enim antecedentis sequitur oppositum consequentis. Quamobrem Augustinus sermon.61. de temp. *si inimicos non diligimus, qua fronte dicimus in oratione, Pater noster? qua ratione dicere poterimus, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus?* Quod est reprobationis signum maximum, juxta illud Psalm.108. *cum judicatur, exeat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum.* Non quod quis peccet recitando orationem dominicalem, quando retinet odia contra inimicos, ut benè observat Cassian.coll.9. cap.22. sed quod hæc oratio facit illi circumstantiam aggravativam peccati. In quo animadvertendum est imponi nobis à Christo, ut dimissionis injuriarum quotidie recordemur, dum panem quotidianum petimus. Quod valde notandum est: cum nullum aliud præceptum Christus in oratione dominica inseruerit, præter hoc, quod dimittamus. Voluit etiam, ut is qui non dimittit, faciat ipsemet contra se damnationis sententiam: dum petit ita à Deo dimitti sibi, sicut ipse dimittit aliis. Ergo non dimittens aliis manifestum habet reprobationis indicium, dum quotidie suo se ore condemnat. Ideo Augustinus serm.61. de temp. *nescio*, inquit, *qua fronte indulgentiam peccatorum obtinere poterit ante tribunal Christi, qui Deo præcipienti inimicis suis veniam dare, non acquiescit.* Unde sumendo argumentum.

Psal.108.

Christus voluit nos quotidie dimissionis injuriarum recordari.

August.

Probatur idem secundò ratione ducta ex iisdem Scripturis. Per

illud peccatum habetur speciale reprobationis indicium, per quod homo specialiter præcludit sibi aditum veniæ: cum nemo sit sine peccato: ac proinde ad assequendum prædestinationis finem quilibet egeat venia. Sed per affectum vindictæ specialiter homo sibi præcludit aditum veniæ. Tum quia specialiter Deus contestatur se non dimissurum illi, qui non dimittit. Tum quia peccator negando suam misericordiam alteri, specialiter meretur, ut negetur illi à Deo misericordia: & si minùs signatè, saltem exercitè rogat Deum, ut ulciscatur injurias ipsi ab eo illatas: sicut ipse ulcisci appetit injurias illatas sibi. Ergo ex hoc maximè peccato habetur speciale reprobationis indicium: cum per hoc specialiter præcludatur aditus ad misericordiam divinam. Quippe *indicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam*, Iacobi 2. *& qui vindicari vult, à Domino invenict vindictam: & peccata illius servans servabit.* Eccles. 28. Vindicta igitur expetita de inimico, signum est divinæ vindictæ expetendæ de ultore.

Affectus vindictæ specialiter aditum ad veniã peccatorum præcludit.

Iacobi 2.

Eccles. 28.

Confirmatur primò, quia Deus est paratissimus ad dimittendas injurias illatas sibi: sed renuit dimittere, nisi dimittamus proximo; quasi contestans se potiùs ulturum peccata contra proximum, quàm contra se. Ideo David, quod ultionem in hostes non exercuerat, petens sibi peccata dimitti dicebat, *tibi soli peccavi.* Psalm. 50. Quod expendens Chrysostomus homil. cit. *Magna*, inquit, *& ineffabilis Dei misericordia! cum in se quidem peccatum est, ad nudas tantùm preces totum remittit: cum autem in conservum videt crudelem, suam revocat liberalitatem.*

Deus peccata contra proximum magis ulciscitur, quã contra se.

Chrysost.

Confirmatur secundò, quia si actus remissionis injuriarum quodammodo præfertur martyrio, ut supra dictum est cum Nazianzeno, affectus ultionis injuriarum videtur ne dilui quidem posse martyrio, ut expressè Cyprianus de orat. ubi: *Sic*, inquit, *peccata nobis dimitti postulamus, secundùm quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus. Quale crimen est* (non dimittere) *quod martyrio non potest exorari?* Quod in Sapritio contigit, qui constanter ductus ad locum martyrij, cum Nicephoro pro contumelia illi olim illata petenti veniam subiratum se ostenderit; & martyrio excidit, & fide: subrogato ad illius coronam Nicephoro, ut refert Surius in ejus vita die 9. Februarij.

Cyprian.

Injurias nõ dimittere crimen est neque martyrio exorabile.

Surius.

Confirmatur tertiò, quia Deo est omnino abominabilis homo ultionis cupidus, juxta id quod dicitur Psalm. 5. *virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus.* Adeo ut teste Chrysostomo homil. cit. nihil Deus æquè abominetur: *Nihil*, inquit, *Deus ita odit, & aversatur ut hominem ultionis avidum, & in animo suo perpetuas inimicitias servantem. Tantum eius peccati damnum est, ut misericordiam Dei revocet, nec locum habere sinat.* Secluſa autem Dei misericordia, ex qua pendet prædestinatio, statim sequitur reprobatio.

Psal. 5.

Chrysost.

Confirmatur quartò, quia sicut per dilectionem inimicorum habetur filiatio Dei; & sic dicitur Matth.4. *ut sitis filij Patris vestri*, &c. Ita per odium inimicorum amittitur Dei filiatio. quamobrem Augustinus serm.61. de temp. *advertite*, inquit, *quod si inimicos non diligimus, filij Dei esse non possumus.* Si non filij, neque hæredes. CXCIX. Per inimicorum odiū amittitur filiatio Dei.

Confirmatur quintò, quia sicut per dilectionem inimicorum habetur similitudo Dei,ut ostensum est supra:ita per odium, dissimilitudo. Ideo Gregorius lib.3. moral.cap.32. *dum mansuetudo*, inquit,*amittitur*, *supernæ imaginis similitudo vitiatur.* Sicut autem prædestinationis est signum similitudo cum Deo, complenda in patria, quando *similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est.* 1. Ioan.3.ita dissimilitudo reprobationis est signum. Nihil autem magis difformatur à Deo remittente innumerabiles offensas, quæ contra ipsum patrantur quotidie in toto orbe terrarum, quàm animus ferens perpetua odia propter unam offensam, vel alteram sibi irrogatam. Ideo Hieronymus lib.3. comm.in Matth. *si*, inquit, *ob contumeliam simus implacabiles, & propter amarius verbum perpetes habeamus discordias, nonne videmur rectè in carcerem redigendi?* *Gregor.* *1.Ioan.3.*

Confirmatur denique sextò, quia si affectus vindictæ sortitur effectum, multò maius inde signum reprobationis habetur ex illa comminatione facta à Deo in utroque testamento tam veteri, quàm nouo. Dicitur quippe Genes. 9. *Quicunque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Dicitur etiam à Christo Matth.26. *conuerte gladium tuum in locum suum: omnes, qui accipiunt gladium, gladio peribunt.* Obseruandum autem est hoc dici Petro, qui gladium evaginaverat ad defensionem Christi. Nullus profectò iustiorem ob causam evaginabitur gladius: tamen, ut Christus ad hoc cæteros deterreret, ea occasione comminatus est huiusmodi homines, *qui gladio feriunt, gladio perituros.* Hoc experientia quotidiana monstrat: & multis id exemplis probat Corneliusin Deut. 21. num. 3. Si igitur his Deus ipse contestatur mortem violentam; quæ sæpissimè repentina præcludere solet aditum ad pœnitentiam: habent hi maximum signum,quod morituri sint cum impœnitentia finali, ac proinde reprobi. Adde clamare contra eos effusum sanguinem:cujus in expetenda à Deo ultione quot guttæ, tot voces. Ideo dicitur Genes. 4. *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Denique, cum quis inimicum occidit, vel anima eius qui occiditur, salvatur, vel damnatur. Si salvatur,ex zelo justitiæ clamat coram Deo ultionem Apocal. 6. *Vidi sub altari animas interfectorum*, &c. *Et clamabant voce magna dicentes, usquequò Domine non vindicas sanguinem nostrum?* Si damnatur, tunc damnatio æterna illius clamat æternam damnationem homicidæ;qui fuit illi causa proxima damnationis. Quamobrem aliqui minùs im- *Genes.9.* *Matth.26.* *Genes.4.* *Apoc.6.*

pij, qui ut suæ existimationi consuiant, statuunt alienæ vitæ non parcere, curare interdum solent, ut confessarius præstò sit, qui morituro absolutionem impendat : consummantes ultionem in corpore, nec protendentes odia in moram infinitam æternitatis. In his, inter ipsa crimina scintilla quædam apparet fidei, & aliquale signum prædestinationis. Cæterùm universaliter sentiendum est cum Augustino in epist. Ioann. tract. 5. *inter filios Dei, & filios diaboli* (inter prædestinatos, & reprobos) *dilectionem solam discernere.*

CAPUT XIV.

Octavum prædestinationis signum, Continentia.

Dico decimoquartò Prædestinationis signum est Castitas. Probatur primò è Scripturis. Primus locus est Sap. 3. *Felix est sterilis, & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto : habebit fructum in respectione animarum sanctarum :* id est, ut ibi Glossa interlinearis, *habebit fructum æternæ beatitudinis.* Loquitur autem Sapiens de continente conjugali *nesciente thorum in delicto.* Sequitur de continentia Virginali, & *spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem : nec cogitavit adversus Deum nequissima. Dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima.* Idest, ut Lyranus, *dabitur illi donum gloriæ ; quod datur pro fide formata charitate.* Per spadonem autem, ut ait Rabbanus, *potest hic Virginum ordo intelligi, de quo in* Isa. 56. *non dicat Eunuchus, ego sum lignum aridum.* Si ergo promittitur castitati tàm conjugali, quàm virginali, gloria, sequitur quod utraque prædestinationis sit signum ; altioris tamen in virginibus : quæ, ut ait Cyprianus lib. de hab. virg. sunt *illustrior portio gregis Christi.*

Sap. 3. Glossa. Isaiæ 56. Cyprian. CC. Virgines illustrior portio gregis Christi.

Secundus locus est Sap. 4. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate ! Immortalis est enim memoria illius : quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.* Et, *in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.* Idest, ut ibi Lyranus *præmium, quod redditur pro certaminibus incoinquinatis.* Ergo Castitas signum est futuræ coronæ, & triumphi, & præmij pro victoria in hoc certamine. Neque immeritò : quia, ut ait Augustinus in serm. de vitanda famil. mulier. qui habetur tom. 5. *inter omnia Christianorum pia certamina, duriora sunt prælia castitatis ; ubi quotidiana pugna, & rara victoria.*

Sap. 4. August. Castitatis certamina in hac vita sunt omniũ duriora.

Tertius locus est Isa. 56. *Hæc dicit Deus Eunuchis, qui custodierint sabbata mea : dabo eis in domo mea, & in muris locum, & nomen melius*

Isaiæ 56.

melius filijs & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Hic per Eunuchos virgines intelligi docent Basilius libro de vera virginitate, Augustinus libro 14. contra Faustum cap. ult. Ambrosius exhortat. ad virg. Hieronymus & alij in hunc locum. Quod patet etiam tum ex Matth. 15. *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum,* ut exponit Chrysostomus, *non membra abscindendo, sed malas cogitationes interimendo.* Tunc ex hoc ipso loco, dum dicitur, *Eunuchis, qui custodierint sabbata mea*; quia, ut ait Basilius loco citato: *Si virginitatem apud te permanere inviolabilem cupis, & perpetuum sabbatum celebrare, mane quod nata es: nihil operans, quo in te solvatur quod in te per naturam est.* His promittit Deus *locum in domo sua, & in muris suis, & nomen melius filijs & filiabus:* nempe, ut explicat Augustinus libro de sancta Virginitate cap. 24. notam specialem, per quam Virgines ab aliis secernantur; sicut per nomen discernitur unus ab alio. Ergo virginibus promittitur gloria quædam specialis, & sublimior; ac proinde Virginitas altissimæ prædestinationis est signum.

Matth. 15.

Virginibus nota specialis gloriæ promittitur.

Quartus locus est Apoc. 14. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt: hi sequuntur Agnum quocumque ierit.* Quia verò hi visi sunt à Ioanne *supra montem Sion*: ideo Gregorius libro 5. in lib. Regum cap. 3. *Bene* inquit, *in sublimiori esse Virgines dicuntur; quia quod naturam humanam supergraditur, in altissimo virtutum culmine situm est. Hi sunt qui cum mulieribus* &c. *In monte quidem esse cum Agno dicuntur: quia per meritum incorruptionis, quo à terrenis & carnalibus delectationibus se dividunt, in sempiterna redemptionis gloria sublimantur.* Si igitur promittitur Virginibus specialis gloria, & sublimior locus in cælo: utique virginitas non prædestinationis solùm, sed etiam sublimioris prædestinationis est signum. Quod præsignificasse videntur etiam antiquiores Astrologi: dum, ut notat Hieronymus libro 3 contra Iovinianum, *inter duodecim signa cæli, quibus mundum regi putant, magna injuria nuptiarum, virginem collocarunt.* Hæc occasione Scripturarum.

Apocal. 14.

Gregorius.

Probatur idem secundò ratione. Prima ratio. Castitas reddit similes Angelis. Ergo prædestinationis est signum. Consequentia patet, quia in prædestinationis termino includitur societas Angelorum. Antecedens probatur, quia incorruptio est Angelorum propria, juxta Matth. 22. *non nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Ideo Augustinus libro de Virginitate cap. 23. *Virginalis*, inquit, *integritas, & perpetua continentium ab omni concubitu immunitas Angelica portio est; & in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.* Athanasius etiam libro de Virginitate dixit *in virginitate exemplar haberi Angelicæ sanctitatis.* Tertullianus quoque libro 1. ad uxorem: *puellæ, inquit, in terris non nubendæ de*

Castitas nos reddit Angelis similes.

Augustin.

familia Angelica deputantur. Concordat Cyprianus libro 2. de disciplina & habitu Virginis : ubi : *Cùm casta*, inquit, *perseveratis, & Virgines, Angelis Dei estis æquales.* Idem asserit Nazianzenus oratione in illud, *non omnes capiunt verbum hoc* : dicit enim, *non secundùm carnem vivere, Angelicum esse, & superius natura.* Adstipulatur Cyrillus Hierosolymitanus catech. 12. ubi : *Non ignoramus*, inquit, *castitatis gloriam : Angelica enim est corona, & supra hominem hæc perfectio.* Consonat Ambrosius lib. 1. de Virginitate, ubi, *nemo*, inquit, *miretur, si Angelis comparentur quæ Angelorum Domino copulantur.* Assentitur Cassianus libro 6. cap. 6. ubi, *nulla*, inquit, *virtute tam propriè carnales homines spiritualibus Angelis imitatione conversationis æquantur, quàm merito & gratia castitatis, per quam adhuc in terra degentes habent, secundùm Apostolum mancipatam in cœlis.* Suffragatur Bernardus epistola ad Henricum, ubi : *Quid*, inquit, *castitate decorius, quæ mundum de immundo facit conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum denique facit ex homine ?* Claudit horum agmen Chrysologus serm. 143. ubi, *Angelis*, inquit, *semper cognata Virginitas : In carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cælestis.* Hi omnes æqualitatem quamdam struunt inter castos & Angelos. Aliqui verò castos præferunt Angelis. Quippe differunt quidem inter se homo pudicus, & Angelus ; sed felicitate, non virtute. Et si illius continentia felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur. Basilius de vera Virginitate dixit, virgines locum inter Angelos illustrem habere, ac nobilissimum ; quia, ut observat Chrysologus serm. 143. *Angelorum gloriam acquirere majus est quàm habere. Angelum esse, felicitatis est : virginem esse, virtutis.* Quod idem perpendit Bernardus loco citato, ubi, *differunt*, inquit, *inter se homo pudicus, & Angelus ; sed felicitate, non virtute : & si illius continentia felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur.* Est igitur castitas prædestinationis signum perspicuum ; quia est quædam Angelicæ & beatæ vitæ repræsentatio. Quippe, ut ait idem Bernardus loco citato, *sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis loco & tempore, statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat.*

Cyprianus. Castitas homines Angelis reddit æquales.

Nazianz. Cyrill.

Ambrosius.

Cassian.

Bernardus.

Chrysolog. CCI. Casti præferuntur Angelis.

Chrisolog.

Bernard.

Secunda ratio. Virginitas trahit secum speciale patrocinium Deiparæ. Ergo prædestinationis est signum. Consequentia patet, quia quotquot prædestinati sunt, mediante Deiparæ patrocinio prædestinati sunt, ut ostendemus inferiùs. Antecedens probatur, quia sub Deiparæ speciali vexillo militant Virgines : utpote quæ sit vexillifera Virginum. Quippe, ut ait Ambrosius de instit. Virg. cap. 5. *Maria signum extulit, & intemeratæ virginitatis prima Christo vexillum levavit.* Idque causæ est ut virginitatem fœminæ plures colant quàm mares : quia Virginum in hoc exercitu vexillifera est fœmina. Quod animadvertens Hieronymus epist. 22. ad Eustochium : *Ideo*, inquit,

Castis adest speciale Deiparæ patrocinium.

Deipara Virginum vexillifera.

Ambrosius.

Cur plures fœminæ quàm mares virginitatē colāt.

ditius virginitatis donum fluxit in fœminas; quia cœpit à fœmina. Et meritò dicit cœpisse à fœmina; quia Maria virginitatis in se donum consecravit, antequam Christus. Idcirco quamvis in Apoc. loco cit. cæteræ Virgines dicantur *sequi Agnum quocumque ierit:* Deipara, ut virginitatis vexillifera, præit Agnum. Quod expresè docuit Bernardus sermone 1. super Missus est: ubi, *in cæteris*, inquit, *singularitas canitur, quod sequuntur Agnum quocumque ierit: quibus verò laudibus dignam judicat (Mariam) quæ etiam præit?* Si igitur dux omnium Virginum est Maria, manifestum est militare Virgines sub vexillo & patrocinio speciali Mariæ. Ideo dicitur Psalm. 44. *Adducentur Regi virgines post eam.* Utique post eam, quia ut notat Bernardus sermone in signum magnum, *adducuntur Virgines post eam, quæ sola primatum vindicat sibi.* *Bernardus.* *Psalm. 44.* *Bernard.*

Confirmatur primò, quia similitudo parit amorem; amor superioris patrocinium. Maria autem, ut ait Damascenus orat. 2. de dorm. *Virgo est, & Virginum amans: pura est, & purorum amans.* Ideò, ut infert Chrysostomus sermone de Beatissima Virgine, *Quicumque estis Virgines, ad matrem Domini confugite: illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, & incorruptibilem possessionem suo vobis patrocinio conservabit.* *Damascen.* *Chrysostom.*

Confirmatur secundò ex eodem Damasceno oratione 1. de nat. ubi Virginem alloquens, *Tu*, inquit, *virginitatis feracissima planta: per te enim virginitatis pulchritudo latissimè se diffundit.* Ergo si Maria est veluti planta ex qua cæteræ Virgines prodierunt, debet in eas semper transmittere speciales influxus gratiæ, tanquam radix in ramos. Maria virginitatis planta.

Confirmatur tertiò, quia Maria specialiter mater est continentium, præsertim Virginum. Ideo dicitur Cantic. 7. *Venter tuus acervus tritici, vallatus liliis*: quia scilicet in ventre Virginis continetur cum Christo *acervus tritici*, idest cumulus electorum: & præcipuè Virginum, quæ veniunt nomine liliorum. Ideo Honorius in eum locum de ventre Virginis loquens, *ipse*, inquit, *est acervus, quia in eo cumulatur fidelium populus vallatus liliis, idest stipatus Virginum choris.* Ex ventre igitur Mariæ Virgines prodeunt; & sic Maria specialis mater est Virginum. Ideo Hieronymus libro 1. contra Jovinianum, *Hæc*, inquit, *Virgo est, & mater est Virginum.* Ad matrem autem pertinet specialem curam gerere filiorum: unde concluditur specialis Mariæ protectio circa Virgines; ac proinde speciale in iisdem prædestinationis auspicium: quis enim perire poterit sub auspiciis & vexillo Mariæ? *Cantic. 7.* In Mariæ utero casti continentur cum Christo. *Honorius.* *Hieronym.*

Tertia ratio. Quò aliquid magis Deo intentionaliter unit, eò majus prædestinationis est signum. Sed castitas maximè Deo unit. Ergo maximum prædestinationis est signum. Major patet, quia

prædestinatio tendit ad summam unionem intentionalem cum Deo, per visionem & amorem. Minor probatur, quia quò creatura rationalis magis abstrahitur à sensibilibus, eò magis unitur intentionaliter cum intelligibilibus: cùm hæc sint maximè abstracta à materia. Ergo quò magis abstrahitur à sensibilibus, magis unitur intentionaliter cum summo intelligibili, quod est Deus. Sed per castitatem abstrahitur maximè à sensibilibus, cùm inter delectationes sensibiles omnium maxima sit venerea. Ergo per castitatem maximè unitur intelligibilibus, atque adeo summo intelligibili, quod est Deus Ideo,

Ambros. ut notat Ambrosius libro 1. de Virg. *Elias, qui nullius corporei coitus fuisse permixtus cupiditatibus invenitur, curru est raptus in cœlum.*

Confirmatur primò, quia castitas concurrit ad prædestinationem tanquam removens prohibens, removendo impedimenta unionis cum Deo. Quandoquidem omne impedimentum removens abhonesto, oritur ex delectabili. Superata autem delectatione venerea, facile est minores alias vincere; putà ex concupiscentia oculorum,

Chrysostom. nempe ex divitiis. Quippe, ut observat Chrysostomus, *non est par corporum & pecuniæ cupiditas; sed multò acrior corporum.* Ac proinde in hac facilè superantur cupiditates cæteræ; & sic anima remanet

1. Cor. 7. expedita ad unionem cum Deo. Quod significavit Paulus 1. ad Cor. 7. cùm hortatur ad continentiam, tanquam ad id *quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.*

CCII. Castitatem comitantur omnes virtutes cum Deo unitivæ. *Cant. 4. Hieronym. Cyprianus.* Charitatis virtus in virginitate non minùs quàm in martyrio splendet. *Ioan. 15. Ambrosius.* Virginitatè colentes Christi sorores evadunt, & sponsæ. *Cant. 4. Augustinus. Tertull.*

Confirmatur secundò, quia cum Virginitate associantur omnes aliæ virtutes unitivæ cum Deo. Ideo dicitur Cant. 4. *emissiones tuæ paradisus malogranatorum cum fructu pomorum.* Quia, ut notat Hieronymus loco cit. ad Jovin. *malogranatis, & pomis omnium virtutum significatur in Virginitate concentus.* Quamobrem Cyprianus lib. de Virgin. *Virginitas*, inquit, *est soror Angelorum, victoria libidinum, possessio denique omnium bonorum.* Præcipuè autem elucet in Virginitate virtus charitatis. Nam, si *majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Joan. 15. non minor apparet in Virginitate charitas, quàm in martyrio. *Non enim*, ut ait Ambrosius lib. 1. de Virgin. *ideo laudabilis Virginitas, quia in martyribus reperitur; sed quia ipsa martyres facit.*

Confirmatur tertiò, quia per Virginitatem Virgines non evadunt modò sorores Angelorum, ut dictum est ex Cypriano; sed etiam sorores, & sponsæ Christi. Ideo dicitur Cant. 4. *hortus conclusus soror mea sponsa.* Quippe per virginitatem, præsertim voto consecratam, Virgines desponsantur in Christo, Quamobrem Augustinus tract. 9. in Joan. *Quæ*, inquit, *Virginitatem Deo vovent, sine nuptiis non sunt: in quibus sponsus est Christus.* Quod advertens Tertullian. lib. 1. ad uxorem cap. 4. de Virginibus loquens, *cum Deo*, inquit, *sermocinantur: illum diebus ac noctibus tractant: orationes suas ve-*

lut dotes Deo aßignant: ab eodem dignationem, veluti munera maritalia, quotieſcunque deſiderant, conſequuntur. Nec mirum, ut addit Ambroſius de Virginit. quod *Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur.* Idcirco Apocalyp. 14. dicuntur Virgines *ſequi Agnum quocunque ierit.* Quia, ut ait Auguſtinus lib. 5. de Virginit. *Auguſtinus.* cap.27. *Gaudium Virginum Chriſti de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum. Nam ſunt aliis alia* (gaudia) *ſed nullis talia.* Ideoque Bernardus ſermon. 8. de mutat. aquæ *Bernard.* in vinum, Virgines appellat *ſocias menſæ, ſocias thalami, ſocias regni.*

Quarta ratio, quia per Virginitatem homo efficitur ſimilis Chriſto, quoad humanitatem, & quoad Divinitatem. Ergo Virginitas prædeſtinationis eſt ſignum. Conſequentia patet ex Paulo ad Rom. 8. *quos prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui.* Antecedens probatur, quia Chriſtus & virgo fuit, & maximè amator Virginitatis. Quod oſtendit primò antequam naſceretur, in ipſamet Incarnatione. In qua noluit ſumere carnem, niſi virgineam: ut exinde caſtitatis ſe auctorem, & amatorem oſtenderet. Quamobrem Auguſtinus ſermone de Nat. Dom. *Chriſtus*, inquit, *ideo per caſta Virginis membra venit ad terras; ut oſtenderet Deum caſtitatis eſſe amatorem.* Hic Chriſti amor in Virgines innuitur Pſalm. 91. dum dicitur ex perſona Chriſti *Pſalm. 91.* *exaltabitur ſicut unicornis cornu meum.* Quippe de unicornu, qui alio nomine Rhinoceros dicitur, notat Gregorius lib. 31. mor. c. 10. *Gregorius.* *nulla venantium virtute capi; ſed virginem ei puellam proponi, quæ ad ſe venienti ſinum aperit: in quo ille, omni ferocia poſtpoſita, caput deponit.* Idcirco igitur Chriſtus unicorni ſe comparandum dicit, *exaltabitur ſicut unicornis cornu meum*: quia hoc animal, cum cæteris ferociſſimum, cum ſolis virginibus manſuefcit: atque ad virginum ſinus quodam impetu amoris rapitur. Idcirco Ioanni præbuit ſe familiarem magis quàm aliis; adeo ut per antonomaſiam diceretur *diſcipulus, quem diligebat Ieſus.* Hæc de ſimilitudine Virginum cum Chriſto quoad humanitatem.

Virginitas nos reddit Chriſto ſimiles quoad humanitatē, & divinitatē. *Rom. 8.*

Aſſimilantur etiam virgines Chriſto quoad divinitatem. Tum quia candorè eum imitantur, qui *candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula* Sap. 7. Tum quia æmulantur quodammodo gloriam *incorruptibilis Dei* ad Rom. 1. Ideo Baſilius lib. de vera virgin. *Magnum*, inquit, *eſt virginitas, quæ hominem incorruptibili Deo ſimillimum facit.* Tum denique quia ipſamet Sanctiſſima Trinitas Virginitatis aliquod ſpecimen exhibet. Quippe Pater ingenitus Filium generat ſine coniuge. Quod notavit Damaſcenus lib. 4. de fide 25. *Chriſtus*, inquit, *Virginitatis decus eſt, & ornamentum, ut qui ex Patre ſine congreſſu ſit genitus.* Filius verò Virginitatem etiam exhibet, non ſolùm quia genitus abſque matre, ſed etiam, quia ipſe ſpirat non ge-

Sap 7.

Sanctiſſima Trinitas aliquod virginitatis ſpeciē exhibet.

nerat. Spiritus verò Sanctus etiam Virginitatem præfert neque genitus, neque generans. Ideo Sanctissima Trinitas primum est Virginitatis exemplar: &, ut ita dixerim, prima Virgo est. Quod observans Nazianzenus in carm. de Virgin. ita cecinit:

Prima Trias virgo est, siquidem Patre natus amando
Filius est, nec enim Pater ortum traxit ab ullo, &c.

Si Virginitas Sanctę Triadi reddit similem, ad prædestinationis auspicium non plus ultra. Ut jurè virginitas, quemadmodum supra diximus, lilio comparetur. Nam si, ut advertit Valerianus in hierogly. lib. 55. *in antiquorum monumentis cum inscriptione spei, lilii potiùs figura, quàm cujusquam floris speciem ostentat:* nulla alia virtus cœlestis regni spem exhibet, sicut lilium virginitatis. Hæc de signo prædestinationis in castitate repositio.

Valer. Lilium spei hieroglyphicum.

CAPVT XV.

Octavum reprobationis signum, Luxuria.

Luxuria reprobationis signum.

DIco decimoquintò. Luxuria speciale reprobationis est signum. Probatur primò è Scripturis. Primus locus est Iob 31. ubi: *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem Omnipotens de excelsis?* Ergo in eo, qui vel simplici carnis incentivo assentitur cogitando de virgine, Deus neque partem habet, neque hæreditatē: quod est adnumerari inter reprobos. Addit infrà de adulterio loquens, *Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Si devorans usque ad perditionem, utique usque ad damnationem. Idcircò *super Sodomam Dominus pluit sulphur & ignem* Genes. 19. Quia, ut notant Innocentius Tertius lib. de contemp. sæc. cap. 25. *pluit super ardorem libidinis, ut pœna similis esset culpæ.* Porrò ignis prænuntius est flammæ infernalis, cum luxuriosis hic infernum exhibeat. Quamobrem dicit Isa. 57. animæ libidini deditæ, *humiliata es usque ad inferos*: ut enim notat in hunc locum Hieronymus, *revera grandis humilitas, imo & usque ad inferos præcipitatio: de luce & culmine castitatis in tenebras lupanaris, imò in barathrum libidinum præcipitari.* Ideò etiam dicitur Proverb. 7. *Viæ inferi domus ejus. Meretricis ergo*, ut expendit Augustinus ser. 107. de temp. *pro inferis ponitur domus: quia ignem inferni habet.*

Luxuria ignis devorans usque ad damnationem.

Genes. 19.

Innocentius.

Hieronym.

Proverb. 7. Meretricis domus infernus.

Secundus locus est 1. ad Cor. 6. *Neque molles, neque fornicarii, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Ergo in his constituitur speciale signum reprobationis. Quod expendens Augustinus in libro de

1. Cor. 6.

Augustinus.

conflictu vitiorum cap. 24. *O quàm parua, inquit, est concubitus hora, qua perditur vita futura! Quod autem emolumentum affert id quod tam citò perducit ad tartara?*

Tertius locus est ad Ephesios 4. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Ergo impudicitia desperationem parit; desperatio verò damnationem. Quibus autem gradibus ad hunc barathrum descendatur, explicat Glossa in Job c. 31. *Visum*, inquit, *sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.* Hæc è Scripturis. *Ephes. 4. CCIII.* Gradus quibus impudicitia ad dānationem trahit. *Glossa.*

Probatur idem secundò ratione. Prima ratio. Quò aliquid magis est deviativum ab ultimo fine, eò majus reprobationis est signum. Sed luxuria est maximè deviativa ab ultimo fine. Ergo, &c. Major patet, quia terminus reprobationis est oppositus termino prædestinationis, qui est assecutio finis ultimi. Minor probatur, quia id quod maximè trahit ad sensibile, maximè deducit ab intelligibili, & potissimùm à puro & summo intelligibili, quod est Deus, maximè abstractus à sensibus. Sed luxuria maximè omnium trahit ad sensibile, quia trahit ad delectationem inter sensibilia vehementissimam. Ergo maximè deducit à Deo, primo & summo intelligibili: & sic est maximè deviativa à fine ultimo. Confirmatur primò, quia delectatio venerea maximè obscurat intellectum, cùm maximè trahat appetitum: hic autem trahit intellectum ad ea tantùm sensibilia concipienda, ad quæ affectus trahitur. Ideoque, ut notat Aristoteles in probl. sect. 30. probl. 13. *Qui deteriùs animo sunt affecti, deteriora concipiunt.* Quod expressè docet Paulus loco citato ad Ephesios 4. ubi *tenebris*, inquit, *obscuratum habentes intellectum, alienati à Dei via, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ*, &c. Ideo dicitur Lucæ 12. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*; quia conjungitur cum castitate lumen; tenebræ & cœcitas cum luxuria. Quod observans Bernardus serm. 5. de confess. *Non poterunt*, inquit, *alii esse lucernæ ardentes, nisi illi qui lumbos præcinctos habent: nisi enim ignis inferior extinguatur, superior lucere non potest.* Ex hac cœcitate oritur etiam permanentia in peccato; & sic peccatum finale, unde damnatio. Quippe intellectus à nimio sensibili obscuratus, non advertit periculum imminens, & gravitatem peccati. Quod observans Chrysostomus homil. 27. in Genes. *Sicut*, inquit, *Sus in luto immergitur, sic & anima mala consuetudine obscurata ne sentit quidem suorum fœtorem peccatorum.* Quando autem quis morbo affectus redditur insensibilis, salus habetur pro deplorata. Confirmatur secundò ex maxima oppositione ultimi finis ad voluptates venereas. Quippe Deus est actus purissimus abstractus ab omni

Luxuria maximè deviat ab ultimo fine. *Aristot. Ephes. 4.* Castitati lumen, luxuriæ tenebræ conjunguntur. *Bernardus. Chrysostom.* Voluptates venereæ maximè Deo opponuntur.

materia, etiam intelligibili: animus autem deditus venereis versatur circa impurissima, & concretissima. Quod si de cœlesti Hierosolyma dicitur Apoc. 21. *Nihil coinquinatum intrabit in ea*; quomodo promittere sibi potest ad eam aditum coinquinatus animo, & corpore? quod indicavit Christus Matth. 7. *Ne mittatis margaritas ante porcos.* Vt enim dicitur Matth. 13. *Simile est regnum cælorum homini quærenti bonas margaritas.* Ideò etiam dicitur Apocal. 21. *cæli singulæ portæ singulæ margaritæ.* Margaritæ autem excludunt maximè porcos: per quos homines lascivos intelligit Chrysostomus.

Apocal. 21.
Matth. 7.
Matth. 13.
Apocal. 21.

Luxuria fert omnia alia vitia secum.

Secunda ratio. Luxuria fert secum omnia alia vitia. Ergo maximum reprobationis est signum. Consequentia patet, quia per quodlibet vitium tenditur ad perditionem; & sic per plura vitia ad eam multipliciter, & celeriùs tenditur. Antecedens probatur, quia luxuriosus, dum agitur zelotypia erga æmulos, labitur in superbiam, rixas, homicidia: dum prodigus largitur amasiæ, appetere incipit aliena; & sic incidit in avaritiam, in furta, in iniustitias: dum nutrit corpus, indulget gulæ. Nam, ut notat Ambrosius lib. 7. in Lucam cap. 66. *non alia cura est luxuriosis, nisi ut ventrem expleant, quorum Deus venter est.* Denique dum luxuriosus totus in suis amoribus occupatur, peccat circa spiritualia peccato accidiæ: & sic omnia septem peccata capitalia trahuntur à peccato luxuriæ. Quod egregiè advertens Ambrosius in tract. de Helia, & jejunio, *luxuria*, inquit, *seminarium, & origo est vitiorum. Nec arbitremini me adversùs Apostolum dixisse, quia ille ait, avaritiam radicem esse omnium vitiorum, quoniam luxuria ipsius est mater avaritiæ: etenim cum exhauserit quis luxuriando proprias facultates, quærit postea avara compendia.*

Ambrosius.

Luxuriosorum nulla cura nisi ventre explere.

Septem dæmonia è Magdalena ejecta universa fuere vitia.

Confirmatur primò ex Lucæ 8. ubi dicitur de Maria Magdalena exisse septem dæmonia. Idest, ut ibi Glossa, *universa vitia, quibus plena fuerat.* Quippe, ut notat Gregorius lib. 3. mor. cap. 15. *septenario numero summa universitatis exprimitur.* Tota igitur universitas vitiorum, ac dæmonum in impudica muliere. Confirmatur secundò ex Job 31. ubi dicitur libido esse *ignis omnia eradicans genimina.* Momento enim temporis libido absumit quidquid virtutum longa ætate collectum est; idque eradicando, & tollendo virtutes radicitùs, quia sine ulla spe resurgendi. Tùm quia per luxuriam devenitur aliquando ad amissionem ipsius fidei, quæ radix est virtutum. De luxuriosis enim specialiter intelligitur id, quod dicitur 1. ad Timot. 1. *quidam repellentes bonam conscientiam circa fidem naufragaverunt.* Ideo Ambrosius epist. 1. ad Sabinum: *Vbi*, inquit, *cœperit quis luxuriari, incipit deviari à vera fide.* Quod patet experientia in Luthero, Calvino, Beza, multisque aliis hæreticis nostri temporis: qui ex luxuria devenerunt ad hæreses. Tùm etiam quia, etiam permanendo

Gregorius.
Iob. 31.

Luxuria ad amissionem fidei aliquando perducit.

1. *Tim.* 1.
Ambrosius.

manendo in vera fide, ex actibus luxuriosis gignitur habitus vitiosus adeò radicatus, vt pene spem tollat reviviscentiæ ad virtutem. Quippe, vt advertit Aristoteles libro 7. de historia animalium cap. 1. de iis qui in adolescentiæ initio venereo vsui non temperaverint: *qui minùs caverint, propensiores eòdem efficiuntur: meatus enim laxantur, redduntque corpus lubricum; & simul voluptatis, quæ olim gestierant, memores, desiderio moventur præteritæ contrectationis.* Vnde fit, vt etiàm in senibus pene extincto calore, libidinum desideria exæstuent: & sic devenitur ad impœnitentiam finalem, ex qua damnatio.

Luxuriæ vitiosus habitus pœnè immedicabilis. *Aristot.*

Tertia ratio. Luxuria maximè difformat hominem à Christo. Ergo maximum reprobationis est signum. Consequentia patet, quia tota prædestinatio fit per conformitatem ad Christum, juxta illud Pauli ad Rom. 8. *quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui:* & sic tota reprobatio sumitur per difformationem ad Christum. Antecedens probatur, quia Christus virgo, & filius Virginis: ac proinde, vt ait Hieronymus epistola 22. ad Eustochium, *Virginitatem & in se & in matre sua dedicare voluit:* vterque enim sine concupiscentiæ fomite. Christus quoque specialiter dilexit virgines, vt apparet in Ioanne, qui dicebatur per antonomasiam, *discipulus quem diligebat Iesus*; quia, vt etiam in ejus Officio notat Ecclesia, *specialis prærogativa castitatis, ampliori dilectione fecerat dignum; quia virgo electus ab ipso, virgo in æuum permansit.* Tantum autem Christus amat virgines, vt dicatur de illo Cant. 2. *qui pascitur inter lilia*, nempe, vt notat Gregorius, *sponsus inter lilia pascitur; quia animarum castitate delectatur, quæ & in se munditiam carnis conservant, & per nitidas cogitationes coram eo placent, qui pascitur inter lilia.* Ergo si Christus maximè delectatur virginibus; vtique à contrario licet inferre, quod maximè abhorret à luxuriosis: qui summæ ejus & matris virginis puritati maximè difformantur.

Rom. 8.

Luxuriosi difformantur à Christo *Hieronym.*

Cant. 2.

Gregorius.

Confirmatur primò, quia luxuria non solùm difformat à carne Christi virginea; sed etiam ab ipsamet Christi humanitate, cùm ex hominibus reddat belluas. Ideo dicitur Oseæ 4. *fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor*, nempe intellectum: unde prudentes homines dicuntur cordati. Sublata autem ratione, per quam constituitur homo in esse hominis, remanet purum animal & bellua. Ideo in eum locum Hieronymus, *fornicatio*, inquit, *& voluptas pervertit sensum, & de rationabili homine brutum efficit animal.* Inter bruta autem animalia immundissimo comparatur, nempe porco. Ideo dæmones rogaverunt Christum, Matth. 8. *vt mitteret eos in gregem porcorum:* quia scilicet eis dæmones oblectantur, tanquam simulacris luxuriosorum. Siquidem, vt notat Clemens Alexandrinus libro 3. pædag. cap. 11. *impuri homines porcorum instar corporalibus voluptatibus perfunduntur.* Ideò luxuriosus, abjecta humanitate, abjicit etiam Dei

Luxuria ex hominibus belluas reddit. *Oseæ 4.*

Hieronymus.

Matth. 8.

Dæmones cur in gregem porcorum mitti petierint. *Clem. Alex.*

imaginem per omnia ornamenta rationalis naturæ : quod notat Ambrosius libro 7. in Lucam, *dum ille*,inquit, (filius prodigus) *vivendo luxuriosè consumpsit omnia naturæ ornamenta.*

CCIV. *Ambrosius.* Luxuria hominem non solum belluam reddit sed dæmonem.

Confirmatur secundò , quia luxuria non solùm reddit hominem belluam , sed etiam dæmonem. Quamobrem Ambrosius libro 1. de Virginitate : *Castitas*,inquit, *Angelos facit ; qui eam servavit, Angelus est ; qui eam perdidit , diabolus.* Fortasse quia peccavit Angelus quadam spirituali luxuria, ut docet Scotus in 2. d.6. q.2. Quamobrem Chrysostomus homil. 4. in epist. ad Romanos , luxuriosorum vitam diabolicam appellat : sicut econtrariò, *Virgines*,ut ait Tertullianus libro 1. ad uxorem *de familia Angelica deputantur.* Quod autem majus reprobationis est signum, quàm adhuc viventem , unum de familia diabolica reputari ?

Deus per seipsum luxuriam punire vult. *Genes. 19. Innoc.*

Confirmatur denique tertiò ex odio speciali,quo Deus hoc vitiũ prosequitur:quippe qui soleat alia peccata punire per Angelos, etiã malos,luxuriæ voluit ipse esse veluti carnifex. Ideo dicitur Gen. 19. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo.* Quod expendens Innocentius III. libro de contemptu sæculi cap.25. *noluit* , inquit, *Dominus cuiquam Angelorum vel hominum executionem hujus pœnæ committere ; sed sibimetipsi vindictam hujus sceleris reservavit.* Neque mysterio vacat , quod visum est à Joanne Apocal. 4. *Iris similis visioni smaragdinæ.* Iris enim , ut notat in eum locum Ambrosius , divinam misericordiam designat ; quæ similis dicitur visioni smaragdinæ,quæ est gemma vivens:&,ut notat Plinius libro 37. cap.5. *nullius coloris aspectus jucundior : nam herbas quoque virentes , frondesque avidè spectamus : smaragdos verò tantò libentiùs , quoniam nihil omnino viridius comparatum illis lucet.* Quo significatur mentis nostræ oculos divinæ misericordiæ præsentia & consideratione maximè recreari ; sicut oculus viriditate smaragdi. De hac autem gemma refert Albertus Magnus , quod adeo libidini adversatur , ut experientia compertum sit in re venerea si quis eam attingat, sponte frangi.Quo innuitur ob luxuriam,divinam misericordiam smaragdo similem, rescindi, ac pœnè frangi.

Apocal.4.

Misericordia divina per smaragdum designata.

In quo apparet error existimantium hoc esse peccatũ fragilitatis, & sic Dei misericordiam facilè hoc peccatum condonaturam : Hoc enim præsertim in consuetudinem ductum , peccatum est maximæ malitiæ. Quippe peccatum eò majorem injuriam facit Deo , quò præponit illi aliquid vilius. Luxuriosus autem Deo præponit vermes & stercora, in quæ resolvitur humana caro : atque æternæ felicitati anteponit voluptatem momentaneam communem pecudi, omniumque viliſſimam ac turpiſſimam. Vilitatem hujus peccati perpendit Ambrosius libro ad virginem corruptam cap.2. ubi, *de Dei virgine,* inquit , *facta es corruptio Sathanæ : de habitaculo Spiritus sancti ,* su-

Ambrosius. Vilitas pec-

gurium diaboli. Quæ incedebas ut columba, nunc luces in tenebris sicut stellio; quæ fulgebas ut aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior facta es luto platearum; quæ fueras stella radians in manu Domini, veluti de alto ruens conuersa es in carbonem.

cati luxuriæ expenditur.

Addit Chrysostomus homilia 29. in Matth. luxuriosos inuadi solere à dæmonibus, imò nihil differre à dæmonibus. *Scire*, inquit, *licet multos homines, qui porcorum more viuunt, facilè à dæmonibus inuadi solere: qui quousque aliquid hominis sapiunt, forsan effugere poterint: si verò porci omnino fient, non solùm à dæmonibus exagitabuntur, sed etiam per præcipitia deferentur.* Et infra: *quia luxuria correptus, atque petulans, qui ad omnem corporis formam hiscit, differt à dæmoniaco;* Possessi autem spiritualiter à dæmonibus Deo sunt execrandi; ac pignus iam habent æternæ damnationis.

Chrysostom. Luxuriosus à dæmoniacò non differt.

Denique Virgines prædestinationis habent signum, quia dum dicuntur Apoc. 14. *sequi Agnum quocumque ierit*, iam deputantur inter oues quæ statuendæ sunt à dextris. Luxuriosi verò reprobationis habent signum, quia jam computantur inter hœdos, quos statuet à sinistris, Matth. 25. Quippe, ut notat Cornelius in hunc locum, *reprobos hœdis comparat, quod animal immundum est, petulans ac lasciuum.* Christus igitur reprobos potissimùm hœdos vocat, ut ostendat totum ferè reproborum numerum completi ex lasciuis, ac proinde specialissimum reprobationis signum subesse in lasciuia.

Apocal. 14.

Cornelius.

CAPVT XVI.

Nonum prædestinationis signum, Passionis Christi grata memoria: Reprobationis, oblivio.

CCV.

Dico decimosextò. Maximum est prædestinationis signum grata memoria Passionis Christi: reprobationis, oblivio.

Psalm. 21.

Probatur primò è Scripturis. Primus locus est Psalm. 21. *Reminiscentur, & convertentur ad Dominum omnes fines terræ.* Loquitur manifestè hic Psalmus ad litteram de Christi Passione: citatur enim Matth. 27 ille versiculus, *diviserunt sibi vestimenta mea*, &c. In hoc ergo Psalmo, quem à Christo recitatum in cruce tradunt aliqui, recenset Propheta sub persona Christi, furorem Judæorum comparatione vitulorum, *circumdederunt me vituli multi*: Taurorum, *tauri pingues obsederunt me*: Leonum, *aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens*: Canum, *circumdederunt me canes multi.* Denique apertè appellat consilium malignantium, *& consilium malignantium obsedit me.* Commemorat insuper contumelias, *aperue-*

runt super me os suum: effusionem sanguinis tam copiosi, ac si esset aquæ effusio; *sicut aqua effusus sum*: dolorem tum flagellorum, tum spinarum penetrantium vsque ad ossa, *& dispersa sunt ossa mea*: crucifixionem, *foderunt manus meas & pedes meos*: nuditatem in conspectu totius populi, *dinumeraverunt omnia ossa mea*: sitim extremam, *aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis*: partitionem vestimentorum, *diviserunt sibi vestimenta mea*. Postquam totam hanc Christus suorum cruciatuum, vt ita dicam, Iliadem enumerasset, subdit infra, quasi suos consolatus dolores, conversionem mundi futuram, tanquam suæ Passionis fructum: *Reminiscentur, & convertentur ad Dominum vniversi fines terræ*. In quem locum Hugo Cardinalis, *hîc*, inquit, *ostenditur fructus passionis Christi, conversio gentium*. Hanc autem dicit Propheta futuram præcipuè per memoriam Passionis, *reminiscentur, & convertentur*: quia, vt egregiè notant Origenes in comm. ad Rom. 6. *certum est quod vbi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum: est enim tanta vis crucis Christi, vt si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia. Sed continuò ad ejus* (crucis) *præsentiam totus ille peccati & carnis fugatur exercitus*. Ideo jure dicitur *reminiscentur, & convertentur*. Est ergo talis memoria, prædestinationis signum; quia eiusdem est medium: & ideo concluditur in fine Psalmi, *annunciabitur Domino generatio ventura; populo qui nascetur, quem fecit Dominus*: Quia nimirum populus hic electorum conflatur ex iis quî Passionis Dominicæ *reminiscuntur & convertuntur*.

Hug. Card.

Origen. Assidua passionis Christi memoria peccatum ab anima arcet.

Cant. 1.

Secundus locus est Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur*. Quem locum de memoria Passionis Christi exponunt Origenes l. quatuor Hom. in cant. hom. 2. Nyssen. hom. 3. Theodoretus, & Philo Carpat. in cant. Bernardus serm. 43. vbi, *tu quoque*, inquit, *si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam: atque hunc myrræ tam charum fasciculum de principatu tui pectoris nec ad horam patieris avelli: amara illa omnia, quæ pro te pertulit semper in memoria retinens, & assidua meditatione revolvens: quò possis dicere & tu, fasciculus myrrhæ*, &c. Et infra: *Hæc meditari dixi sapientiam: in his justitiæ mihi professionem constitui: in his plenitudinem scientiæ: in his divitias salutis: in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis. Hæc me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt: & inter læta, tristiaque vitæ præsentis, via regia incedenti, tutum præbent iter: hinc inde mala imminentia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi judicem*. Nihil aptius dici poterat ad probandum in memoria Passionis Christi constitui speciale prædestinationis signum, quàm *in ea constitui divitias salutis: eam tutum præbere iter: per eam conciliari mundi judicem*. Ideo postquam dicit sponsa, *fasci-*

Bernard.

culus myrræ, &c. subdit, *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Nempe ex Hebræo, vt advertit Cornelius, *botrus pulchritudinis in fonte felicitatis:* illi enim animæ, cui Christus per memoriam affectuosam Passionis est *fasciculus myrrhæ inter vbera*, erit *botrus pulchritudinis in fonte felicitatis:* ac proinde habetur in hac memoria signum prædestinationis ad gloriam.

Tertius locus est Cantic. 2. *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam*, &c. Columba in foraminibus petræ est anima per meditationem in Christi vulneribus. Ideo Gregorius in hunc locum, *per foramina*, inquit, *petræ vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerimus: cavernam verò maceriæ vulnus lateris. Et bene columba in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ esse dicitur; quia in crucis meditatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit: quasi columba in foraminibus, sic simplex anima in vulneribus nutrimentum, quo convalescat, invenit.* Idem tradit Cassiodorus, Beda, Anselmus, Apollonius, & Bernardus in Cant. Ex hoc autem loco colligitur in meditatione Christi vulnerum signum prædestinationis tripliciter.

Cantic. 2.

Gregorius.

Foramina petræ sunt manuum, & pedum Christi vulnera: caverna maceriæ, lateris vulnus.

Primò, quia anima, quæ per affectum habitat in his foraminibus, dicitur *columba.* Columba autem symbolum est animæ electæ. Ideo dicitur Cant 6. *vna est columba mea, perfecta mea, electa genitrici suæ.* quæ explicat sanctus Ambrosius, libro de Isaac & anima cap. 8. de qualibet *anima Benedicta.* Et Laurentius Iustinianus libro de sacr. connub. vbi hæc columba dicitur esse *anima à Deo singulari charitate dilecta:* quales sunt omnes animæ prædestinatæ. Ideo Chrysostomus hom. 4. de patientia Iob, eum, tamquam electum inter tot reprobos, appellat *columbam in medio accipitrum, ovem in medio luporum, stellam in medio nubium, lilium in medio spinarum.* Versari igitur in his foraminibus non competit nisi columbæ, idest animæ electæ.

Triplex prædestinationis signum in memoria passionis Christi.

Chrysost.

Secundò notatur signum electionis, dum dicitur *columba in foraminibus petræ*: quia, vt ait Bernardus sermone 61. in Cant. *in his foraminibus se columba tutatur, & circumvolantem intrepida intuetur accipitrem: & ideo ait, columba mea in foraminibus petræ. Quid non boni in petra? in petra securitas: in petra exaltatus: in petra sto firmiter.* Quod fit clarius in versione Vatabli, *columba in recessu scalarum, vel in abscondito graduum.* Quippe per Christi vulnera tanquam per scalas ad cognitionem Divinitatis ascenditur, vt apparet in Apostolo Thoma, qui, iis visis, exclamavit *Dominus meus & Deus meus*, Ioan. 20. Quamobrem Bernardus sermone 61. in Cant. *bona*, inquit, *foramina, quæ fidem astruunt resurrectionis, & Christi divinitatem.* Vnde habemus per Christi vulnera tanquam per scalas vsque ad ipsam Dei visionem ascendi. Dicit autem *in recessu*, siue *in*

CCVI. *Bernard.*

Vatablus.

Per Christi vulnera ad cognitionem divinitatis ascenditur.

Ioan. 20. Bernard.

abscondito scalarum: quasi sint quædam cochlea, sive scala occulta, per quam ad fastigium in turribus solet ascendi compendiosiùs, & tutiùs. Quo significatur animam sub hoc tegumento Christi vulnerum tutam ac tectam ab hostium incursibus progredi ad culmen æternæ gloriæ. Quod avertens Ambrosius libro de Isaac & anima cap. 4. *dixit*, inquit, *sponsus ad sponsam, surge secura in tegumento petræ, ideſt tuta præsidio passionis meæ. Hæc piorum animis est præmunitio: ideo & huic animæ ait, Veni columba mea in tegumento petræ.* Idem notans Bernardus sermone citato, *tuta*, inquit, *firmaque non est requies, nisi in vulneribus Salvatoris. Tantò in illis securior habito, quantò ille est potentior ad salvandum. Fremit mundus: tremit corpus: diabolus insidiatur: non cado: fundatus enim sum supra firmam petram.*

Ambrosius.

Tertiò denique colligitur ex hoc loco citato meditationem Christi vulnerum prædestinationis signum: quia cùm dixisset sponsus, *columba mea in foraminibus petræ*, subditur, *ostende mihi faciem tuam.* Quæ esse verba sponsæ ad sponsum opinatur Nyssenus oratione 5. in Cant. & Psellus in hunc locum. Illa igitur anima, quæ habitat sicut columba in foraminibus petræ, ideſt in Christi vulneribus, potest meritò poscere visionem divinam, & dicere *ostende mihi faciem tuam.* Quod videtur significasse Origenes in hunc locum; dum id quod vulgata *in foraminibus petræ*, legens cum Septuaginta *in tegumento*, sive *in velamento petræ*, *Hic*, inquit, *ostenditur animæ iter sub velamine petræ ad ea quæ non videntur, & æterna sunt.*

Anima, quæ in Christi vulneribus habitat, meritò potest divinam poscere visionē:

Quartus locus est Zach. 12. *Effundam super domum David, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ, & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt: plangent cum planctu, quasi super unigenitum.* Certum est hìc sermonē esse de Christi Passione, cùm de ea hūc locum citet Joan. 19. Pollicetur autem Deus effusurum se super Ecclesiam *spiritum gratiæ & precum*, ad aspiciendum Christum crucifixum, & plangendum. Impletum est hoc primo in iis Judæis, qui viderunt Christum cruci confixum, & tandem compuncti planxerunt, teste Luc. 23. *Omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculū istud, & videbant quę fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Adeo proficua est contemplatio Passionis, vt eis etiam profecerit qui Christum patientem contemplati sunt ut hostes. Si efficax fuit ad salutem eorum, qui spectavere crucifigentes: quantò magis eorum qui compatientes? Quod observat Salmeron tomo 10. tract. 48. in fine. Impletum est quoque hoc oraculum in milite, qui *lancea latus eius aperuit.* Quippe hic, ut testatur Nazianz. in carmine, quod inscribitur *Christus patiens*, cœcus erat; sed Christi sanguine, & aqua oculo aspersis, visum recepit externum & internum; ut Christum *aspiceret & plangeret.* Certum est hoc etiam quotidie impleri in iis qui per memoriam Passionis aspiciunt in Crucifixum, tanquam in eum

Zach. 12.

Luc. 23.

quem suis peccatis crucifixerunt, & plangunt; cùm expressè hîc dicatur, *Effundam super domum David spiritum gratiæ & precum*; *& aspicient, & plangent*, &c. Quod specialiùs videtur verificari in oratione 40. horarum, quæ fieri solet diebus Veneris in memoriam Passionis. Spiritus orandi, & meditandi Passionem, aspiciendi Christi vulnera, & plangendi, hîc à Deo promittitur specialiter prædestinatis, dum dicitur, *Effundam super domum David*: dixerat enim paulò antè, *Domus David quasi Dei, sicut Angelus Domini*, &c. Quid per hanc domum, seu familiam David, quæ est *quasi Dei*, sive, ut Pagninus & alii, *quasi Deus, & sicut Angelus Domini*, nisi familia prædestinatorum; Si igitur super hanc promittit Deus se effusurum *spiritum gratiæ & precum*, ut Christi vulnera *aspiciant & plangant*; manifestè sequitur talem Passionis memoriam affectuosam & compassivam specialissimum continere prædestinationis indicium. Quod advertens Bonaventura de vita Christi cap. 74. *Passionis*, inquit, *mysteria si toto fuerint perspecta intuitu mentis, in novum, ut puto, statum adducerent meditantem. Nam profundo corde, & totis viscerum medullis eam perscrutanti multi adsunt passus insperati: ex quibus nouam compassionem, nouum amorem, novas consolationes suscipiet, quæ sibi præsagium, ac participatio gloriæ viderentur.* Quid est *præsagium gloriæ*, nisi prædestinationis pignus ac signum? Hæc occasione Scripturarum. *Bonavent.*

Secundò idem probatur ratione. Prima ratio ducitur à priori sic. Omne id quod magis conjungit prædestinationis principio, maius prædestinationis est signum. Sed grata memoria Passionis maximè conjungit prædestinationis principio. Ergo maximum prædestinationis est signum. Major patet, quia quò aliquid magis conjungit agens subordinatum, & inferius suo principio superiori moventi illud ad finem, maius habet signum perventionis ad finem. Minor probatur, quia totum prædestinationis nostræ principium est Christus per sua opera meritoria, & maximè per acceptationem passionis & crucis, cui alligata fuit salus prædestinatorum, ut Theologi colligunt ex Paulo ad Phil. 2. *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen.* &c. nempe nomen Saluatoris, utique per crucem operando salutem, & merendo per eam electis prædestinationis chirographum. Ideo dicitur *deleuisse quod aduersùs nos erat chirographum* (damnationis) *affigens illud cruci*, 2. Coloss. 14. Ergo, si tota prædestinatio alligata est meritis Christi per Passionem & crucem, utique horum cogitatio affectuosa conjungit hominem, & quoad intellectum, & quoad voluntatem, ipsimet totius prædestinationis principio: atque adeo potissimum prædestinationis est signum.

CCVII.

Memoria passionis cõjungit nos cum prædestinationis principio. *Philip. 2.*

2. Col. 14.

Confirmatur primò, quia Passio Christi non solùm est causa me-

ritoria prædestinationis in ordine intentionis, sed etiam in ordine executionis, quoad omnia & singula prædestinationis media. Ergo qui intentionaliter conjungitur Passioni Christi, conjungitur principio continenti omnia simul prædestinationis media. Ergo maximè disponitur ad eadem recipienda, cùm omne passum disponatur magis ad recipiendam actionem agentis per majorem propinquitatem ad agens. Quod innuitur Isaiæ 12. *haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Quæ verba de aquis gratiæ, quas haurimus à fontibus Christi vulnerum, intelligunt Ambrosius in Psal.4.& Bernardus sermone 1. de nat. vbi, *sicut*, inquit, *in Paradiso terrestri fuere quatuor fontes, qui vniversam irrigarent terram; ita in Christo, qui noster est Paradisus, quatuor est reperire.* Et infra: *Propter hos quatuor fontes, quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc vivens in Cruce.* Qui igitur per meditationem frequentatam accedit ad Christi vulnera, habet in hoc prædestinationis suæ signum: quia non in riuulis, sed haurit salutem ex ipsis *fontibus Salvatoris*: & vnumquodque Christi vulnus fit in eo *fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ioan.4.

Isaiæ 12.

Bernard. Quatuor fõtes in Paradiso, & quatuor in Christo nostro paradiso vulnera.

Confirmatur secundò, quia memoria Christi vulnerum habet vim maximè excitandi spem salutis: *spes autem non confundit.* ad Rom 5. Quòd autem crucifixi ipsemet aspectus ad spem excitet & fiduciam, explicat egregiè Augustinus libro de Virg. vbi, *inspice*, inquit, *vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogitate: hæc in statera vestri cordis attendite: vt totus nobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce.* Porro nostræ prædestinationis spes maxima per Christi vulnera innuitur Cant 2. *hyems transiit, imber abiit & recessit: flores apparuerunt in terra nostra.* Quippe hi flores, spes veris, & hyemis depulsæ indices, vulnera sunt Christi. *Flores*, vt ait Bernardus sermone 33. in Cant. *rubentes, & ardentes: rubentes sanguine Passionis, & ardentes igne charitatis. In Passione rubescunt, ardescunt in charitate.* Habetur igitur ex iis & spes & charitas, quæ maxima sunt prædestinationis tum media, tum signa.

Augustin. Crucifixi aspectus ad spem excitat, & fiduciam.

Bernard.

Confirmatur tertiò, quia Christi vulnera non solùm concurrunt ad hoc objectivè movendo ad spem & charitatem; sed etiam physicè, & effectivè producendo omnes & singulos gradus gratiæ, qui dantur fidelibus tum in Sacramentis, tum extra. Neque solùm gratiam sanctificantem, sed etiam excitantem, & concomitantem: ita vt omnes illuminationes intellectus, & omnes excitationes affectuum erga bonum supernaturale physicè causentur ab his vulneribus, vt probavimus tomo 1. lib. 6. qu. 19. num. 5. Quod confirmari potest ex revelatione quadam sanctæ Franciscæ Romanæ, cui ostendit Christus vulnera

Christi vulnera Physicè in nobis gratiam causant.

nera immenso lumine radiantia, quod diffundebatur ad homines. Quorum alij vnjus tantùm fulgore vulneris, alij duorum, alij trium, aut quatuor; pauciſſimi omnium quinque radiis illuſtrabantur. Ergo, qui per meditationem & effectum magis accedit ad Chriſti vulnera, redditur magis particeps talis luminis; cùm modus connaturalis ſit cuilibet agenti fortiùs agere in id quod eſt propinquius: ac proinde in hoc acceſſu ad Chriſti vulnera habetur prædeſtinationis medium & ſignum; nempe lumen ſupernaturale, quo ad prædeſtinationis finem perducamur. Ideo Bonauentura faſcic. 6. de myſteriis vitæ Chriſti, *Paſſio*, inquit, *Chriſti non ſolùm inflammat deſiderium ad devotionem; quinimmò præcipuè illuſtrat intellectum, & ducit ad veritatis agnitionem.* *Bonavent.*

Confirmatur quartò, quia ipſummet lumen gloriæ, quod producitur in beatis, cauſatur phyſicè à Chriſti vulneribus, ut probatum eſt etiam tomo priore loco citato. Et conſtat præcipuè ex Apoc. 21. vbi dicitur *civitas non eget Sole*, &c. *& lucerna ejus eſt Agnus* Quem idem Ioannes Apocal. 5. vidit *ſtantem tanquam occiſum*, nempe ex inſignibus vulnerum. Lumen autem gloriæ ab Agno emicans, dicitur ſimile *lapidi jaſpidis*; quæ gemma ſanguineo fulget colore, vt ibidem notavimus ex Magno Alberto. Quod confirmatur etiam ex revelatione ſanctæ Franciſcæ Romanæ, cui oſtenſum eſt ex Chriſti vulneribus primò lumen promicans ad beatam Virginem, & omnes Sanctos cæli: tum lumen diffuſum ad homines in terra degentes: nempe his gratiæ, iis lumen gloriæ, vtrumque emanans è Chriſti vulneribus. Ergo anima per meditationem habitans in Chriſti vulneribus, habitat in eo Paradiſo, vnde immenſus radiat fulgor gloriæ. Ergo jam habet hîc pignus prædeſtinationis & gloriæ. Ideo cùm Chriſtus exhiberet in monte Thabor diſcipulis quoddam ſpecimen æternæ gloriæ, &, vt ait Chryſoſtomus hom. 57. in Matth. *oſtenderet quidnam ſit illa gloria, cum qua venturus eſt, quantùm capere poſſumus in hac vita*: dicuntur *apparuiſſe cum eo Moyſes & Elias, qui loquebantur de exceſſu, quem completurus erat in Hieruſalem* Quia non datur ſpecimen & pignus gloriæ, ſine memoria Paſſionis. Quippe, vt notat ſanctus Leo, *certa, & ſecura eſt expectio promiſſæ beatitudinis, vbi eſt participatio Dominicæ Paſſionis.* Neque immeritò Petrus dixit, *Bonum eſt nos hîc eſſe, faciamus hîc tria tabernacula*, &c. quia ſancti viri in memoria Paſſionis non ſolùm pignus Paradiſi, ſed ipſum etiam ſibi conſtituunt Paradiſum. Ideo ſanctus Bonaventura in ſtimulo divini amoris cap. 1. *Bonum*, inquit, *nos hîc eſſe: faciamus hîc tria tabernacula, vnum in pedibus, unum in manibus, aliud in latere: & hîc erit requies mea in ſempiternum: & hæc erit dulciſſima portio in vitam æternam.* *Apocl a. 21.* *Chryſoſtom.* *S. Leo.* *Bonaven.*

CCVIII. Anima in Chriſti vulneribus in paradiſo habitat.

Secunda ratio ducitur à poſteriori, ex effectibus quos cauſat fre-

quens Passionis Christi meditatio : quot enim causat media ad salutem , totidem præbet signa salutis ; cùm eadem sint media & signa, ut sæpiùs notatum est. Media autem ad salutem ferè omnia ex hac meditatione causantur, juxta id quod dicitur 1. Petri 4. *Christo igitur in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini.*

1. Pet. 4.

Bernardus. Christi vulnerum effectus recensentur. Bonavent. Hugo.

Patet id primò ex dictis Sanctorum. Bernardus sermone 62. in Cant. *Quid tam est efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio ?* Bonaventura coll. 7. *Qui se intentè & devotè in sanctissima vita & Passione Domini exercet , omnia utilia & necessaria sibi abundanter ibi inveniet : nec opus est ut extra Iesum aliquid quærat.* Hugo in 1. Petri cap. 4. *memoria*, inquit, *Passionis Christi, vel cogitatio , est maxima fortitudo & arma potentia contra diabolum : quæ multum ipse abhorret, quia ibi victus est.* Elegantissimè omnium hoc argumentum prosequitur sanctus Ephrem. sermone de sancta Cruce : *Crux*, inquit, *spes Christianorum, crux resurrectio mortuorum , crux claudorum baculus , crux pauperum consolatio , crux triumphus adversùs dæmones, crux juvenum pædagogus , crux inopum abundantia, desperatorum spes, navigantium gubernatio, crux fluctuantium portus , oppugnatorum refugium, crux pupillorum atque orphanorum pater , justorum consiliarius , crux afflictorum consolatio, crux infantium custos, virorum caput, senum corona , crux lumen eorum qui in tenebris sedent, crux Ecclesiæ firmamentum , atque orbis terrarum securitas, crux imbecillium fortitudo , agrotorum medicina, crux cibus esurientium , fons sitientium, fiducia monachorum.* Hæc omnia ut effectus enumerantur Crucis Dominicæ, per meditationem nobis propositæ: & sic conferentis animæ solatium, robur, securitatem , fiduciam, & alia omnia recensita. Idcirco Bernardus in sermone honestæ vitæ: *Sit*, inquit , *tibi Iesus semper in corde , & numquam imago crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus , dulcedo & consolatio tua : mel tuum , desiderium tuum , meditatio tua , oratio & contemplatio tua, & vita & mors, & resurrectio tua.*

S. Ephrem. Crucis encomia.

Bernardus.

Patet idem secundò non solùm è dictis, sed etiam ab exemplis Sanctorum. Supervacaneum est hîc indicem eorum texere , qui quotidiana Christi Passionis meditatione ad sanctitatis culmen devenere: pœnè quot Sanctorum vitæ leguntur, tot hujus veritatis sunt testes. Proferam hîc tantùm aliquos , qui id de seipsis testati sunt. Augustinus in Manuali cap. 22. *Cùm me*, inquit , *pulsaverit aliqua turpis cogitatio, recurro ad Christi vulnera : cùm me premit caro mea, recordatione Christi vulnerum resurgo : cùm diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Dei , & recedit à me. Si ardor libidinis movet membra mea , recordatione vulnerum Domini nostri Iesu Christi extinguitur. In omnibus adversis non inveni tam efficax remedium,*

Exempla aliquot eorum, qui meditatione passionis ad perfectionem sunt evecti. Augustinus.

quàm vulnera Christi. In illis dormio securus, requiesco intrepidus: nihil tam ad mortem amarum, quod Christi morte non sanetur. Hæc de se testatur Augustinus, cùm in suis angustiis confugiebat ad Christi vulnera: idem tamen, loco supra citato, dicit nihil esse tam salutiferum, quàm de iis quotidie cogitare: quia scilicet electorum est proprium quinque Christi vulnera pia aliqua precatiuncula venerari, & præcipua Passionis mysteria recensere. Addunt aliqui brevem aliquam totius Christi vitæ memoriam. Quod Bernardus serm. feriæ quartæ pœnosæ de se testatur his verbis: *Memor ero, quamdiu fuero, laborum illorum quos pertuli in prædicando, fatigationum in operando, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum ejus omnium, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horumque similium: quæ per eum, & super eum abundantiùs transierunt.* Alij sancti viri domicilium sibi statuunt in aliquo ex Christi vulneribus: pœnitentes in pedibus, alij in aliis, juxta devotionem vniuscuiusque, secuti exemplum Bonaventuræ, qui in stim. cap. 1. *in latere*, inquit, *Christi volo quiescere & vigilare, bibere, comedere, legere, adorare, & omnia mea negotia pertractare: ibi loquar ad cor ejus: & ab ipso, quod voluero, impetrabo.*

Bernardus.

In Christi vulneribus domicilium statuunt aliqui Sancti. *Bonauent.*

Patet idem denique tertiò ex variis revelationibus, quibus Deus sanctis viris declaravit quanti faciat in suis electis memoriam Passionis. Beatæ Gertrudæ revelatum fuisse à Domino refert Blosius c. 2. mon. spir. quoties aliquis devotè aspicit crucifixum, toties amanter respici à benignissima misericordia Dei. Quidam Religiosus scire cupiens quodnam obsequium Deo esset gratissimum; à Christo crucem bajulante audivit, non aliud esse quàm ferre simul cum eo crucem in corde, per crebram recordationem & compassionem: in ore, per devotam gratiarum actionem: in auribus, per pœnarum Christi auditionem: in dorso, per carnis assiduam macerationem: ita refertur in speculo humanæ salutis cap. 43. De quodam sancto Monacho Daniele narrat Cæsarius libro 8. cap. 10. impetrasse eum à Christo donum lacrymarum in recordatione Dominicæ Passionis: ita vt de ea nec loqui, nec cogitare posset sine lacrymis. Idem legitur de Sancta Brigitta, cui, cùm adhuc esset junior, apparuit Christus cruci affixus, ita recenti profusus sanguine, vt tunc è Calvariæ monte descendisse videretur. Ex quo tempore exerceri cœpit in meditatione Passionis; de qua numquam cogitare potuit sine lacrymis. Ita, habetur ex actibus Canonizationis sub Bonifacio IX. Sancto Francisco Asciſinati sacris Christi stigmatibus insignito, vt refert sanctus Bonaventura in ejus vita c. 1. memoria Passionis Christi, visceribus cordis ipsius adeo est impressa medullitus, vt cùm Christi crucifixi memoria veniret in mentem, vix posset à lacrymis & gemitibus exteriùs

CCIX.

contineri. De eodem etiam refertur libro 1. Chron. cap. 86. interrogatum aliquando, cur ploraret? respondisse, ita deberem vagari per totum mundum sine verecundia plangendo Passionem Domini mei.

Exhibendum est aliquid memoriæ passionis Christi.

Denique universali experientia constat, Sanctos viros, in quibus aliqua nota prædestinationis apparet, erga Christi passionem esse mirificè affectos, tum Christi doloribus compatiendo, tum in eorum honorem aliquid exhibendo: jejunium quartæ feriæ, in qua à Iuda Christus est traditus; & sextæ feriæ, in qua mortuus. Sanctus Nicolaus Myrensis nutricis uberibus abstinuit quarta, & sexta feria: quem morem servavit usque ad extremum spiritum. Quod multi postea sunt imitati. Alii sexta feria se flagellant ad honorem flagellorum Christi: alii abstinent, quoad fieri potest, à bibendo, ad honorem sitis Christi: alii singulis diebus orant aliquandiu expansis manibus, atque in crucis signum efformatis, ut aliquo modo juxta monitum 1. Petri 4. *communicent Christi passionibus*. Alii quotidie curant elicere ex compassionis effectu, aut ex peccatorum dolore, saltem lachrymulam: qua Crucifixi lavent vulnera, reddentes Christo lachrymarum guttas pro unda sanguinis. Quo pietatis exercitio quædam pia fœmina ad magnum culmen sanctitatis pervenit. Quippe à Deo plus æstimatur affectus ille compassionis, quàm alia externa opera. Ideo Albertus Magnus in tractatu missæ: *Simplex*, inquit, *recordatio vel meditatio Passionis Christi plus valet, quàm si quis per annum jejunaret in pane, & aqua, qualibet sexta feria: vel disciplinaret se qualibet hebdomada per annum, usque ad effusionem sanguinis; vel quotidie legeret unum psalterium.* In his fit tantùm comparatio inter opera externa præcisè accepta, & affectum compassivum internum in meditatione passionis. Quamobrem Bonav. *si vis*, inquit, *homo, de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere, quotidie quanta potes devotione mediteris Domini passionem.*

Meditatio passionis plus valet, quàm alia externa opera.

Bonavent.

Hoc igitur cum maximum sit prædestinationis medium, ut experientia monstrat, magnum etiam ejusdem est signum. Denique electi omnes dicuntur Ezech. 9. *signati Tau super frontes*: quo crucem significari ostensum est suprà. Quia signum prædestinationis est, crucis, & passionis imaginem interiùs, & exteriùs circumferre. Quod si in die judicii *parebit signum filii hominis*, Matth. 24. & electi omnes sub hoc vexillo: signum habent quod recipiendi tunc sint sub vexillo crucis, qui hic piè affecti sunt erga crucem. Quod si Christi condemnatio, & passio tunc non fuit sine liberatione Barabbæ: quantò magis fidelibus liberationis, & prædestinationis est signum? Quod animadvertens Athanasius or. in Parasc. *O rem*, inquit, *miram! subit mortis sententiam Christus, & statim Barabbas absolvitur. In ipso protinus condemnationis initio crux liberationem largitur.* Hæc de prædestinationis signo in passionis memoria.

Ezech. 9.

Matth. 24.

Electi, qui cruce hic sunt signati, sub crucis ultima die recipientur.

Athanas.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex his collige, per modū corollarij, speciale reprobationis signum in ejusdem oblivione. Tum quia contrariorum eadem est disciplina, ut sæpius notatum est. Tum quia maximæ ingratitudinis est nota, beneficium omnium maximum oblivisci. Passio autem, & mors Christi beneficium est inter omnia maximum: sive expendas sanguinem, & vitam Christi, quæ sunt infiniti valoris, & infinitè excedentis dona omnia gratiæ, & gloriæ: sive animadvertas quàm illi pœnosum fuerit: cum cætera omnia beneficia aut sine pœna fuerint, ut creatio, conservatio, & similia; aut cum minori pœna, ut incarnatio, circumcisio, prædicatio: quibus omnibus longè Christo pœnosior fuit Passio & mors. Quod si, ut ait Chrysostomus hom. 9. in Genes. *beneficia Dei omnibus horis considerandа sunt*, quantò magis beneficium omnium maximum: Qui enim beneficij obliviscitur, non potest gratiam referre: ac proinde dum deficit ex parte nostra gratiarum actio, signum est quod cessatura sit ex parte Dei gratiarum largitio: ut enim notat Bernardus sermone 1. in cap. jejun. *gratiarum cessat discursus, ubi recursus non fuerit: nec modo nil augetur in accipiente, sed etiam quod accipit, ei vertitur in perniciem.* Unde fit ut ipsa Christi Passio, ex se maximum bonum, tali oblivioso & ingrato vertatur in malum: quod est potissimum reprobationis indicium; cùm contrà electis ipsamet mala cooperentur in bonum.

Oblivio passionis Christi, reprobationis indicium,

Chrysostom.

Bernard. Cessante gratiarum actione, beneficium vertitur in perniciem.

Postremò, omnis qui elongat se ab eo prædestinationis principio, in quo tanquam in fonte cōtinentur omnia prædestinationis media, habet maximum reprobationis signum. Sed qui Passionis Dominicæ obliviscitur, elongat se per intellectum & voluntatem ab hujusmodi prædestinationis principio: per intellectum, de ea non cogitando: per voluntatem, non compatiendo. Ergo maximum habet reprobationis signum.

Confirmatur ex Psal. 30. ubi Christus id conqueritur iis verbis, *oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Perinde ac si diceret, Ego qui mortuus semel sum corpore oblivioni datus, mortuus sum etiam hominum cordibus. Observa autem hîc Christum dicere se oblivioni traditum ab iis qui eum videbant: *Qui videbant me, foras fugerunt à me: oblivioni datus sum*, &c. quia scilicet de eorum potissimùm ingratitudine queritur, qui eius Passionem aliquando considerant, & quodammodo per intellectū videntur, nullo tamen cordis affectu. Quod advertens Hugo Cardinalis, *mirum*, inquit, *videtur quod dicit oblivioni datum esse ab iis qui vident eum: sed signanter dicit, quia videntes oculo intellectus, non vident oculo affectus.* Ideo Zach. 12. de prædestinatis dicitur, *aspicient ad eum quem confixerunt, & plangent.* Quamobrem sive Passionis oblivio, sive aliqualis memoria sine affectu compassionis, reprobationis est signum. Ideo Psal. 21. qui totus est de Passione Christi, ut ostensum est supra, cùm di-

Psalm. 30. Passio Christi affectûs oculis, & nō intellectûs tantùm, est aspicienda.

Hugo Card.

Zach. 12.

CCX.

xisset *foderunt manus meas & pedes meos : dinumeraverunt omnia ossa mea* ; cùm hæc & cætera enumerasset, ad summam exaggerationem Iudaïcæ crudelitatis subdit , *ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me*,ac si diceret, crudeles quidem fuisse Iudæos , dum foderunt eius manus & pedes,fundendo eius sanguinem;sed crudeliores dum consideraverunt, & inspiciendo negarunt ei lachrymas : Quia, vt notat hîc Hugo Cardinalis , *multi Christum considerant oculo intellectus , pauci oculo affectus*. Nimirum hæc ingratitudo prævisa majori Christum dolore affecit, quàm ipsamet clavorum , quibus confixus est, vulnera. Ideo Bernardus ex persona Christi : *O homo* , inquit , *vide pœnas quibus afficior : vide clavos , quibus confodior : cùm sit dolor tantus exterior , interiùs est planctus gravior , cùm te tam ingratum experior.*

Bernard.

E quibus concluditur signum esse reprobationis non vulgare ex oblivione Dominicæ Passionis, de ea vel nihil cogitando, vel rarò, sive duritia quadam cordis Christi doloribus non compatiendo:Sicut enim , teste Bonaventura in stimulo divini amoris p. 1. *Passio suum meditatorem alienat , & non solùm reddit Angelicum , sed divinum* ; quod est præbere signum prædestinationis perspicuum : ita eiusdem vel oblivio , vel inaffectuosa memoria,quæ oblivioni æquivalet,hominem transfert non solùm ad statum belluarum , sed etiam diabolicum : quod est præbere signum reprobationis. Potestque meritò dici de Christo cruci affixo illud Ps.72.*qui elongant se à te, peribunt.* Quippe in solis Christi vulneribus ostium est vitæ.Ideo ab Evangelista dicitur,*vnus militum lanceâ latus eius aperuit*, Ioan.19.Nempe non dixit, vt Augustinus tract. 102. in Ioan.*vulneravit, sed aperuit : vt illic quodammodo vitæ ostium pandereiur.* De hac porta dicitur Ps.117.*Hæc porta Domini , iusti intrabunt in eam.* Nempe prædestinati & electi : ii verò qui incogitantia,& oblivione, se ab hac porta elongant , vtique excluduntur ab ea , adnumerati inter reprobos.

Christi latus electorum ostium ad vitam.

CAPVT XVII.

Decimum prædestinationis signum , Frequens & devotus vsus Eucharistiæ.

DIco decimoseptimò prædestinationis signum est frequens & devotus vsus Eucharistiæ.

Probatur primò è Scripturis. Primus locus est Genes.49. *Aser pinguis panis eius:& præbebit delicias Regibus.* In quem locum Glossa *per Aser*, inquit,*qui interpretatur Beatus, potest significari Christus;*

Genes.49. Glossa.

qui non solùm Beatus est, sed etiam beatitudo Sanctorum. Pinguis panis, ideſt Sacramentum Euchariſtiæ, in quo datur Chriſtus nobis in nutrimentum ſpiritualis vitæ. Et præbebit delicias Regibus. Per Reges intelliguntur cæli cives cum Chriſto regnantes. Nihil clarius dici potuit ad ſignificandum eos qui deliciantur in pane Euchariſtico, prædeſtinatos eſſe & electos. Idem ipſamet Eccleſia adaptat Euchariſtiæ in Officio Corporis Chriſti, vbi *pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias Regibus*; quia ſcilicet ipſemet panis Euchariſticus Reges facit. Quò videtur alludi Iſ. 21. *pone menſam, & contemplare in ſpecula comedentes & bibentes. Surgite Principes.* Vbi Hieronymus: *Dicitur*, inquit, *per Prophetam ad omnes credentes, vt comedentes & bibentes corpus & ſanguinem Domini vertantur in Principes* Chriſtus igitur Princeps & Rex gloriæ, comedentes & bibentes ipſum convertit in Principes ac Reges, ideſt in prædeſtinatos ad Regnum. Quamobrem Chryſoſtomus hom. 45. in Ioan. *hic ſanguis*, inquit, *nobilitatem animæ non ſinit langueſcere. Hic ſanguis facit, vt imago in nobis Regni floreat.* Ideo dicitur *præbere delicias Regibus.* Quippe, vt notat Gregorius expoſit. in 7. Pſalm. Pœnit. Pſalm. 5. verſ. 24. *Per Reges eos intelligas, qui animorum ſuorum motus ſecundùm Dei voluntatem dirigunt, eiſque Regum more dominatur; dum in rationis eminentia, quaſi in Regali ſolio, præſidentes, pacatis omnibus, innocentia in ſeipſis iura diſponunt.* Dicitur ergo panis Chriſti præbere delicias Regibus, ſive iis qui animi motibus Regum more dominantur; ſive iis, qui prædeſtinati ſunt ad Regnum. Inſigne igitur ſive præſentis, ſive futuri Regni eſt invenire delicias in hoc pane.

Chriſti corpus panis cæleſtium civium. *Iſaiæ 21.* *Hieronym.* *Chryſoſtom.* *Gregorius.* Reges ii, qui ſecundùm Dei voluntatem animi ſui motus regunt.

Secundus locus ex Exodi 12. vbi præcipitur Iſraëlitis egreſſuris ex Ægypto, & profecturis, in terram promiſſionis, eſus Agni. Hic autè figura fuit Euchariſtiæ, vt communiter Patres & Interpretes. Quamobrem eſus Agni debebat fieri nocte: *Edent carnes nocte illa aſſas igni*, Tum quia Euchariſtia inſtituenda erat nocte, *in qua nocte tradebatur*, 1. Cor. 11. Tum quia Chriſtus in hoc Sacramento non videtur, ſed creditur: & ideo Euchariſtia appellatur *myſterium Fidei*. Idcirco Gregorius libro 2. in Evangelia hom. 22. *nocte*, inquit, *Agnum comedimus; quia modò in Sacramento Dominicum corpus accipimus.* Clariùs autem Lyranus: *Edent*, inquit, *nocte: per quod ſignificabat, quod Chriſtus non eſt in Euchariſtia modo viſibili, ſed per fidem: quæ eſt de non apparentibus.* Tria autem, vt notat ſanctus Thomas 3. p. q. 73. art. vlt. in corpore, conſiderari poſſunt in Euchariſtia. Id, quod eſt Sacramentum tantùm: & ſunt accidentia panis, & vini. Id, quod eſt res, & Sacramentum: & eſt ipſemet Chriſtus. Vltimò effectus Sacramenti: & eſt gratia. Hæc autem, vt obſervat Burgenſis addit. 2. ad Gloſſam Exodi 13. reperiuntur figuraliter in eſu agni. Nam primò agnus comedebatur cum panibus azymis Exodi 12. & ſic figura fuit

Gregorius.

Sacramenti, quod juxta ritum Latinum conficitur in pane azymo.

Agnus paschalis figura fuit Christi.

Secundò, Agnus figura fuit Christi, qui est res & Sacramentum: & immolatio illius ab omni multitudine filiorum Israël in decimaquarta Luna fuit figura Passionis Christi, quæ completa fuit in eadem Luna. Quare & agnus ille assatus fuit in formam crucis, ut observat Justinus dialogo cum Tryphone, & alibi notatum est. Tertiò, quantum ad effectum; quia agni comestionem secuta est liberatio à servitute Ægyptica, & comestionem Eucharistiæ sequitur liberatio à peccatis. Hinc sumitur in Eucharistia prædestinationis signum; quia illa comestio agni facta in Ægypto fuit initium profectionis in terram promissionis, quæ figura erat cœlestis patriæ. Quamobrem

Glossa.

Glossa, *Phase*, inquit, *à filiis Israel ex Ægypto migrantibus primum celebratum est. Nobis quoque surgendum est de transitoriis ad æterna, de terrenis ad cœlestia.* Idcirco jussi sunt comedere agnum *tenentes baculos in manibus*: quia, ut notat Lyranus, *sumentes Eucharistiæ Sacramentum ostendere debent se peregrinos esse in hoc mundo.* Jubentur etiam *comedere festinanter.* Unde infert Gregorius loco citato: *festinanter ergo Pascha comedite, idest ad solemnitatem patriæ cœlestis anhelate. Nemo in huius vitæ itinere torpeat, ne in patria locum perdat* Hæc omnia signa sunt & characteres prædestinatorum, qui ex hoc esu agni pergunt ad patriam.

CCXI.

Lyranus.

Eucharistiâ sumentes ut peregrinos hujus vitæ se debent existimare.

Exod. 13.

Tertius locus est Exodi 13. *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis.* Hæc figura fuit Eucharistiæ, in qua sub accidentium sensibilium veluti nube Christus absconditur, ductor populi Christiani, ut indicat Origenes, Ambrosius libro 4. in Luc 4. Drogo libello de sacratissima Domini Passione, & Glossa ordinaria in dictum locum Exodi, vbi: *Christi*, inquit, *Sacramentum manifestum est in carne, tanquam in nube.* Hoc autem apparet multipliciter. Primò, quia ibi apparebat nubes exteriùs: interiùs autem in ea absondebatur Angelus sub figura humana, repræsentans ipsum Verbum, quod erat incarnandum. In Eucharistia etiam aliud apparet exterius, nempe nubes accidentium materialium: aliud absconditur interius, scilicet Christus ductor Christiani populi ad veram terram promissionis. Ideo de fidelibus ad hoc Sacramentum accedentibus potest dici ex 2. Esdræ 9. *columna nubis ductor eorum.* Secundò de illa nube dicitur loco citato Exodi, *nunquam defecit columna nubis per diem coram populo:* utique usque dum pervenirent ad terram promissionis. De præsentia verò Christi in Eucharistia dicitur Matt. 28. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, ideſt usque dum totaliter populus Christianus deveniat ad veram terram viventium: interim in altaribus *nunquam deerit hæc columna nubis coram populo.* Tertiò de ea dicitur, *aperuit nubes tabernaculum, & gloria Domini implevit illud*; quia in tabernaculo Eucharistiæ Deus *ostendit*

Columna nubis in deserto, Eucharistiæ figura.

Glossa.

Matth. 28.

dit divitias gloriæ Regni sui, ac magnitudinem atque jactantiam potentiæ suæ. Esther 1. Quartò, erat illa nubes figuræ circularis & rotundæ repræsentans columnam: & ideo dicitur Esdræ loc.cit. *deduxit eos in columna nubis.* Hostia etiam Eucharistica figuræ est circularis, & rotundæ: in qua non una, sed duæ hinc inde columnæ signantur, quasi Herculeæ columnæ, cum inscriptione *non plus ultra.* Quippe in institutione hujus Sacramenti *cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Joan. 13. Quintò, ut dicitur Exodi 14. illa nubes erat *tenebrosa, & illuminans noctem.* Quia Eucharistia *tenebrosa* est, per obscuritatem fidei: *& illuminans noctem*, per coruscationem mirabilium, quæ in ea apparent. Postremò illa ductum præbebat Israëlitis ad terram promissionis: & ideo dicitur Exod. 13. *Ad ostendendam viam in columna nubis.* Nubes verò Eucharistica ductum præbet fidelibus, & ostendit viam ad cœlum. Ideo dicitur Psalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Quamobrem Drogo Hostiens. libel. de sacram. Dom. pass. *Gradere nunc,* inquit, *nobiscum Domine, ne desolemur, & tristemur in via: quoniam tu ipse præcedebas filios Israël in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem. Quæ est nubes, quæ præcedit veros Israëlitas, nisi verissimum, & sanctissimum corpus tuum, quod in altari sumimus? In quo velatur nobis altitudo diei, immensitas maiestatis tuæ: cuius calorem, & splendorem mortalis infirmitas sustinere non potest, nisi mediatrix nubes interposita & ardorem temperet desuper, & tutam subtus vitam demonstret.* Quid est Eucharistiam viam tutam ostendere ad gloriã, nisi ex eius frequenti, & devoto vsu signum prædestinationis haberi? Nempe *hæc est columna nubis*, vt dictum est cum Drogone, *quæ præcedit veros Israëlitas*: cuius ductum qui sequuntur, ii verè sunt Israëlitæ: & rectè ad cælum, tanquam ad veram terram promissionis, perueniunt.

Esther. 1.

Psalm. 49.

Drogo.

Eucharistia viam tutam ostendit ad gloriam.

Quartus locus est Iudic. 7. vbi, cum visus esset *subcinericius panis in castra Madian descendere, percutere, atque subuertere*, responsum fuit, *Nec est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis.* Gedeonem Christi fuisse typum notat Hieronymus in Is. cap. 9. Gregorius lib. 30. mor. cap. 17. & habetur expressè ex Is. 9. *Iugum oneris eius superasti, sicut in die Madian.* Gladius verò Gedeonis est humanitas, & caro Christi: quam gladium appellat Tertull. lib. 4. contra Marcionem, Aug. in Psalm. 7. Procopius in Is. 49. & alii. Gladius hic visus est sub forma panis: cum tamen nihil commune videatur pani, qui nutrit ad vitam, cũ gladio qui cædit ad mortem. Quia caro Christi in Eucharistia sub forma panis, gladius est subuertens castra inuisibilium Madianitarum, vt notat Spinellus lib. de B. Virg. cap. 22. n. 13. Cresollius in Anthologia sacra cap. 11. sect. 5. Magaglianes in eum locum, alijque: cum quibus consonat id, quod dicit Cyprianus epist. 45.

Iudic. 7.

Gedeon Christi typus: ejus gladius Christi est humanitas. *Isaiæ 9.*

ad Cornelium, ubi: *Quos*, inquit, *excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes nudosque relinquimus: sed protectione corporis, & sanguinis Christi munimus. Vt, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.* Sicut igitur subcinericius ille panis signum victoriæ attulit: statimque omine ex eo accepto dictum est, *surgite, tradidit Dominus in manus nostras castra Madian*: ita panis Eucharisticus signum præfert victoriæ à dæmonibus reportandæ. Ideo idem Cyprianus epist. 56. *Armemus*, inquit, *dexteram gladio spirituali: & Eucharistiæ memor, qui Domini corpus accepit, ipsum complectatur, postea à Domino præmium accepturus cælestium coronarum.* Quem locum explicans Pamelius num. 32. *Alludit*, inquit, *ad veterem Ecclesiæ usum, quo sumebatur in manus Eucharistia.* Quam Cyprianus appellat *gladium spiritualem, omen præmii, & cœlestium coronarum.*

Cyprianus.

Psalm. 4.

Lyranus.

Ambrosius.

Cum Eucharistiæ vino, & frumento, lætitia spiritualis & omen gloriæ conjunctum.

Eccl. 9.

Psalm. 67.

Hugo Card.

Psalm. 103.

Cyrillus.

Quintus locus est Psalm. 4. *Dedisti lætitiam in corde meo: à fructu frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt.* Idest, ut glosat Lyranus, *per oblationem, & perceptionem Eucharistiæ.* Quem locum expendens Ambrosius in eum Psalm. *Data est*, inquit, *lætitia in corde nostro ab illo tempore, quo accepimus frumentum in corpore, vinum in sanguine, oleum in chrismate.* Conjungitur cum hoc frumento, & vino, quædam spiritualis lætitia, omen & signum felicitatis futuræ: ideo dicitur *dedisti lætitiam in corde meo*: sicut etiam Eccl. 9. *comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum.* Quæ verba Cyrillus Hierosolymitanus catecheſi mystag. 4. explicat de Sacramento altaris sumendo cum lætitia. Dicitur quoque Psal. 67. *justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.* In quem locum Hugo Card. *Epulentur*, inquit, *in sumptione Eucharistiæ: & exultent in conspectu Dei.* Præterea Psalm. 103. *ut exhilaret faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet.* Quem locum explicans Cyrillus Hieros. cathech. cit. *confirma*, inquit, *cor tuum participans de hoc pane* (Eucharistico) *& exhilara faciem tuam: ut possis gloriam Domini speculari, transformatus à gloria in gloriam.* In Scripturis igitur conjungitur cum perceptione hujus Sacramenti lætitia, propter spem, quam affert prædestinationis, & salutis. Idcirco Psalm. cit. postquam dictum est, *dedisti lætitiam in corde meo: à fructu frumenti*, &c. subditur, *in pace in idipsum dormiam, & requiescam.* Quod est prædestinatorum proprium, qui *dormiunt in Domino*, vt dicitur de Stephano Act 7. nempe electorum mors somnus est: quæ coniungitur à Dauide cum *fructu frumenti, & vini.* Quia fructus Eucharistiæ specialis, est sancta mors, quam ex persona prædestinati auguratur sibi ab hoc Sacramento, *à fructu frumenti*, &c. *in pace dormiam, & requiescam.* Ideo fortasse hoc Sacramentum non prandium, sed cœna dicitur Lucæ 14.

CCXII. Eucharistiæ fructus est sancta mors.

homo quidam fecit cœnam magnam, &c. Quia, si benè cœnatur, benè dormitur: & salutaris cœna causa est, & auspicium somni etiam salutaris. Ex hac Eucharistica cœna sumendo auspicium bonæ mortis potest quispiam dicere cum Dauide post *fructum frumenti, & vini, in pace in idipsum dormiam, & requiescam.* Ideoque vidit Ioan. Apocal. cap. 6. *requiescentes iustorum animas subtus altare*: quia requies iustorum pendet à Sacramento altaris. Quod notans August. serm. 11. de SS. *rectè*, inquit, *subtus altare iustorum animæ requiescunt: quia super altare corpus Domini offertur.*

Eucharistia cur cœna dicatur apud Lucam. *Luca* 14. *Apocal.* 6. *Augustinus.*

Sextus locus est Psalm. 21. *Edent pauperes, & saturabuntur. Laudabunt Dominum, qui requirunt eum: viuent corda eorum in sæculum sæculi.* Quem locum, vt notat Lorinus, Patres Græci, & Latini de Eucharistia explicant. Obseruanda est connexio: *Edent pauperes*, nimirum pauperes spiritu, & humiles, quibus proficit Eucharistia. Subditur, *viuent corda eorum in sæculum sæculi.* Edentibus igitur Eucharistiam pronosticon fit vitæ *in sæculum sæculi.* Est animaduersio Lyrani. *Edent*, inquit, *pauperes, idest verè humiles. Et saturabuntur, quia proficit eis hoc Sacramentum, Et laudabunt Dominum, quia cum diuinis laudibus, & gratiarum actionibus debet accipi hoc Sacramentum. Vivent corda eorum, quia vivificat spiritualiter, & æternaliter.* Idem notat Hugo Cardin. in eundem locum. *Edent*, inquit, *pauperes: quia comedent Christum spiritualiter nonnisi pauperes, idest contemptores divitiarum, & humiles. Laudabunt Dominum, gratias agendo. Vivent corda eorum in sæculum sæculi, idest in æternum.* Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Idem infrà. *Edent pauperes, & laudabunt comedendo: & laudando comedent.* Obseruandum est etiam dici *Edent pauperes, & saturabuntur.* Quia panis hic humiliter, & deuotè acceptus verè satiat: quod non præstatur per escam delectationum mundi hujus. Ideo dicitur Proverb. 13. *ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii.* Quia scilicet delectatio temporalis mendax est, aliud præferens in specie, aliud exhibens in re: atque adeo nullo modo satiat. Ex hoc autem pane Eucharistico *edent pauperes, & saturabuntur.* Quia, ut notat Tertull. de resur. car. cap. 8. *dum caro corpore, & sanguine Christi vescitur, de Deo anima saginatur.* Postremò obseruanda sunt etiam, quæ subduntur. *Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium: manducaverunt, & adoraverunt.* Quia scilicet panis Eucharisticus Christo regnum, ac dominium comparavit. Quamobrem Augustinus lib. 1. ad Januarium, *Sacramento*, inquit, *corporis Domini subjugatus est mundus*: nempè *manducaverunt, & adoraverunt.* Quia ut addit Timotheus presbyter conc. de occursu, *per divinam hanc mensam, & mundus est stabilitus, & orbis terrarum*

Psalm. 21. Eucharistiã edentibus prognosticõ fit æternæ vitæ. *Lyranus.* *Hugo Card.* *Proverb.* 13. *Tertull.* *Augustinus.*

consistit, & regnum custoditur, & multiplicatur Ecclesia. Dicit *manducaverunt, & adoraverunt*: ideo *adoraverunt*, quia *manducaverunt*. Subdit, *pingues terræ*, id est, ut glosat Lyranus, *Principes Christiani, qui devotè manducant corpus Christi.* Meliùs Titelmanus per pingues terræ intelligit *sapientiores & præstantiores super terram, qui comedunt sanctum panem corporis Christi.* Quippe proprium est electorũ frequenter & devotè hunc panem comedere: qui dicunt *pingues terræ*, eò quòd possunt dicere cum Davide Psalm. 62. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Ideo Theodoretus in eum Psalmum, *manducaverunt*, inquit, *omnes pingues terræ, ut qui ab illo divino cibo tales effecti sunt.* Ideo appellavit Is. 25. *convivium pinguium.* Quod si per *pingues terræ* intelligantur cum Hugone *divites terræ*, hoc idem Sacramentum manducant divites terræ; quia manducatione ipsa spiritualibus ditantur divitiis. Ideo fortasse Joseph, quo tempore *accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu*, dicitur *homo dives*; quia corpore ipso Christi dives effectus est. Quod expendens Ambrosius libro 10. in Lucam cap. 23. *meritò*, inquit, *hoc loco dives dici cœpit, ubi corpus suscepit Christi: suscipiendo enim divitem, nescivit fidei paupertatem.* Manducatio igitur devota & frequens corporis Christi, prædestinationis est signum: quia iis potissimùm competit, qui sunt *pingues*, sive *divites terræ*: utpote qui dum in terra degunt, sunt *divites in bonis operibus*, ut loquitur Paulus 1. ad Tim. 6. quod maximè prædestinatorum est proprium.

Ambrosius.

1. Timot. 6.

Septimus locus est Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam adversùs eos qui tribulant me: impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est! & misericordia tua subsequetur me*, &c. Loquitur hîc de mensa & calice Eucharistico, ut communiter Patres & Interpretes. Cyprianus epist. 63. *In Psalmis*, inquit, *Spiritus sanctus mentionem facit Domini calicis, dicens, Calix meus inebrians, quàm præclarus est.* Cyrillus catech. mystag. 4. *Parasti*, inquit, *in conspectu meo mensam, quid aliud significat, nisi mysticam illam & spiritualem mensam, quam Deus nobis proposuit adversariam illi, quæ ante nobis à dæmonibus parabatur? Et calix meus inebrians quàm præclarus est, Vides hîc dici de calice, quem Iesus accipiens dixit, Hic est sanguis meus.* Idem habet Eusebius demonstr. Euang. l. 1. cap. 10. Hugo Cardinalis, aliique in eum locum. Ex hoc autem loco habetur in deuoto vsu Eucharistiæ signum prædestinationis tripliciter.

Psalm. 22.

Cyprianus.

Cyrillus.

Primò, quia hæc mensa pascit simul, & armat ad prælium: vt similis quodammodo videatur mensæ & conuiuio Lapitharum; de quibus traditur, eos inter epulas præliantes, crateribus vsos esse pro telis. Ideo mensæ huius panis dicitur *panis fortium*: vbi enim habet vulgata Psal. 77. *panem Angelorum manducauit homo*, ex Hebræo

Psalm. 77.

legit Hieronymus *panem fortium*; quia scilicet hæc mensa bellatores reddit, & fortes. Quamobrem Chrysostomus hom. 61. ad populum Antiochenum monet *vt tanquam leones ignem spirantes ab hac mensa recedamus, diabolo facti terribiles.* Ipsi quoque martyres non aliunde sumunt arma, cùm descendunt ad certamen Fidei, quàm ab hac mensa Eucharistica. Idcirco Cyprianus epist. 30. *idoneus*, inquit *esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam recepta Eucharistia non erigit.* Mensa hæc tam egregiè armans, & muniens contra hostes, signum est prædestinationis; quia est omen victoriæ. Ideo Is. 30. vbi vulgata, *in bellis præcipuis expugnauit eos*, ex Hebræo *in sacrificiis expugnabit eos*, vt animaduertit Forerius id de Eucharistia interpretatus. Nimirum, vt ait Petrus Damian. opusc. de instit. monast. cap. 3. *terretur aduersarius, dum videt Christiani labia Christi cruore rubentia: agnoscit enim præstò suæ perditionis indicium, & diuinæ victoriæ, qua captiuatus & obrutus est, non tolerat instrumentum.*

Eucharistiæ mensa bellatores reddit, & fortes. *Chrysostom.* CCXIII. *Cyprianus.* *Isaiæ 30.* *Petr. Dam.*

Secundò, idem colligitur ex iis verbis, *calix meus inebrians, quàm præclarus est.* Quippe dicitur hîc *calix inebrians*, quia, vt notat sanctus Cyprianus libro 2. epist. 3. ad Cæcil. *sicut ebrietas hominem à se & à mente alienat, facitque planè alium; sic Eucharistia fidelem à se alienat, & ex terreno facit cælestem.* Quod maius signum prædestinationis ad cælestem gloriam, quàm hoc calice *ex terreno fieri cælestem?* De hac ebrietate ait Augustinus libro de agone Christian. cap. 9. *datum nobis esse pignus, in quo sentimus eius dulcedinem, & desideramus ipsum vitæ fontem; vbi sobria ebrietate inundemus.* Et infrà: *Tulis*, inquit, *ebrietas non euertit mentem; sed rapit sursum, & obliuionem præstat omnium terrenorum*: quasi per hunc fluuium Lethem, quo *obliuio præstatur omnium terrenorum*, transitus fiat non ad fabulosos, sed ad veros campos Elysios Paradisi. Neque verò Laïcis, qui Eucharistiam tantùm sumunt sub specie panis; hæc ebrietas denegatur. Ideo dicitur Oseæ 7. *viuent tritico*; vbi Septuaginta, *inebriabuntur tritico.* Hæc ebrietas, quæ affluentiam significat spiritualium consolationum, ebrietatem illam beatificam repromittit, de qua Psal. 35. *inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Ideo dicitur Psal. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*; quia qui dignè bibit ex hoc calice, præsagium iam habet quod futurus sit hæres æternæ vitæ.

Cyprian. Eucharistiæ calix inebriat hominem à se alienans, ac reddens cælestem. *Augustinus.* *Psalm. 35.*

Tertiò denique idē apertè colligitur ex verbis immediatè sequentibus. Siquidem statim subdit, *& misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Eucharistia enim vt par est susceptа, meretur copiam diuinorum auxiliorum *omnibus diebus vitæ*, & sic perducentium ad perseuerantiam finalem, ex qua gloria æterna. Concludit,

Eucharistia deuotè accepta copiā diuinorum auxiliorum per totam vitam meretur.

& vt inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum. Nempe videndo Deum per totam æternitatem, iuxta id quod dicitur Ps.90. *longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.* Hi sunt effectus huius mensæ, de qua dixerat, *parasti in conspectu meo mensam.* Iure autem dicitur *parasti*; quia, vt notat ibi Hugo Cardinalis, *nemo parare potuit hanc mensam, nisi Deus.*

Psalm.90.

Psalm.110. Octauus locus est Psal.110. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.* Et statim subdit, *memor erit in sæculum testamenti sui.* Hunc locum de Eucharistica explicat Augustinus in hũc Psalmũ, qui escam, inquit, *dedit, quæ non corrumpitur: panem, qui de cælo descendit.* Cassiodorus ibidem: *Esca*, inquit, *data est timentibus eum, idest communicatio Corporis & Sanguinis sacri.* Hugo Cardinalis ibidem, *Dedit*, inquit, *Deus antiquis manna, modernis suum Corpus & Sanguinem.* Idem habet vtraque Glossa, Titelmanus, Lorinus, & alii. Dicitur autem Eucharistia esse quædam recollectio mirabilium Dei, quæ recenset sanctus Thomas opusc.68.cap. 11.& ex recentioribus Cornelius in Prou.23. vbi doctè, vt solet, & piè enumerat decem Eucharistiæ miracula, cum totidem effectibus ex parte sumentis. Sed his omissis, quæ ad rem nostram non faciunt, tria tantùm ad probandum intentum mirabilia adducam, quorum Deus *memoriam fecit* in institutione Eucharistiæ, scilicet Creationem, Incarnationem, Passionem: quæ in hac esca veluti recapitulata sunt per nouam creationem, per nouam incarnationem, per nouam passionem.

Augustin. Cassiod.

Hug. Card.

Tria mirabilia in Eucharistia recollecta: ac primum est nova creatio.

Primò, in hoc Sacramento est noua creatio: Sicut enim Deus verbo creauit mundum, & vt dicitur Psal.148. *ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt*; ita hic per verba consecrationis sub speciebus constituitur: & iuxta opinionem multorum, per nouam actionem conseruatiuam creat corpus Christi longè mundo nobilius. Quod expendens Ambrosius libro 4. de Sacramentis cap. 4. *iussit*, inquit, *Dominus, & factum est cælum, iussit Dominus, & facta est terra: iussit Dominus, & facta sunt maria, iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo quàm sit operatorius sermo Christi.* Et infra: *Cælum non erat, mare non erat: terra non erat: sed audi dicentem, ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt: Ergo, vt tibi respondeam, ante consecrationem non erat corpus Christi; sed post consecrationem est. Ipse dixit, & factum est: ipse mandauit, & creatum est.* Præterea, si ad creandum requiritur virtus infinita, & ipsamet Dei omnipotentia; hæc eadem requiritur ad conficiendum hoc Sacramentum: & ideo signanter dicitur à Ioanne cap.13. quod Christus *sciens quia dedit ei omnia Pater in manus, cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos*, vtique in institutione huius Sacramenti: neque enim potuisset illud instituere, nisi impendendo in eo diuinam

Psalm. 148.

Ambrosius.

Ioan.13.

omnipotentiam. Idcirco *sciens quia dedit ei omnia Pater in manus,* CCXIV.
paulò pòst iisdem manibus iam omnipotentia plenis *accepit panem,*
&c. Quamobrem Prou. 23. mensa Eucharistiæ dicitur *mensa potentis*: vbi enim vulgata, *quando sederis vt comedas cum Principe*, vertunt Septuaginta, *vt comedas super mensam potentis*. Augustinus autem tract. 84. in Ioannem: *Quæ est*, inquit, *mensa potentis, nisi vnde sumitur Corpus & Sanguis Christi?* Dicitur *mensa potentis*, quia in ea Christus ostendit suam omnipotentiam, per compendiosam quandam creationem mundi cuiusdam nobilioris: & ideò dicitur in hac esca *memoriam fecisse suorum mirabilium*: & præcipuè admirabilis mundi creationis: quia in Eucharistia, vt dictum est ex Ambrosio, *ipse mandauit, & creatum est Corpus Christi.* Quod si inter prima mundi mirabilia numeratur Archimedis opus, omnes cælorum Solisque motus in Christallina sphæra claudẽtis: vtiq; multò est admirabilius, in Eucharistia cum Christo claudi cælorum orbes, & mundi totius ambitum Christi manu contentum. Neque hic deest sphæra christallina, cum dicatur psalm. 147. *mittit Christallum suam sicut buccellas*: buccellæ enim nomine venit Eucharistia ex illo Ioan. 13. *Accepta buccella, intrauit ad eum* (in Iudam) *Sathanas.* Ideo *chrystallum sicut buccellas*, inquit Augustinus *sicut frustulas panis condidit.* Nihil commune buccellæ panis cum christallo; nisi dicatur frustulas panis candidi in Eucharistia esse veluti sphærulas quasdã chrystallinas, quibus Christus cælorum conditor clauditur, suos peragens spirituales motus, Sol longè nobilior. Hinc habetur prædestinationis signum dupliciter. Primò quia in cælo Eucharistico, quod intra nos defertur, pignus quoddam exhibetur, quòd intraturi aliquando sumus in cælum Empyreum. Secundò, quia si in hoc Sacramento fit transubstantiatio, nempe annihilatio prioris substantiæ, & noua quædam creatio, signum est, quòd per hoc Sacramentum in id dignè suscipientibus fit quædam transmutatio, & veluti transubstantiatio spiritualis, annihilato *homine veteri cum actibus suis* ad Coloss. 3. formando *hominem nouum, qui secundum Deum creatus est.* Idcirco Ambrosius lib. 5. de sacr. cap. 4. probat transmutationem panis in corpus Christi ex transmutatione hominis veteris in nouum: *Quia tu ipse eras vetus creatura, & noua creatura esse cœpisti* Et cap. 12. *deposuisti*, inquit, *peccatorum senectutem, sumpsisti gratiæ iuventutem. Hoc tibi præstiterunt Sacramenta cœlestia.* Sed clariùs Augustinus in Psalm. 35. *Perit*, inquit, *quodammodo humana mens* (ecce annihilatio prioris substantiæ) *& fit diuina*; (ecce transmutatio in novam) *& inebriatur ab ubertate domus Dei. Vnde in alio psalmo dicitur, calix tuus inebrians quàm præclarus est.* Ecce tota transmutatio hominis veteris in nouum refertur ad calicem Eucharisticum. Idcirco Psalm. 21. cum dictum esset de hoc Sacramento *manducaue-*

Proverb. 23.

Augustin.

In Eucharista Christus suam ostendit omnipotentiam.

Psalm. 147.

Ambros.

Transmutatio panis in corpus Christi probatur ex transmutatione veteris hominis in novum.

Augustinus.

Psalm. 21.

runt, infrà subditur *annunciabitur Domino generatio ventura: populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.* Quia maximè ex Eucharistia nascitur populus electorum à Deo specialiter, & spiritualiter creatus. Atque hæc quantùm ad primum mirabile nouæ creationis.

Secundum mirabile in Eucharistia, nova quædã Incarnatio.

Quantùm ad secundum mirabile Incarnationis, in Eucharistia videtur fieri noua quædam incarnatio: &, vt aliqui appellant, *quædam Incarnationis extensio:* Quia sicut prima Incarnatio facta est per hoc, quod Verbum assumpsit in se carnem nostram: ita noua quædam incarnatio fit per hoc, quòd nos assuminus intra nos carnem Verbi: & proinde, vt notat Chrysostomus hom. 83. in Math. *dum huic nos vnimur, efficimur vnum Christi corpus & vna caro.* Porrò quia Verbum vni tantùm naturæ humanæ indiuiduo se hypostaticè vniuit, assumens carnem illius; voluit omnibus indiuiduis se sacramentaliter vnire, tradens illis carnem suam: nempe, vt addit ibidem Chrysostomus, *vnicuique fidelium Christus semet ipsum per mysterium commiscet: per hoc rursum tibi persuadens, quòd carnem tuam assumpsit.*

CCXV. Hæc igitur noua Incarnatio contestatur priorem: imò illa prior hypostatica vnio ad hanc vnionem Eucharisticam quodammodo ordinabatur. Quamobrem Augustinus sermone 13. de tempore, *Augustinus.* *Dominus*, inquit, *Angelorum factus est homo; vt carnem Angelorum manducaret homo.* Imo hoc videtur fuisse in Incarnatione præcipuum votum, & desiderium Christi. Quapropter dicitur ex persona Christi *Psalm. 21.* Psal. 21. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum: edent pauperes, & saturabuntur.* In quem locum Augustinus, *vota mea*, inquit, *reddam, idest Sacramentum Corporis & Sanguinis mei* Siue quia ad hoc Christus se voto obstrinxerit: siue quia omnia sua desideria & vota direxerit ad instituendum hoc Sacramentum? idque propter gloriam suæ diuinitatis. Quippe qui in Incarnatione se Filium hominis prætulit, in Eucharistia potissimùm ostẽdit se Filium Dei. Idcirco *Hilarius.* Hilarius de Trinitate libro 8. *Vnigenitus*, inquit, *Dei, & per Sacramentum salutis nostræ hominis filius, volens proprietatis nobis paternæ in se significare speciem, signatum se à Deo ait: & hoc ideo, quia vitæ æternæ escam filius hominis esset daturus.* Si igitur in priori illa Incarnatione, in qua communicans se filius Dei vnico indiuiduo, filium hominis se esse professus est, pignus nostræ prædestinationis dedit: *Augustin.* Quia, vt ibidem notat Augustinus, *Deus factus est homo, vt homo fieret Deus*, nempe per participationem diuinæ felicitatis: in hac posteriori veluti incarnatione, multò magis pignus prædestinationis habetur in iis quibus Deus communicat se sacramentaliter, vniendo *Nyssenus.* illis suam carnem beatam, vt ii euadant beati: quia, vt ait Nyssenus orat. cateches. c. 37. *corpus nostrum consequitur immortalitatem, corpori Christi immortali conjunctum.* Quod si indiuiduo naturæ humanæ Christi ex vnione hypostatica ad Verbum debita est beatitudo;

indiuiduis

indiuiduis illis, quibus frequenter ac dignè vnitur sacramentaliter idem Verbum, beatitudo quodammodo, & ex quadam congruentia est debita; vt efficiantur per hanc nouam quasi Incarnationem *cum Christo vnum corpus & vna caro*, vt dictum est cum Chrysostomo. Et hæc quoad secundum mirabile Incarnationis.

Tertiũ mirabile in Eucharistia, cõpendiũ passionis Christi.

Quantùm ad tertium, sumitur signum prædestinationis ex deuoto vsu Eucharistiæ, quia fecit in ea Christus compendium suæ admirabilis passionis. Non solùm quia in hoc Sacramẽto, vt canit Ecclesia, *recolitur memoria passionis:* sed etiam quia est annexa cum peractione huius Sacramẽti ratio sacrificii; ad quod tria requiruntur, oblatio, immolatio, consummatio. Corpus autẽ Christi offertur in oblatione, immolatur in consecratione, consumitur in susceptione. Immolatio autem fit diuidendo ex vi verborum sanguinem à corpore, & corpus ab anima: cum in consecratione corporis ex vi verborum non veniat sanguis, neque anima, sed tantùm concomitãter: sicut in consecratione sanguinis non venit per se, & ex vi verborum corpus. Diuisio autẽ sanguinis à corpore, & vtriusque ab anima est vera immolatio. Ideo vbi vulgata, *hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, legunt passim Patres Græci, *quod pro vobis traditur*: vbi, *hic est calix sanguinis, qui pro vobis fundetur*, legunt, *qui pro vobis funditur*. Quia scilicet actu ex vi verborum fit quædam diuisio corporis à sanguine: & sic noua quædam immolatio. Ideo Augustinus epist. 23. ad Bonif. *Christus*, inquit, *qui semel immolatus est in se ipso, in Sacramento quotidie populis immolatur.*

In Eucharistia actu fit nova quædã quasi diuisio à sanguine. *Augustinus.*

Hæc autem aptissima fuit diuini amoris inuentio, vt quoniam ex vna parte non erat Christus pro nostra salute vnica sui immolatione contentus, ex altera verò parte non decebat corpus iam beatum iterũ crucifigi: admirabili quodam modo in tot Caluarijs, quot sunt altaria, diuideretur sanguis à corpore sine effusione; cæderetur sine vulnere; immolaretur quotidie sine morte. Quamobrem Andreas Apostolus, vt habetur in eius actis confectis à presbyteris Achaiæ: *Ego*, inquit, *immolo quotidie immaculatum agnum in altari: & agnus, qui sacrificatus est, integer perseuerat, & viuus.*

Acta S. Andreæ Apost.

Ex hoc tertio mirabili magnum captare licet prædestinationis signũ in deuoto vsu Eucharistiæ. Quia vnicum prædestinationis medium est Christi passio: ac proinde, qui huic magis cõiungitur, magis approximatur fini: & sic maius habet signum, quòd sit peruenturus ad finem. Ex eo igitur quod Deus in hoc Sacramento *memoriam fecit suorum mirabilium*, creationis, incarnationis, & passionis; tripliciter habetur in eius deuoto vsu prædestinationis indiciũ. Ideo dicitur memoriam hanc mirabilium fecisse *misericors, & miserator Dominus*. Quia in Eucharistia maximè effulget diuina misericordia. Quod si Christus visus est aliquãdo Ezechieli cap. 1. *tanquam species*

In Eucharistia maximè effulget diuina misericordia.

Exod. 3. *electri*, contingere videtur in Eucharistia quod de electro tradit Pli-
Plinius. nius lib. 33. cap. 4. ad eius præsentiam *quandoque inter conuiuia discurrere in calicibus arcubus cælestibus similes*. Siquidē in calicibus Eucharisticis ad Christi præsentiā non vna, sed plures apparent irides, misericordiæ symbola: & ideo signanter congeminatur misericordia, dum dicitur, *memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & mi-*
Augustin. *serator Dominus*. Quamobrem Augustinus in hunc Psalm. *nemo*, inquit, *talem escam daret, nisi misericors, & miserator Dominus*. Subditur, *memor erit in sæculum testamenti sui*, siue ex Hebræo
Genes. 9. *fœderis sui*. Quia si dixit Deus Genes. 9. *erit arcus meus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni*: vtique dum *escam dat timentibus se, memor erit in sæculum fœderis sui*. Quippe videns in Eucharistia hanc iridem misericordiæ, quam exhibuit in passione sua, *recordatur fœderis sempiterni*. Idcirco Eucharistia appellatur *calix noui testamenti*, Matth. 26. *noui fœderis*, nempe inter Deum & fideles. Dicitur autem *calix noui & æterni sacramenti, seu fœderis*; quia fœdus hoc nullo vnquam tempore violabitur; sed in æternum est permansurum: Quod consonat Psalmo citato, *memor erit in sæculum testamenti sui*. Habetur igitur in Eucharistiæ deuoto vsu æterni fœderis, quod est dicere æternæ felicitatis, promissio: & sic habetur in eo signum prædestinationis ad gloriam.

CCXVI. Nonus locus est 3. Reg. 8. *Dominus dixit vt habitaret in nebula*.
3. Reg. 8. In quem locum Hugo Cardinalis, *nebula*, inquit, *est caro Christi:*
Hugo Card. quod specialiùs verificatur in Eucharistia, vbi latet sub obscuritate fidei, inter integumenta specierum. In hac autem *nebula habitat Dominus*; quia Christus in hoc Sacramento non est solùm transeunter, dum conficitur, sed etiam post confectum permanenter. Dicitur autem ibi habitare tanquam *in nebula*; quia, vt aduertunt Meteoristæ, in hoc nebula à nube distinguitur, quòd nubes est ex materia crassa, & sic signum pluuiæ; in quam, dum nubes soluitur, partes tenuiores quæ remanent, efficiunt nebulam; quæ signum est pluuiæ præteritæ, & serenitatis futuræ. Fuit quidem Christus in Eucharistia, quando eam primò instituit, quasi in nube promittēte pluuiam illam sanguineam, quæ tum in horto post institutionē huius Sacramenti peracta cœna, tum in Caluario cecidit. Exonerata autem ea nube, remanet Christus in hoc Sacramento tanquam in nebula: & ideo *Dominus dixit vt habitaret in nebula*. Nempe hoc Sacramentum institutum est à Christo vt signum pluuiæ præteritæ, & vt pignus serenitatis futuræ. Ideo dicitur ab Ecclesia, *in quo recolitur memoria passionis eius, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*. Quid est signum futuræ serenitatis, nisi signum prædestinationis & salutis?

3. Reg. 19. Decimus locus est 3. Reg. 19. vbi dicitur Elias *comedisse, & bibisse, & ambulasse in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadra-*

ginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb. Quem locum explicans sanctus Thomas opusc. 58. cap. 22. *Comedit*, inquit, *Elias, & ambulavit. Panis Corporis Christi confortat nos in bono opere quadraginta diebus & quadraginta noctibus, ideſt toto tempore præsentis pœnitentiæ, vsque ad montem Dei, ideſt quousque veniamus ad altitudinem securitatis, & satietatem cælestis gloriæ.* Est igitur vsus Eucharistiæ signum prædestinationis; quia cùm hæc sit præparatio mediorum ad finem gloriæ, cibus hic præbet vires ambulandi toto vitæ tempore, vsque dum perveniatur ad gloriam: & dicitur *Elias ambulasse in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei.* Hoc autem discrimen inter pœnitentiam & Eucharistiam, quod illa removet impedimentum viæ, nempe peccatum: Eucharistia verò dat positivè vires ad ambulandum in hac via, vsque ad terminum, qui est gloriæ. Illa est veluti medicamentum purgans: quo sumpto, datur Eucharistia tanquam cibus virium restauratiuus. De quo Cyrillus libro 4. in Ioannem cap. 7. *Hic*, inquit, *perturbationes extinguit, collisos redintegrat, pietatem corroborat.* Ideo appellatur Is. cap. 5. *robur panis*, & Psal. 71. *firmamentum*: ubi enim vulgata, *& erit firmamentum in terra in summis montium*, alij, *placenta tritici super capita Sacerdotum.* Et Psal. 13. *panis cor hominis confirmans*; quia scilicet, ut notat idē sanctus Thomas loco citato, *corpus Christi fideles suos in bona vita confirmat.* Et Psalm. 77. appellatur *panis Angelorum*, sive, ut vertit Hieronymus, *panis fortium.* Ideo dicitur *ambulasse Elias in fortitudine cibi illius*; quia scilicet, ut notat Augustinus libro de mirabilibus Sacræ Scripturæ, *ille cibus habuit virtutem Angelicis manibus præparatus.* Ex hoc eodem etiam probatur, quod pertinet ad prædestinationis signum frequens vsus Eucharistiæ: quia non semel, sed bis intra breve tempus dictum est Eliæ, *Surge, comede.* Quod expendens Rabbanus in eum locum, *Elias*, inquit, *bis pastus exprimit naturæ nostræ infirmitatem: quibus non sufficit simplex pastus, ut ad superna valeamus ascendere.* Denique hinc habetur per frequentationem Eucharistiæ deveniri ad prædestinationis terminum. Quippe, ut notat Lyranus, *per ambulationem Eliæ significatur processus de bono in melius, vsque ad perfectionem vitæ:* & ut sanctus Thomas loco citato, *vsque ad satietatem æternæ gloriæ.*

S. Thom. Eucharistiæ panis in hoc vitæ tempore nos confortat. Cyrillus. Psal. 71. Psalm. 13. Psalm. 77. Augustinus. Lyranus.

Vndecimus locus est Is. 25. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ: & præcipitabit in monte hoc faciem vinculi colligati, &c. præcipitabit mortem in sempiternum.* His verbis convivium Eucharisticum significari tradunt Eusebius l. 1. de demonstr. evang. cap. vlt. Ruffinus in expositione Symboli, Cyrillus, Procopius, & Lyranus in hunc locum. Dicitur *convivium*, propter magnificentiam. Quippe magnificentius est convivio Assue-

Isaiæ 25.

Eucharistiæ conuiuium præstantissimum omnium conuiuiorum.

ri, quod *duravit multo tempore, centum videlicet octoginta diebus*, Esther 1. Hoc autē durabit *usque ad consummationem sæculi*, Matt. 28. Magnificentius convivio Caligulæ, quī *una die centies sextertio cœnavit, ut pene Provinciarum tributum una cœna fieret*, ut refert Seneca libro de consolatione ad Albinum cap. 9. Hic autem Christus edendus traditur, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*: ita ut totius mundi pretium sit una cœna. Magnificentius convivio Galieni, qui *mensam apposuit auream, & mantilibus stravit aureis*, ut refert Trebellius in ejus vita. Hic verò aurea mantilia conscientiarum, imo esse debent animæ ipsæ convivantium aureæ. Quamobrem Chrysost. homilia 60. ad populum Antiochenum de Eucharistia loquens, *si vis*, inquit, *hoc sacrificium honorare, offer animam, & fac auream*. Ideo jure propter magnificentiam appellatur *convivium*. Dicitur fieri convivium hoc *in monte*, sive in Ecclesia, sive, ut Lyranus, *in monte Sion, ubi dicitur Dominus fecisse cœnam discipulis*. Dicitur *convivium pinguium*, id est, ut idem Lyranus, *excellentissimum habens in se omne spirituale delectamentum: tunc enim dedit corpus suum in cibum*. Dicitur *pinguium medullatorum*, quia continet medullam tritici. Ideo dicitur Psalm. 147. *& adipe frumenti satiat te*. Dicitur *convivium vindemiæ*; quia continet memoriam Passionis, in qua *torcular calcavit solus*, Is. 63. Dicitur *vindemiæ defœcatæ*, idest purissimæ, sine fœce propter munditiam sanguinis Christi. Cùm igitur loquatur de convivio Eucharistico, subduntur duo illius effectus. Primum est, *præcipitabit faciem vinculi colligati*, idest peccati habitualis & radicati. De quo Is. 5. *quasi vinculum plaustri peccatum*: quia hoc convivium pascit simul, & armat contra peccatū. Ideo dicitur *faciet Dominus exercituum conuiuium*; quia hæc est mensa bellatrix armans excercitus tum contra vitia, tum contra dæmones, iuxta id, quod supra dictum est Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersùs eos qui tribulant me*. Alter effectus est, *præcipitabit mortem in sempiternum*, propter immortalitēat quam confert. Quare Cyrillus libro 4. c. 16. in Joannem appellat *cibum nutrientem ad immortalitatem, & vitam*. Habetur igitur in Eucharistia prædestinationis signum ex hoc loco Isaiæ, quia dicitur Deus in hoc *conuiuio præcipitaturus mortem in æternum*: &, ideo licet dicatur fecisse hoc conuiuium omnibus populis, *intelligitur fecisse*, vt glosat Lyranus, *electis suis, qui assumuntur ex omnibus populis*

Esther. 1.
Matth. 28.
Seneca.
Chrysostom.
Lyranus.
Eucharistici conuiuij proprietates.
CCXVII.
Isaiæ 63.
Isaiæ 5.
Psalm. 22.
Cyrillus.

Zach. 9. Duodecimus locus est Zachariæ 9. *Quid bonum eius, & quid pulcrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Hæc de Eucharistia interpretatur Paschasius lib. de corpore & sanguine cap. 21. Hieronymus, Lyranus, Glossa ordinaria, Ribera, & alij in eum locum. Ex hoc habetur in devoto vsu Eucharistiæ perspicuum prædestinationis signum. Primò quia dicitur in ea claudi

omne bonum, & omne pulchrum: ac proinde esse quidam absconditus Paradisus in quo Deus *ostendit omne bonum*, Exod. 33 Secundò quia expressè hoc dicitur esse *frumentum electorum*: & sic, qui eo bene utuntur, signum habent, quod sint electi. Tertiò quia dicitur *vinum germinans virgines*, ad differentiam vini, de quo Paul. ad Ephes. 5. *nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: quia hoc Sacramentum maximè conducit ad puritatem. Cum enim hic cibus non transformetur in sumentem, sed potiùs transformet in se sumentem; utique caro, & sanguis Christi virgineus, iis qui devotè sumunt, suam qualitatem communicando, efficiet in iis virgineam carnem, & sanguinem. Quod notans Lyranus *vinum*, inquit, *germinans virgines*; *quia sanguis Christi multiplicat virgines in Ecclesia Dei sequentes vestigia Christi*. Et egregiè Hieronymus lib. 1. ad Jovinian. *Hoc est vinum, quod cum inebriaverit adolescentes, & puellas, statim virginitatem sitiunt*. Ex hoc autem magnum etiam habetur prædestinationis signum, nempe continentia ab illicitis voluptatibus, ut probatum est cap. 14.

Exod. 33.

Ad Ephes. 5.

Eucharistia maximè conducit ad puritatem.

Hieronym.

Decimus tertius locus est Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Et infra: *habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die*. Nihil clarius ad exprimendum prædestinationis signum, quàm dicere, *si quis manducaverit, vivet in æternum*. Neque mirum; quia priùs dixerat, *ego sum panis vitæ*. Quippe ut advertit Ambrosius serm. 18. in Psalm. 118. *Quomodo morietur, cui cibus vita est?* Nimirum in eo continetur Christus, qui de se dixit Joan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita*. Ideo Augustinus homil. de verb. Dom. *illud*, inquit, *bibere, quid est nisi vivere? manduca vitam: bibe vitam*. Observandum etiam est, quod de se Christus in eodem capite dupliciter loquitur, *ego sum panis vivus: ego sum panis vitæ*. Panis vivus in se ipso: quia in Sacramento *Agnus, qui immolatur, integer perseverat, & vivus*. Quæ sunt verba Andreæ Apostoli in actis Presbyterorum Achaïæ. *Panis vitæ*, respectivè ad eos, à quibus sumitur: quibus dat vivere vita gratiæ, & gloriæ. Quamobrem Cyrillus Alex. lib. 3. in Joan. cap. 37. *vivificat*, inquit, *quia ipsius vitæ corpus est, plenum potestate illius, quo universa sunt, & vivunt*. Addit, *& ego resuscitabo eum in novissimo die*. Sive quia sumentes dignè Eucharistiam novo titulo sunt resuscitandi, ut explicat Suarius 3. part. quæst 79. art. 8. disp. 64. sect. 2. Et ut notat Cyrillus in hunc locum, *comedentes resuscitabit: quippe impossibile est ut mors, & interitus ab eo, qui naturaliter vita est, non vincatur*. Sive quia regulariter dignè sumentibus Eucharistiam promittitur vera resurrectio: nempe illa, quæ propria est prædestinatorum. Nam resurrectio ad mortem, mors est potiùs, quàm resurrectio: cum de reprobis dicatur Psalm. 51. *Non resurgent*

Ioan. 6.

Ambrosius.

Ioan. 14.

Eucharistiæ panis vivus respectu Christi: panis vitæ respectu sumentium.

Cyrillus.

Psalm. 51.

Augustin. *impij in judicio.* Quæ videtur expositio Augustini in hunc locum Ioan. ubi, *Ego*, inquit, *resuscitabo eum novissimo die: ut habeat secundùm spiritum vitam æternam in requie, quæ sanctorum spiritus recipit.* Vnde fit ut Eucharistiam dignè sumere, cum signum sit veræ resurrectionis, signum etiam sit prædestinationis.

Apocal. 2. Decimus quartus locus est Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum, & calculum candidum.* Hunc locum de Eucharistia interpretatur Beda, Rupertus, Areta, Primasius, Ansbertus, Hugo Cardinalis, & alij. Dicitur *manna absconditum.* Quia manna figura fuit Eucharistiæ, ut omnes consentiunt, & fusè probat Viegas in eum locum Apocal. sect. 4. Habetur hinc in Eucharistia prædestinationis signum. Tum quia hoc manna datur vincenti, utpote symbolum cælestis præmij, quod datur vincenti: in cuius figuram Abrahamo non nisi post victoriam obtulit Melchisedech panem, & vinum. Quamobrem Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. 3. *Tunc*, inquit, *figura præcessit, cum Abraham victor venit, & occurrit illi Melchisedech, & obtulit ei panem & vinum.* Tum quia, cui datur hoc manna absconditum, datur etiam calculus candidus. Solebant enim calculis ferre suffragia, ut colligitur ex Tullio in orat. pro L. Flacco, & Livio lib. 2. dec. 3. calculo utique candido ad suffragium liberationis: nigro ad suffragium mortis, ut notat in hunc locum Cornelius. Dabatur etiam calculus candidus in signum victoriæ, ut ibidem notat Areta: ac proinde cum hoc Sacramento datur etiam calculus candidus in signum victoriæ, & in suffragium æternæ vitæ. Idcirco Paschasius lib. de corp. & sang. dom. cap. 18. appellat tali refectos pabulo, & inebriatos poculo de immortalitate securos. Quia cum manna abscondito datur calculus candidus.

Quod si per hunc calculum candidum cum Hieronymo in ep. ad Damasum, quæ incipit *Septuaginta*, significetur carbunculus: sicut etiam Isa. 6. calculus, quem tulit Seraphim de altari, carbunculum interpretantur idem Hieronymus, & alij: rectè utrumque quadrat in Eucharistiam, quæ appellatur calculus candidus. Quia, ut testatur Plinius lib. 37. cap. 7. quidam ex ijs exardescentes à plerisque *carbunculi candidi vocantur.* Ex hoc etiam in Eucharistia habetur prædestinationis signum. Quia, teste eodem Plinio, *carbunculi à similitudine ignium dicti:* in hoc autem Sacramento maximè ardor divinæ charitatis ostenditur. Quippe, ut dicitur Ioan. 13. *cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Ideo carbunculus, *quem forcipe Seraphim tulit de altari*, appellatur à plerisque *carbo ignitus*, quo purgata sunt Isaiæ labia: dictumque est illi, *ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Quod in Eucharistiam transferens Iustinus Martyr q. 44. ad Orth. *Quem*, inquit, *carbonem vidit Propheta suis immundis labijs admoveri, is imaginem habebat*

CCXVIII.

Iustinus.

Dominicæ carnis, eorum, qui eam comedunt, conscientiam ab omni impietate purgantis. Ecce in hoc siue calculo candido, siue carbunculo ignito lux prædestinationis & salutis.

Denique si per calculum candidum significatur, vt volunt alii, margarita; quæ, teste Plinio lib. 9. cap. 35. *candore præstat*: quadrat etiam hoc in candorem hostiæ Eucharistiæ: nam, si margarita candida est, & intus rubet sanguine, vt alibi notatum est ex Cornelio: *etiam hostia illa candida*, in qua cum corpore est per concomitantiam Christi sanguis, *margarita est intus rubens sanguine.* Habetur etiam ex hoc in Eucharistia prædestinationis signum: tum quia per hanc margaritam ad cœlum intratur. Quippe cœli *singulæ portæ*, *singulæ margaritæ*, Apoc. 21. Tum quia regnum cœlorum simile est *margaritæ, quam qui invenit homo, vendit omnia, & emit eam.* Matth. 13. Christus autem in Eucharistia contentus appellatur à Damasceno oratione 1. de Nat. *ingentis pretii margarita.* Quod si in convivio illo, quod Antonio exhibuit Cleopatra, margaritam detractam auribus aceto mersit, ac liquefactam absorbuit; *absumens una cœna*, imo vno haustu, *centies centum millia sextertium*, ideſt ducenta quinquaginta millia aureorum, vt refert idem Plinius loco citato; certè in hac cœna Eucharistica vnico haustu sorbetur caro Christi, veluti aceto in cruce gustato iam eliquata, tanquam *ingentis pretii margarita.* Quod si margaritarũ cibus aut potus Principibus viris defertur, idque præcipuè ad cor exhilarandum; hoc est Eucharistiæ proprium, corda exhilarare per spem æternæ vitæ. Ideo Ambrosius in Psalmum 118. sermone 13. loquens de Eucharistia, *ad meliora*, inquit, *& iucunda facit quemdam mentis excessum; vt immemor sollicitudinum animus, vino iucunditatis hilaretur.* Quod maximè fit per prædestinationis signa, & spem salutis. Atque hæc è Scripturis.

Apocal. 21. *Matth. 13.* *Ambrosius.*

Probatur idem secundò ex Patribus. Ac præter adductos occasione Scripturarum, Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. Eucharistiam appellat *introductionem ad diuinitatem.* Ignatius Martyr epist. 14. ad Ephesios, *mortis antidotum, pharmacum immortalitatis.* Patres primi Concilii Niceni, *symbolum resurrectionis.* Irenæus libro 4. contra hæres. cap. 37. *per carnem*, inquit, *Christi homo deuenit in incorruptelam.* Cyrillus libro 4 in Ioannem cap. 12. appellat *carnem viuificantem, & interitum penitus expellentem.* Damascenus de fide orthodoxa libro 4. cap. 14. *fit*, inquit, *corpus Christi iis qui fide dignè sumunt, in remissionem peccatorum, in vitam æternam, & in custodiam animæ & corporis*; quia scilicet Christus ipse introductus in hominem Angeli custodis munus gerit. Ideo dicitur Eucharistiam sumenti, *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam* Ambrosius lib. de iis, qui initiantur, *hoc*, inquit, *manna ab omni est corruptione alienum. Quod quicunque religiosè gustauerit.*

Patrum encomia de Eucharistia. *Dionysius.* *Ignatius.* *Irenæus.* *Cyrillus.* *Damasc.* *Ambrosius.*

Augustinus. *corruptionem sentire non poterit.* Augustinus tract. 26. in Ioan. *cum cibo*, inquit, *& potu id appetant homines, ut non esuriant, neque sitiant; hoc verò non præstat nisi iste cibus, & potus, qui eos, à quibus sumitur, incorruptibiles facit, & immortales.* Hilarius de Trin. lib. 8. appellat

Hilarius. CCXIX. Paschasius. *vitæ æternæ escam.* Paschasius lib. de corp. & sang. cap. 10. *victum immortalitatis, per quem,* ut ait cap. 19. *caro nostra ad immortalitatem, & incorruptionem reparatur.* Chrysol. serm. 1. *salutis epulum.*

Chrysologus. Laur. Iustin. Iulius Firm. Laurentius Justinianus serm. de Euch. *notissimum futuræ felicitatis indicium, ac divinæ miserationis præsagium certum.* Julius Firmicus de erroribus profanæ religionis cap. 9. *futuræ immortalitatis insignia.*

Matth. Vvorm. Trident. Matthæus Episcopus Vvormacensis hom de cœna Domini, *Amabile futuræ jucunditatis præludium.* Ecclesia in canone missæ *panem vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.* Denique Triden. sess. 13. cap. 2. *pignus futuræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis.* Si hoc Sacramentum pignus est gloriæ: signum est retribuendam esse aliquando gloriam promissam huic pignori. Nempe, vt notat Augustinus in Psalm 110. loquens de Euch. *non totum dedit, qui pignus dedit.* Hæc ex Patribus, & Conciliis

Augustinus.

Eucharistia liberat à peccatis, & præseruat. Trident. Probatur idem tertiò ratione. Prima ratio, quia Eucharistiæ effectus est liberare à peccatis, & præservare à mortalibus. Quippe juxta Triden. sess. 13. cap. 2. *Deus sumi voluit hoc Sacramentum tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Sed immunitas à peccatis maximum prædestinationis est signum, ut patet ex dictis cap. 1. Ergo, &c.

Tertull. Confirmatur primò ex Ignatio martyre Epistola citata ad Ephesios, ubi Eucharistiam appellat *medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala.* Ideo Tertullianus lib. de pudicitia cap. 18. appellavit *Eucharistiam medicam*: quia, posita debita dispositione, fert liberationem à venialibus: purgat etiam ab habitibus vitiosis, quorum vim mitigat: iique sunt, qui potissimùm ad barathrum ducunt reprobationis, ut ostensum est suprà. Quamobrem Cyrillus Alexandrinus

Cyrillus. libro 4. in Ioannem cap. 17. loquens de Eucharistia, *sedat*, inquit, *cùm in nobis maneat Christus, membrorum nostrorum legem* (fomitem concupiscentiæ) *perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, & ab omni nos casu erigit.*

Confirmatur secundò, quia si cibi reperiuntur tantæ virtutis, ut præstent tutamen valetudinis, & præservationem à morbis; multò magis id præstabit cibus iste cælestis, qui est ipsamet Christi caro. Quod si esus carnis cervinæ præstat præservationem à febribus,

Plinius. Ceruinæ carnis esus præseruat à febribus. quia, ut notat Plinius libro 8. cap. 32. *ceruus febrium morbos non sentit:* multò magis esus carnis Christi præstabit quamdam immunitatem saltem à gravibus culpis: quia Christi caro in se culpæ morbos non sensit. Mirificè ad rem facit quod idem addit, *quasdam principes fæminas*

minas omnibus diebus matutinis carnem eam degustare solitas, longo ævo caruisse febribus. Cùm autem Christus sub cerui similitudine designetur in Scripturis Cant. 2. *saliens in montibus, transiliens colles:* dictumque sit illi ibidem cap. 8. *assimilare capreæ hinnuloque cervorum*: multò veriùs de Christi carne dici potest, *quosdam omnibus diebus matutinis eam carnem degustare solitos, longo ævo caruisse febribus.* Quippe, vt ait Ambrosius libro 4. in Luc. 4. *febris nostra auaritia est: febris nostra luxuria est: febris nostra ambitio est: febris, nostra iracundia est.* Præseruationem ab his lethalibus febribus præstat frequens vsus Eucharistiæ: idque præstat *longo ævo*, ac proinde ducit ad perseuerantiam finalem, quæ vltimum prædestinationis est signum.

Cant. 2. & 8.

Ambrosius.

Secunda ratio, quia fides, spes, charitas sunt prædestinationis & media & signa. Hæ autem virtutes maximè habentur & augentur per frequentem vsum Eucharistiæ: cùm hæc ex Trident. sess. cit. *symbolum sit illius corporis, cuius nos Christus tanquam membra arctissima fidei, spei, & charitatis connexione adstrictos esse voluit.*

Trident.

CCXX. Fides in Eucharistia maximè exercetur.

Quantum ad fidem, hæc maximè exercetur in vsu Eucharistiæ: quippe fides est *argumentum non apparentium*, ad Hebræos 11. De hoc autem Sacramento dicitur, *quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides.* Idcirco Agnus typicus, Eucharistiæ figura, comedebatur nocte: *edent carnes nocte illa assas igni*, Exod. 12. Manna descendebat nocte: *cùmque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & manna*, Num. 11. Eucharistia ipsa instituta est nocte: *in qua nocte tradebatur*, 1. ad Cor. 11. vt adumbraretur in hoc Sacramento obscuritas fidei. Ideo etiam assimilatur carbunculo, vt notatum est supra num. 218. Quæ gemma, vt notat Hieronymus ep. 143. ad Damasum, *ita dicitur, eò quòd quasi carbo ignitus in tenebris fulgeat.* Ideo denique appellatur *mysterium fidei* in Canone Missæ per antonomasiam, cùm multa alia dentur mysteria pertinentia ad finem; quia in cæteris creditur quidem quod non apparet sensui, putà Trinitas, Incarnatio, gloria; sed non creditur contra id, quod apparet sensui: hîc autem & creditur id, quod non apparet: & creditur contra id, quod apparet; cùm sensui appareat panis, fides autem credat contrarium, nempe, quòd sit Christi caro, non panis. Quod aduertens Laurentius Iustinianus sermone de Eucharistia: *homo*, inquit, *videt aliquid, & credit aliud: quo nihil potest esse excellentius.* Quapropter absolutè *mysterium fidei* dicitur, propter excellentiam fidei quam requirit. Ideo etiam comparatur *thesauro abscondito in agro*, Matth. 13. quia thesaurus in Eucharistia est, sed absconditus: ac proinde inueniendus & effodiendus per fidem. Quod expendens Paschasius libro de corpore & sanguine Domini cap. 17. *ideo*, inquit, *thesaurus in agro absconditus dicitur, quia in hoc mysterio ab aspectu oculorum, ne*

Ad Heb. 11.
Exod. 12.
Num. 11.
1. Cor. 11.

Hieronym.

Laur. Iust.

Paschasius.

caro videatur, subtrahitur : ut fide avidiùs quæratur : quæsita veriùs inveniatur : inventa chariùs habeatur : habita desiderabiliùs fruatur. Idcirco necesse est ut qui corpus ejus comederit, de plenitudine divinitatis illud fide percipiat. Hæc quantum ad excellentiam fidei, quæ in hoc Sacramento exercetur.

Spei virtus in Eucharistia augetur.

Quantum ad spem, hæc etiam in eo augetur quàm maximè ; quia majus quodammodo est præbere se manducandum, quàm præbere se videndum. Sed in hoc Sacramento Deus præbet se manducandum in via. Ergo hinc sperare possumus quòd multò faciliùs se præbiturus sit videndum in patria. Ideo Chrysostomus homilia 6. ad populum Antiochenum de Eucharistia loquens, *spem*, inquit, *nobis bonam de futuris præbet : quippe, qui nobis hîc seipsum tradidit, multò magis id faciet in futuro.* Ideo etiam in hujus rei figuram comedere Agnum jussi sunt Hebræi, *calceamenta habentes in pedibus, & baculum habentes in manibus, & comedere festinanter*, Exod. 12. tanquam mox profecturi in terram promissionis : ut significaretur per esum hujus Sacramenti in via, certa spes profectionis ad patriam. Quod expendens Chrysostomus homilia 83. in Matth. *Iudæi*, inquit, *stantes, calceamenta in pedibus habentes, & baculos in manibus tenentes, agnum cum festinatione comedebant : in Palæstinam profecturi, viatorum figuram habebant : tu verò debes migrare in cœlum.*

Chrysostom.

Exod. 12.

Confirmatur primò, quia excitatur maximè spes salutis per contactum immediatum Christi; cùm inter Christum & eos qui sumunt Eucharistiam, nulla sit substantia intermedia. Spem ex contactu vestium excitavit quàm maximam mulier illa, quæ dixit, *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti ejus, salva ero*, Matth. 9. Sed in Eucharistia datur ipsummet Christum tangere, aut saltem species Sacramentales, quæ sunt Christi veluti vestimenta. Ideo Chrysostomus homilia 83. in Matth. *Tu quidem Christi vestimenta cupis videre : ipse verò tibi concedit non tantùm videre, sed & manducare & tangere.* Quod si Christus solo contactu ægros sanabat, & mortuos ipsos resuscitabat ; quippe in resurrectione filiæ Reguli *tenuit manum eius*, Matth. 9. in resurrectione filij viduæ *tetigit loculum*, Luc. 7. quanta salutis spes ex eo concipitur, quod idem Christus in Eucharistia nos tangit ? Quamobrem Cyrillus libro 4. in Ioannem cap. 14. *si solo*, inquit, *eius tactu corrupta redintegrantur, quomodo non etiam qui carnem illam gustamus ac manducamus ?* Quod si corpus Elisæi solo tactu mortui cadaver reduxit ad vitam, 4. Reg. 4. multò magis vitam gratiæ & gloriæ suo tactu præstabit Corpus Christi. Ideo Cyprianus de Oratione Dominica, *manifestum est*, inquit, *eos vivere, qui corpus eius attingunt ; & Eucharistiam iure communicationis accipiunt.*

Matth. 9.

Chrysostom.

Cyrillus.

Cyprianus.

Confirmatur secundò, quia per susceptionem Eucharistiæ *efficimur unum Christi corpus & una caro*, ut supra dictum est cum Chry-

sostomo homilia 83. in Matth. Ergo summa fiducia preces fundimus ad Christum intra nos manentem, quasi ad nostrammet substantiam veluti aliquid à nobismetipsis impetraturi. Quæ est animaduersio Paschasii libro de sãguine & corpore Domini c. 18. vbi : *Cùm Christi*, inquit, *substantia in nostra carne inueniatur ; quæ maior securitas hominis, quàm ad suam substantiam orare, & confidenter dicere, O Deus substantia mea !* *Paschas.*

CCXXI.

Confirmatur denique tertiò, quia si pignus datur ad certitudinem rei promissæ, præsertim cùm pignus plerumque sit pretii majoris quàm res promissa; vtique Eucharistia datur tanquam *pignus futuræ gloriæ*, ex Trident. supra cit. ac proinde in hoc pignore certa est expectatio gloriæ promissæ; præsertim cùm hoc pignus lõgè pretiosius sit re promissa. Quippe Christus, qui in hoc Sacramento datur vt pignus, longè majoris est pretii, quàm omnium Sanctorum simul beata visio: & ideo iure dictum est à Chrysostomo loco citato, quòd in hoc Sacramẽto *spem nobis bonam de futuris præbet*. Hæc spes gloriæ in hoc pignore maximè habetur in Eucharistia accepta extremo vitæ tempore per modum Viatici : tum quia Elias *ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei Horeb*. Nempe *hoc Sacramentum*, vt ait Laurentius Iustinianus sermone de Eucharistia, *spirituale tibi præbebit robur, per quod vsque ad montem Dei gradiaris alacriter*: tum quia Eucharistia dicitur cœna Luc. 14. postquã dulcis est somnus. Et sic iusti, percepta Eucharistia, quasi post cœnam, *obdormiunt in Domino*: possuntque dicere cum Dauide Psal. 4. *in pace in idipsum dormiam, & requiescam*, vt notatum est supra num. 212. quia, vt notat Nyssenus in Cant 5. *post insigne illud epulum somnus sponsam occupat*. Tum quia, dum intrat Christus in os morituri, ac veluti in domum eius, & excipitur amanter hospitio, signum est quod ipse est intraturus in domum Christi, & ab eo vice versa excipiendus hospitio, reddituro pro breui mora æternitatem. Tum quia hoc Sacramentum est *mortis antidotum*, vt supra dictum est ex Ignatio : susceptoautem antidoto non nocet venenum. Tum quia datur specialiter ad spem immortalitatis, & minuendum timorem mortis. Ideo Paschasius libro de corpore & sanguine Domini cap. 18. *ad hoc*, inquit, *immortalitatis præstitit alimoniam, vt mortem non timeamus*. Tum denique, quia qui moriuntur percepta Eucharistia, moriuntur vt Moyses, *iubente Domino*, Deut. 34. siue ex Hebræo *in osculo Domini*. Quod osculum pignus est cælestium nuptiarum, mox post egressum è corpore celebrandarum in cælis. Ideo dicitur Ioan. 6. *Qui manducat carnem meam, habet vitam æternam :* nam, vt notat Paschasius libro de corpore & sanguine Domini cap. 9. *habet, (non habebit) ideo dixit, quia mox anima carne soluta intrat in promptuarium vitæ, vbi Sanctorum animæ requiescunt*. Quod maximè confirmatur

Eucharistia per modum viatici accepta maximũ est gloriæ pignus. *Laur. Iustin.* *Nyssenus.* *Deut. 34.* *Ioan. 6.*

Chrysostom. ex eo quod refert Chrysostomus libro 6. de Sacerdotio litt. D. ubi: *Quidam*, inquit, *mihi narravit, dignus habitus qui id & vidisset ipse, & audisset, quòd qui de hac vita emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura ac munda conscientia participes fuerint, spiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus propter assumptum illud sacrum, hinc adducuntur in cælum.* Hæc ille. Quibus nihil illustrius ad excitandam spem in morituris percepto Viatico. Quocirca hoc prædestinatorum est proprium, quotidianis precibus mediatrice Deipara, sancta Barbara, aliisque sãctis Patronis, enixè à Domino flagitare munimen sacri Viatici ante mortem: ut quis *moriatur in osculo Domini*, & spem hauriat æternæ vitæ. Hæc, quantùm ad excellentiam spei ex usu devoto Eucharistiæ.

CCXXII. Charitatis augmentum per Eucharistiam.

Quantùm ad charitatem, hanc per eumdem vsum augeri quàm maximè probatur ex eo quòd in ea Christus monstravit excellentissimam charitatem erga nos: & sic aptissima est ad eam in nobis augendam erga Christum. Ad ostendendam suam erga nos charitatem assimilavit se Christus pastori *cognoscenti oues suas, & ponenti animam pro ovibus suis*, Ioan. 10. Hic autem excedit amorem pastoris erga oves: quippe, ut notat Chrysostomus homilia 83. in Matth. *Quis pastor oves proprio pascit cruore? ipse autem nos proprio pascit sanguine, & nos sibi per omnia coagmentat.* Assimilavit se etiam matri tenerrimè amanti filios suos. Ideò dictum est Isaiæ 40. *numquid mater oblivisci potest infantem uteri sui?* Hic autem longè excedit amorem etiam maternum. Quippe matres, quò nobiliores sunt, eò magis dedignantur suo lacte filios alere: eos vilibus tradunt nutricibus: à quibus illi dum lac potant, sanguini generoso rusticum ac vilem admiscent. Christus autem & mater esse dignatur, & nutrix; ac filios, quos in cruce peperit, in Eucharistia lactat. Quod animadvertens idem Chrysostomus homilia 61. ad populum Antiochenum, *parentes*, inquit, *filios sæpè aliis tradunt alendos: Ego autem, ait Christus, non ita, sed carnibus meis alo; & meipsum vobis appono, generosos vos esse volens*: quasi dicat, ne per lac rusticum aliquid de stirpis generositate dematur. Nimirum cùm nobis *dederit potestatem filios Dei fieri*, Ioan. 1. voluit etiam lacte divino nutrire. Ideo, ut ait Paschasius libro de corpore & sanguine Domini, *iste filiorum Dei est cibus, ut inde alantur vnde viuunt.*

Ioan. 10. Chrysostom. Isa 49. Christus in Eucharistia filios suos lactat. Ioan. 1.

Quod si infantes amorem dividunt in nutricem, & matrem: sicut, ne amorem divideres, voluit idem Christus & creator esse, & redemptor: ita, ne amorem divideres, voluit idem & mater esse, & nutrix. Clem. Alex. Quamobrem Clem. Alex. lib. 1. pædag. *Verbum*, inquit, *est omnia infanti, & pater, & mater, & pædagogus, & altor.* Ideo Christus, qui in veteri lege apparuit Danieli *accinctus ad renes auro obrizo* Dan. 10. custodiens renes quasi mulier paritura: in lege noua appa-

Clem. Alex. Dan. 10.

ruit Ioanni *præcinctus ad mammillas zona aurea*, Apoc. 1. custodiens mammilla tanquam nutrix lactatura. Et, vt notat Chrysost. loc. cit. *Christus non erubescit fieri nutrix, qui factus est mater.* Quod si ad lac conficiendum magna requiritur vis caloris. Quippe, vt ait Aristotel. 4. de gen. anim. cap. 8. *lac sanguis concoctus est*: magna etiam ad conficiendū lac Eucharisticum adhibita est vis caloris. Ideo Christus, vt ait Ioan. 13. *cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*: & in summo hoc calore Eucharistiam instituens, è suo sanguine lac confecit. Quin immo confecit etiam lac è pane Eucharistico. Ideoque Ildefonsus serm. de natiuit. Virgin. eam alloquens, *Lacta*, inquit, *creatorem tuum: lacta panem cæli.* Quia scilicet ex hoc pane lac conficitur. Ideo etiam manna, Eucharistiæ figura, vt tradit Ruffinus in Oseæ cap. 2. *erat in similitudinem lactis*: & vicej versa lac manna dicebatur, vt tradit Clem. Alex. lib. 1. pædagog. vbi, *nunc quoque*, inquit, *nutrices lac, quod primum effundunt, manna appellant.* Quod si è mammilla nimis emuncta effuso lacte sanguis emanat, iuxta illud Prouerb. 30. *qui vehementer emungit, elicit sanguinem*; mirum non est quòd Christus post cœnā in horto sudauit sanguinem. Quia scilicet tūc charitatis vberibus, paulò antè in institutione huius Sacramenti, veluti in Eucharisticum lac effusis, post cœnam in horto, cum iterum eadem ubera detorqueret, elicuit sanguinem: *& sic factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis* Lucæ 22. veluti jam emuncta mammilla. Ideo Clem. Alex. 1. pædagog. cap. 6. Christum pronunciat *mammillam patris: & verè beatos, qui hanc lactant mammillam.*

Apocal. 1. *Aristot.* *Ildefonsus.* *Clem. Alex.*

Quod confirmari potest ex Dei promisso Oseæ 2. *ecce ego lactabo eam: ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius.* In quem locum Ruffin. *lactatio*, inquit, *manna videtur ostendere à similitudine lactis.* Manna autem, lacti simile, cum aperta figura fuerit Eucharistiæ, promittit Deus à se lactandam animam in Eucharistia: ibique in solitudine, quasi remotis arbitris, *loquuturum ad cor eius*: ideſt, vt in eum locum Hieronymus, *blandis eam verbis consolaturum.* Obseruanda est lectio Septuaginta; qui pro *lactabo eam*, vertunt *seducam eam.* Quia Christus in Eucharistia, pia quadam seductione aliud ostendit, aliud præbet: ostendit panem, præbet lac.

Oseæ 2.

Ex hoc autem signum prædestinationis in vsu deuoto Eucharistiæ multipliciter suadetur. Primò quia cælesti lacte ii potissimùm nutriūtur, qui destinantur ad cælestem patriam, designatam per terram promissionis *fluentem lacte, & melle* Exod. 3. Quæ est animaduersio Clem. Alex. lib. 1. pædag. vbi, *lacte*, inquit, *Dominico, scilicet nutrimento, statim ac editi sumus alimur.* (alludit ad antiquum Ecclesiæ morem, quo statim post baptismum dabatur etiam paruulis Eucharistia) *dum spes quietis annunciatur superna Hierusalem: in qua &*

Clem. Alex.

lac, & mel fluere scriptum est. Quod per materiale sanctum nobis alimentum spondetur. Ecce in Eucharistico lacte prædestinationis signum, & promissio gloriæ.

Secundò, quia alimentum divinum nutrire non potest nisi ad vitam immortalem, & divinam. Quamobrem idem Clemens loco cit. *Quod*, inquit, *per lac est nutrimentum, deducit in cœlos cives cœlorum, & cum Angelis choreas ducturos enutriens.* Quod est dicere, Eucharistia nutriri potissimùm prædestinatos.

Tertiò, quia in hoc maximè fovetur eorum, qui Eucharisti a m susscipiunt, charitas erga Deum, quæ maximum prædestinationis est signum: dum erga ipsos charitatem Christus præfert suam, ut dicebatur, non solùm ut mater, sed etiam ut nutrix, inter quam, & infantem amor solet esse tenerrimus.

Eucharistia lac est infantibus in vita spirituali: adultis verò vinum. *Cant. 5.*

Confirmatur, quia Eucharistia, quæ lac est infantibus in vita spirituali, vinum est adultis ac provectis in spiritu: & sic eos maximè divino amore inebriat. Vtrumque autem statum complectitur Spiritus sanctus in Cant. cap. 5. ubi sponsa: *Comedi*, inquit, *fauum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo.* Apertè loquitur de Eucharistia. Sequitur enim, *comedite amici, & inebriamini charissimi.* Quæ de Eucharistia explicant Cyrillus homil. 10. in Cant. & *Ambrosius.* Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 3. ubi, quod vulgata *fauum*, vertit *panem. Comedi panem meum cum melle meo.* Melli, & lacti comparat, propter dulcedinem Eucharistiæ: vino quia exhilarat, & inebriat. Idcirco Ambrosius loco cit. *Manducavi*, inquit, *panem cum melle meo. Vides quòd in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suavitas. Bibi vinum cum lacte meo. Vides huiusmodi esse lætitiam, quæ nullis peccati sordibus polluatur. Quotiescunque enim bibis, remissionem accipis peccatorum, & inebriaris in spiritu. Qui inebriatur, radicatus in Christo est. Præclara ebrietas, quæ sobrietatem mentis operatur.* Hæc ebrietas consistit in quodam charitatis excessu, quem operatur Eucharistia. Idcirco in primitiva Ecclesia quotidie fideles communicabant, ut habetur ex Act. cap. 2. ut inde haurirent martyres charitatem ad ponendas animas pro Christo. *Augustinus.* Quod expendens Augustinus in Psal. 35. *calix*, inquit, *tuus inebrians quam præclarus est. Hoc calice inebriati erant martyres, quando ad passionem euntes suos non agnoscebant.* Immo ipsimet Apostoli tunc receperunt Spiritum sanctum sub forma ignis, cum intra illud idem cœnaculum, in quo primò instituta fuit, susceperunt Eucharistiam. Cum enim ebrij tunc haberentur à plebe, ebrij erant vino Eucharistico. Quod apertè tradens Chrysostomus in Psalm. 22. *de mensa*, *Chrysost.* inquit, *illa inebriati sunt, de qua dictum est, accede ad mensam potentis: considera quæ tibi apponuntur, sciens quod talia te præparare oportet. Quid est talia, nisi corpus, & sanguinem, quem accipis?*

quam & Apostoli de ipso calice inebriati erant, de quibus dicebatur, hi musto ebrii sunt. Gratia igitur Spiritus sancti data non est Apostolis, nisi post susceptionem Eucharistiæ. Quod idem proportionaliter contingit fidelibus cæteris, qui eam deuotè suscipiunt; quorum vnusquisque potest dicere, *introduxit me Rex in cellam vinariam: ordinauit in me charitatem.* Cantic. 2. Cum igitur vsus frequens, ac deuotus Eucharistiæ maximè iuuet ad augendam fidem, spem, charitatem, vt ostensum est, quæ media sunt proxima ad salutem: magnum etiam in hoc subesse dicendum est signum prædestinationis, & salutis. CCXXIII. *Cant. 2.*

Tertia ratio dicitur à pari, Affectus in Christi Passionem signum est prædestinationis, Ergo etiam affectus in Eucharistiam. Antecedens patet ex dictis cap. 16. Consequentia probatur, quia Eucharistia aliud non est nisi memoriale quoddam Passionis Christi: imo noua quædam Passio, vt ostensum est supra num. 215. & ideo appellatur *sacrificium incruentum*: quia, vt dicitur ab Ecclesia in Oratione secr. Dominicæ 9. post Pentecosten, *toties opus nostræ redemptionis exercetur.*

Confirmatur, quia non minorem Christus videtur exhibuisse charitatem in Eucharistia, quàm in Passione; imo quoad multa majorem: in Passione enim semel se pro nobis tradidit: in Eucharistia sæpissimè se Patri tradit pro nobis in sacrificium; se tradit nobis in Sacramentum. Ideo Laurentius Iustinianus sermone de Eucharistia, *non minus*, inquit, *pro sanguinis poculo, quàm pro redemptionis debes pretio: Semel pro te datum est pretium; sed poculum quotidie consecratur.* Præterea, in Passione se vniuersaliter tradidit pro omnibus, hîc speciatim pro singulis: &, vt notat Chrysostomus homilia 83. in Matth. *unicuique fidelium Christus semetipsum per mysterium commiscet.* Denique illud est animadversione dignum, in Passione sub uno se corpore pro nobis tradidit; in Eucharistia verò veluti sub infinitis. Cùm enim ardenter amantium sit cupere se congeminare in plura corpora, ut pluribus in ministeriis, pluribus in locis exhibere possint obsequium erga personam amatam: hoc idem Christus & optavit & præstitit. Quippe certum est in Eucharistia Christum replicari totum in toto, & totum in qualibet parte: quæ partes, sive actu sive potentia, sunt infinitæ. Cùm verò unum corpus infinities replicatum æquivaleat infinitis; Christus veluti non contentus uno corpore pro nobis tradito, voluit unum corpus infinities replicare, sub infinitis partibus hostiæ: quasi habere cuperet infinita corpora, ut infinita nobis traderet, & pro nobis, sub infinitis replicationibus se nobis communicando, & se pro nobis Patri offerendo. Quia etiam vna gutta sanguinis infinities replicata æquivalet infinitis, voluit totum suum sanguinem in partibus proportionalibus acceptibilibus in infinitum, mino-

Christus nō minorem in passione, quàm in Eucharistia exhibuit charitatem. *Laur. Iustin.*

Chrysost.

ribus & minoribus infinities replicari ; quasi optaret sanguinem infinitum : quem , non contentus sui sanguinis effusione finita , pro nobis iterum offert in sacrificio Altaris infinities replicatum. Vnde fit, ut hoc meditantes in affectum charitatis ardescant, optando habere ad Christum redamandum corda infinita:ad patiendum pro eodem,corpora infinita:ad fundendum in ejus obsequium, sanguinem infinitum. Ex hoc etiam magna prædestinationis & salutis spes hauritur dum cogitamus offerri pro nobis in Christi sanguine infinities replicato , mare sanguineum infinitum,quo infernalis Pharao cum suis copiis demergatur ; & nostra omnia, etiam innumerabilia , crimina absorbeantur. Adde,Christum in hoc corpore & sanguine;sub speciebus infinities replicato , offerre se Deo in sacrificium pro nobis perenniter, singulis momentis , usque ad extremum Judicii diem. Quippe in Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, variatis pro regione locorum horis diei & noctis ; singulis diei, noctisque momentis hoc Sacramentum peragitur : Patrique Christus se offert in sacrificium , juxta id quod dicitur Malach. cap.1. *Ab ortu Solis usque ad occasum in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quod expendens Paschasius libro de corpore & sanguine cap.4. *Christus*,inquit,*qui passus est semel , quotidie super Altare immolatur , manè ac vespere :* idque singulis momentis, pro ratione locorum, ut dictum est. Ex quo fit, ut singulis etiam momentis offerre debeamus nos Christo , tum pro peccatis in sacrificium doloris, tum in holocaustum amoris.

Malach.1.

Paschas.

Quarta ratio. Eucharistia habet vim maximè unitivam cum Christo. Ergo usus frequens & devotus Eucharistiæ maximum prædestinationis est signum. Consequentia patet, quia tota salus ex unione ad Salvatorem , & ad fontem salutis. Antecedens probatur , quia hæc non est unio intentionalis,sed realis animæ cum anima Christi, carnis cum carne. Quod expendens Chrysostomus homilia 61. ad populum Antiochenum, *unum*, inquit , *corpus efficimur : membra ex carne ejus* (Christi) *& ex ossibus ejus. Vt autem non tantùm charitate hoc fiamus , verùm etiam ipsa re in illam commisceamur carnem ; hoc per escam efficitur,quam nobis largitus est.* Neque verò impeditur hæc immediata conjunctio per accidentia intermedia. Tum quia hæc non impediunt immediationem substantiæ ad substantiam:tum quia accidentia illa sunt veluti retia : vbi enim vulgata,*prospiciens per cancellos* , Theodoretus *per retia.* Nec deest esca carnis, qua nos trahat ad retia , quia in hoc Sacramento *escam dedit timentibus se* , Psal.110. In quem locum Cassiodorus , *hæc esca est corporis & sanguinis communicatio.* Hac esca facilè quisque trahitur ad Christi retia.

Eucharistia vim habet unitivam cũ Christo.

Chrysostom.

Psalm.110.

Cassiod.

Confirmatur primò ; quia, si modicum fermentum totam farinæ massam, cui injicitur, ad se trahit : & si fuerit pravum,*modicum fermentum*

mentum totam massam corrumpit, 1. ad Cor. 5. consequens est ut si optimum sit, totam massam rectificet. Ergo idem dicendum de Christo, veluti modico fermento sub modica hostia rectificante totam massam cui conjungitur. Et ideo dicitur *simile regnum cælorum fermento*, Matth. 13. quia, ut ait Cyrillus libro 4. in Ioannem cap. 17. *sicut parum fermenti totam massam fermentat : sic paruula benedictio* (ita sacram Hostiam appellat) *totum hominem ad se attrahit, & sua replet gratia : & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo.* *Matth. 13.* *Cyrillus.*

Confirmatur secundò, quia sicut Christus delapsus ad vterum Virginis, *totam ei infudit gratiæ plenitudinem*, vt ait Sophronius de Assumptione; ita idem Christus iterum è cælo delatus ad hostiam, & sub hac ad os & pectus suscipientis, magna vtique bene dispositis defert munera gratiæ. *Illud quippe corpus*, vt ait Laurentius Iustinianus sermone de Eucharistia, *quod recubuit in præsepio, quod Mariæ requieuit in gremio, in hoc Sacramento percipimus :* cum hoc discrimine, quod ibi mortale & passibile, hîc immortale & beatum. CCXXIV. *Laur. Iustin.*

Confirmatur tertiò, quia in hoc Sacramento fit veluti noua quædam incarnatio, vt notatum est suprà num. 24. sive quia caro nostra in Christi carnem assumitur, siue quia sicut in Incarnatione factum est quoddam connubium inter naturam humanam & Verbum, ut vult Gregorius; ita in Eucharistia fit etiam spirituale connubium inter Christum & eum qui suscipit. Quippe, si in matrimonio fiunt *duo in carne una ; & jam non sunt duo, sed una caro*, Matth. 19. in Eucharistia etiam, ut ait Chrysostomus homilia 83. in Matth. *efficimur unum Christi corpus & una caro*, ut notatum est supra. Ac proinde Christus, & is qui suscipit Eucharistiam, *sunt duo in carne una; & iam non sunt duo, sed una caro.* Quod connubium Angeli ipsi reverentur, qui foris prope eum, qui suscipit Eucharistiam, assistunt tanquam famuli Principis discessum præstolantes in atrio. Quapropter Laurentius Justinianus sermone citato de Eucharistia : *Congratulantur*, inquit, *Angeli sponsæ sponsi thalamum introgressæ, & foris absque ulla invidentia persistunt : ac Domini sui præstolantes discessum, venerantur sacrum illud spirituale connubium.* Neque desunt huic connubio sacra oscula : quippe suscipiens ore Eucharistiam, dat Christo osculum oris, juxta desiderium sponsæ, Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Quod adnotans Ambrosius libro 5. de Sacramentis cap. 2. *Quid est*, inquit, *Altare, nisi forma Corporis Christi. Vidit Sacramenta mirabilia, & ait, Osculetur me ab osculis oris, ideſt, osculum mihi Christus infigat : quia meliora sunt ubera tua super vinum, hoc est, meliora Sacramenta tua.* Ex hoc igitur maximum prædestinationis signum eruitur, cùm hæ nuptiæ inchoëntur in Eucharistia, perficiantur in patria; ubi *beati qui ad cœnam Agni vocati sunt*, Apoc. 19. In Eucharistia fit spirituale connubium inter Christum, & eum, qui suscipit. *Matth. 19.* *Chrysostom.* *Laur. Iustin.* *Cant. 1.* *Ambros.* *Apoc. 19.*

Confirmatur quartò, quia sicut per unionem hypostaticam natura

humana assumitur ad proprietates diuinas; ita per vnionem Eucharisticam caro & anima suscipientis assumitur ad proprietates carnis & animæ Christi: Quotiescumque enim causa maximè actiua intimè applicatur subjecto aut nihil aut leuiter resistenti; si illi fuerit frequenter applicata, introducit suas qualitates in subjectum. Sed in Eucharistia intimè applicatur Christus, qui est causa maximè actiua, subjecto bene disposito, & sic aut nihil aut leuiter resistenti. Ergo talis causa frequenter applicata introducet suas qualitates in subjectum. Ergo ex frequēti vsu Eucharistiæ acquirit homo similitudinem Christi: & sic fit *conformis imaginis Filii Dei*, ad Rom. 8. quod prædestinatorum est proprium. Quamobrem Augustinus lib 7. Confessionum cap. 10. ex persona Christi, *Cibus*, inquit, *sum grandium: cresce, & manducabis me: non tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ; sed tu in me mutaberis.* Cùm igitur applicetur caro Christi beata, & anima Christi beata carni & animæ recipientis; sensim in eam, ex frequenti applicatione, introducitur beatitudo. Quod aduertens Paschasius libro de corpore & sanguine cap. 19. *caro*, inquit, *nostra per hoc ad immortalitatem & incorruptionem reparatur, carni quidem caro spiritualiter conuiscerata transformatur: vt & Christi substantia in nostra carne inueniatur: sicut & ipse nostram in suam constat assumpsisse Deitatem.* Sicut igitur, cum inseritur vna planta alteri validiori, in illius naturam transfertur: ita anima & caro suscipientis Eucharistiam, animæ, & carni Christi beatæ veluti, inserta ad illius proprietates beatas paulatim transfertur. Ideo Dionysius de Eccles. hierar. cap. 3. Eucharistiam appellat *spiritualem insitionem*. Et infra: *Si ipsius*, inquit, *sacratissimæ inseramur vitæ, consortes Dei, diuinorumque participes reddimur.*

Augustin.

Ex frequenti Eucharistiæ usu sensim in anima beatitudo introducitur. *Paschas.*

Dionys. Eucharistia spiritualis insitio, per quam Christo inserimur.

Confirmatur quintò: quia proprium est ignis transformare omnia in suam formam. Christus autem in hoc Sacramento dicitur ab Isaia *calculus*, siue ex Græco textu, *carbo ignitus*, *quem Seraphim* (quia manu non audebat) *forcipe tulerat de altari.* Isa. 6. Quamobrem Chrysostomus hom. 83. in Matth. os sumentis Eucharistiam appellat *os spirituali igne repletum.* Vnde fit, vt ex hoc carbone ignito intra os pectusque frequenter incluso impossibile sit hominem non ardescere. Quò alludit sapiens Prouerb. 8. *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimentum illius non ardeat?* dum scilicet carbonem hunc ignitum intra viscera claudit. Ideo Damascenus lib. 4. de fide cap. 14. *ex hoc*, inquit, *carbone ignito participatione diuini ignis ignimur.* Ideo, vt monet Chrysostomus hom. 61. ad pop. Antioch. *tanquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedimus. Leones*, eo suscepto, qui appellatur *leo de tribu Iuda*, Apocal. 5. *ignem spirantes*, suscepto igne viuifico, transformante omnia in ignem. Cum igitur per susceptionem Eucharistiæ fiat specialissima

Isaiæ 6. *Chrysostom.*

Proverb. 8.

Damasc.

Apocal. 5.

unio cum carne Christi, immo quædam transformatio carnis, & animæ suscipientis, in similitudinem carnis & animæ Christi: jam habetur ex hoc signum prædestinationis potissimum: cum prædestinati ij sint, qui sunt *conformes imaginis filii ejus*, ex Paul. ad Rom. 8. *configurandi corpori claritatis ejus*, ex eodem ad Philip. 3. *Ad Rom. 8. Ad Philip. 3.*

Quinta ratio. In Eucharistia habentur veluti Paradisus, & quædam primordia gloriæ inchoata. Ergo in usu devoto & frequenti Eucharistiæ habentur præsagia Paradisi, & gloriæ consummandæ. Consequentia patet ex terminis. Antecedens patet primò, quia in Eucharistia non tantùm est memoriale passionis Christi, sed etiam resurrectionis, & ascensionis, ut habetur in canone missæ, & expressè docet Augustinus de verb. Dom. serm. 28. ubi, *Quotiescunque*, inquit, *offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, & elevatio Domini significatur*. Unde infert infra. *Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est. Tibi hodie est Christus: tibi quotidie resurgit. Quomodo? filius meus es tu: ego hodie genui te. Hodie est, quando Christus resurgit*. Alludit ad panem quotidianum, quem acceptum pro Eucharistia, dicit quotidie esse sumendum, ut quotidie nobis Christus resurgat. Iis igitur, qui dignè suscipiunt Eucharistiam, Christus resurgit tanquam causa idealis, & meritoria resurrectionis: quæ manducantibus carnem Christi specialiter repromittitur, ut notatum est suprà num. 212. In Eucharistia veluti primordia gloriæ ac paradisus habentur. *Augustinus.*

Patet idem secundò, quia in Eucharistia non solùm repræsentatur resurrectio Christi, sed continetur corpus Christi, cum suis dotibus glorioſis, & præcipuè claritatis: per quam incomparabiliter lucidiùs, quàm corpus solare, illuminat Paradisum. Quamobrem Augustinus lib. med. cap. 26. *Non alterant ibi*, inquit, *Sol & luna vices: sed Agnus est felicis urbis lumen inoccidnum*. In Eucharistia autem non solùm est cum ea claritate, qua Paradisum illuminat, sed etiam cum claritate infinitè maiori. Quod facilè intelligitur, si animaduertamus Christū esse in Eucharistia sub infinitis partibus infinities replicatum. Quod admittendum est etiam ab iis, qui negant partes actu distinctas, sed admittunt distinguibiles, & diuisibiles in infinitum. Nam, si in iis collocarentur Angeli secundùm quod continuum est diuisibile in partes minores, & minores in infinitum, non possunt ibi collocari Angeli actu finiti, sed deberent collocari infiniti. Alioqui minores, & essent tantùm accepitibiles finitæ, & non finitæ in infinitum. Christus autem toties replicatur sub speciebus Eucharisticis, quot in eo continuo sunt partes acceptibiles minores, & minores in infinitū: ac proinde non potest ibi habere tantùm replicationes finitas, sed vel actu infinitas, vel finitas in infinitū. Vnde sequitur habere claritatem incōparabiliter maiorem in Eucharistia, vbi eius claritas infinities replicatur, quàm habet in cælo, vbi eius claritas non re- CCXXV. *Augustinus.*

plicatur. Sicut Sol infinities replicatus contineret claritatem incõparabiliter maiorẽ, quia tunc posset infinitos mundos illuminare, quos non posset non replicatus. Corpus autem Christi, quod in cælo habet claritatem vnicam & indiuisam in Eucharistia est veluti sol sub speciebus Eucharisticis infinities replicatus. Vnde fit vt in Eucharistia Paradisum exhibeat, quantùm ad hoc. longè illustriorem. Quamobrem Chrysostomus homil. 6. in epist. ad Hebr. despiciens claritatem solarem præ Eucharistica, *Quid mihi*, inquit, *opus est sole, cum ipse Dominus omnium ad me descendat?* Hæc autem immensitas claritatis non potest per nubem accidentium non transmittere ad animam recipientis radios huius solis infinities replicari Ideo Iob 37. *frumentum desiderat nubes: & nubes spargunt lumen suum*: vbi alia lectio, vt notat Pineda, *Sol desiderat nubes*. Quippe sub accidentibus frumenti Sol latet, quasi sub nubibus: sed tamen *nubes spargunt lumen suum*. Siue quia in hoc Sacramento maximè elucent Dei potentia, sapientia, bonitas, aliaque attributa diuina: ex quorũ varietate in hac nube luminosa fit iris. Siue quia ex nube Eucharistica transmittuntur ad animam suscipientis radii illustrationum, & consolationum spiritualium, & quædam præludia luminis gloriæ. Quapropter Hilarius lib. 4 con. hær. cap. 37. *In carne*, inquit, *Christi occurrit paterna lux: & à carne eius venit in nos rutilans*. Et Ambrosius in Psal. 118. serm. 18. *Accedite*, inquit, *ad eum, & satiamini, quia panis est. Accedite ad eum, & illuminamini, quia lux est.*

In Eucharistia Christus sol illustrior, quàm in paradiso. *Chrysost.*

Iob. 37.

Hilarius. Ambrosius.

Patet idem tertiò, quia in Eucharistia non solùm clauditur claritas corporis Christi, quæ partialiter pertinet ad gloriam Paradisi: sed est etiã tota beatitudo obiectiua. Cum corpore enim & sanguine Christi concomitanter venit anima: cum anima vnio hypostatica ad Verbum: cum personalitate Verbi diuinitas: cum diuinitate tota Trinitas. Neque vllum discrimen est inter viatores & beatos, quoad substantiam obiecti beatifici, sed tantùm quoad modum, nempe Deus velatus aut reuelatus. Ideo dicitur Psal. 77. *Panem Angelorum manducauit homo, panem cœli dedit eis*: quia idem cibus in cœlo datur beatis, in terra viatoribus: idem panis Angelorum est in Paradiso, hominem in Sacramento. Ideo Laurentius Iustinianus serm. de Euch. *Toties*, inquit, *homo Angelorum manducat panem, quoties corporis & sanguinis Christi percipit Sacramentum: Nam quantumvis non eodem modo quo illi, eundem tamen manducat cibum.* Neque quoad modum aliud discrimen est, nisi quoad idem obiectum beatificum à beatis præcipitur sine velamine, à viatoribus in hoc Sacramẽto sub velamine. Ideo Laurentius Iustinianus ibidem, *hîc*, inquit, *sub accidentibus percipitur velata majestas, ibi amoto velamine*: & vt præclarè Matthæus Episcopus Vvormacensis sermone de cœna Domini, *est Eucharistia suaue glutinum Ecclesiæ militantis cum triumphante;*

Psalm. 77.

Laur. Iustin.

dum eamdem dulcedinem, qua illi fruuntur sine velamine, isti habent sub Sacramento.

Vnde colligitur in hoc Sacramento haberi multò maius prædestinationis signum, quàm in cæteris; quia in iis continentur solùm media ad salutem: in hoc autem ipsemet Saluator, imo ipsamet salus. Ideo Areopagita de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. *diuina*, inquit, *Eucharistia necessariò summam eorum quæ in aliis Sacramentis peraguntur, complectitur*; quasi sola contineat quidquid continetur in omnibus; quia continet ipsummet autorem, & ipsummet vltimum finem omnium Sacramentorum. Vnde fit, ut in Eucharistia contineatur prædestinationis & salutis plusquàm pignus; quia pignus in rigore differt, quoad substantiam, à re promissa per pignus: hic autem idem quoad substantiam, & pignus est, & res promissa per pignus. Quippe promittitur prædestinatis Deus vt merces, & Deus ipse in Eucharistia datur in pignus. Ergo in Eucharistia prædestinationis est plusquã signum, cùm in ea reperiatur ipsamet res significata per signum: neque aliquid videatur à Beatis, quod non exhibeatur in Eucharistia. Ideo dicitur Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* Non dicitur de futuro (habebit) sed de præsenti, *habet*; quia suscipiens hoc Sacramentũ, vt glosat Dionysius Carthusianus, *habet Christum, qui vtique est ipsamet æterna vita*, Et ideo, vt notat Paschasius libro de corpore & sanguine c. 5. *carnem Christi spiritualiter percipere, vita æterna est*: quia scilicet qui spiritualiter bene dispositus percipit Eucharistiam, iam prægustat ipsammet vitam æternam, & anticipat quædam præludia Paradisi.

In Eucharistiæ Sacramento maius prædestinationis signũ, quàm in cæteris. *Areopag.*

Ioan. 6.

Dion. Carth.

Paschasius.

Quapropter eædem planè similitudines & proprietates; quæ siue à Scriptutis, siue à Patribus Paradiso tribuuntur, tribuuntur etiam Eucharistiæ: quas non erit abs re recensere, vt magis appareat in eius deuoto vsu consistere maximum prædestinationis signum; pleniùs intelligatur quam meritò dicitur à Tridentino sess. cit. in ea claudi *pignus futuræ gloriæ, & felicitatis.*

Eucharistiæ eædem proprietates tribuuntur, quæ Paradiso.

Primò de Paradiso dicitur, *vt edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo*, Luc. 22. vbi gloria Regni explicatur per mensam. De Eucharistia dicitur, *parasti in conspectu meo mensam*, Psal. 22. & ne quid minus esset, hæc paratur vt mensa gloriæ. Ideo Chrysologus serm. 1. *mensa*, inquit, *Patris nos alit virtutis cibo, salutis epulo, deliciis gloriæ.*

Luca 22.

Psal. 22.

Chrysolog.

Secundò de Paradiso dicitur, *inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*, Psal. 35. Quod expendens Augustinus libro de agone Christian. c. 9. *desideremus*, inquit, *vitæ fontem, ubi sobria ebrietate inundemur: dicit enim Spiritus sanctus, inebriabuntur ab ubertate*, &c. De Eucharistia dicitur, *calix meus inebrians quàm præclarus est*, Psal. 22. In quem locum idem Augustinus, *poculum*, inquit, *tuum inebrians quàm*

Psalm. 35. Augustin.

præclarum est præteritorum delictorum oblivionem præstans.

Tertiò de Paradiso dicitur, *quoniam apud te est fons vitæ*, Psal. 35. De Eucharistia dicitur, *in die illa erit fons patens domui Iacob*, Zach. 13. quia scilicet in hoc Sacramento fidelibus omnibus expositio, ut ait sanctus Thomas opusc. 57. *spiritualis dulcedo tanquam in proprio fonte gustatur.* Ideo Ambrosius in Psalmum 118. sermone 18. *Accedite ad eum, & satiamini; quia panis est: accedite ad eum, & potamini; quia fons est.*

Zach. 13. *D. Thom.* *Ambrosius.*

Quartò de Paradiso dicitur, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*, Psalm. 16. De Eucharistia dicitur *adipe frumenti satiat te*, Psalm. 147. quia nimirum, ut notat Hugo Cardinalis in eum locum, *pane qui de cœlo descendit, nos satiat*: & ut ait Gregorius libro 2. in 1. Reg. c. 1. *Saturabit Deus pane Eucharistico & spirituali justos famelicos, donec Ecclesia suos Deo germinat prædestinatos.*

Psalm. 16. *Psalm. 147.*

Quintò de Paradiso dicitur, quod hæc satietas famem accendit; ita ut neque fames sit sine satietate, neque sine fame satietas. Ideo dicitur quod in Deum *desiderant Angeli prospicere*, 1. Petri 1. quia, ut notat Gregorius libro 28. Moralium cap. 28. *desiderium satietas comitatur, & ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.* De Eucharistia quoque dicitur, *qui adunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient:* quia, ut notat idem Gregorius homilia 36. in Evang. *spirituales deliciæ* (quales sunt Eucharistiæ) *tantò à comedente amplius esuriuntur, quantò ab esuriente ampliùs comeduntur.*

1. Pet. 1. *Gregorius.*

Sextò de Paradiso dicitur quod in eo Deus ipse est cibus & potus beatorum. Ideo Augustinus de verbis Apostoli sermone 16. *quidquid amabas manducare & bibere, ipse tibi erit cibus, ipse tibi erit & potus.* De Eucharistia dicitur, *panem Angelorum manducavit homo*, Psal. 77. quia in ea datur hominibus ferculum Angelorum, ut supra notatum est. Ideo Paschasius libro de corpore & sanguine cap. 5. *Christus*, inquit, *cibus est Angelorum: & Sacramentorum hoc verè caro ipsius & sanguis, quem spiritualiter manducat & bibit homo; ac per hoc, unde vivunt Angeli, vivit & homo.*

Paschasius.

Septimò de Paradiso dicitur, *ut sugatis, & repleamini ab ubere consolationis ejus*: & *deliciis affluatis ab omnimoda gloria*, Isa. 66. De Eucharistia dicitur, *meliora sunt ubera tua vino.* Quippe, ut Theodoretus in Cant. *per ubera hæc vino præstantiora cogitandi sunt illi ineffabiles Altaris fontes, ex quibus pietatis alumni nutrimur.*

Isaiæ 66. *Theodoretus.*

Octavò de Paradiso dicitur, *Vincenti dabo manna absconditum*, Apoc. 2. propter gloriam datam victoribus, & *dulcedinem*, ut ait Riccardus, *qua beati Deum videntes fruuntur.* De Eucharistia quoque dicitur, *Vincenti dabo manna absconditum*; quia manna Eucharisticum datur victoribus. Quippe, ut notat in eum locum Rupertus, *iudicium sibi manducat & bibit, qui accedens ad hoc Sacramentum vincere negligitur.*

Riccardus. *Rupertus.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nono de Paradiso dicitur, *faciet Dominus in monte hoc convivium pinguium*, Isaiæ 25. ideſt, ut ibi Gloſſa interlinearis, *dans in Eccleſia cæleſti omnimodam beatitudinem.* De Eucharistia quoque dicitur, *faciet Dominus in monte hoc convivium pinguium*, ut ibi Lyranus, *propter refectionem ſpiritualem in Sacramento Eucharistiæ, quam inſtituit Dominus in monte Sion.* *Iſaiæ 25. Gloſſa. Lyranus.*

Decimò de Paradiso dicitur, *Aſer pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus*, Gen. 49. & ut ibi Gloſſa, *hîc ſignificatur beatitudo Sanctorum objectiva.* De Eucharistia dicitur ab Eccleſia, *pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias Regibus*; quia, ut ait Eucherius in catena, *caro Chriſti, quæ eſt eſca Sanctorum, præbet ſapientiæ & gratiæ delicias Regibus, ideſt iis qui ſenſus ſuos bene regunt, & animæ in ſervitutem ſubiiciunt.* *Geneſ. 49. Gloſſa. Eucherius.*

Vndecimò de Paradiso dicitur, *ſub vmbra ejus, quem deſideraveram ſedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo*, Cant. 2. quia ſcilicet, ut notat Bernardus ſermone 44 in Cant. *ſubintrante perſpicua viſione, erit & ſuavitas gutturi.* De Eucharistia quoque dicitur, *fructus eius dulcis gutturi meo*: nam, ut ait Ambroſius in Pſalmum 118. ſerm. 5. *pomum, quod pependit in cruce, Chriſtus eſt. Hoc pomum guſtavit Eccleſia* (utique in Sacramento) *& ait, Fructus ejus dulcis gutturi meo.* *Cant. 2. Bernardus. Ambroſius.*

Duodecimò de Paradiso dicitur, *in voce exultationis & confeſſionis, ſonus epulantis*, Pſal. 41. quia, ut ibi Hugo Cardinalis, *in futuro ſplendidè epulabuntur.* De Eucharistia dicitur *iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei*, ideſt, ut idem Hugo, *in ſumptione Eucharistiæ.* Quippe, ut ait Chryſologus ſermone 1. *in hac menſa epulum eſt ſalutis.*

Decimotertiò de Paradiso dicitur, *Homo quidam fecit cœnam magnam; quia*, ut notat ibi Cornelius, *prandium eſt in Eccleſia militante, cœna in triumphante.* Quamobrem Gregorius homilia 36. in Evang. *cœna*, inquit, *magna, eſt ſatietas æternæ dulcedinis.* De Eucharistia pariter dicitur, *Homo quidam fecit cœnam magnam*; quia, ut ait Cyrillus in catena, *Deus Pater magnam nobis in Chriſto cœnam paravit, qui nobis dedit proprium corpus comedere.* *Gregorius. Cyrillus.*

Decimoquartò de Paradiso dicitur, *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt*, Apoc. 19. quod de cæleſti gloria interpretatur Gregorius homil. 24. in Evang. De Eucharistia quoque dici poteſt, *Beati*, &c. Quia in hac cœna celebrantur cum Chriſto nuptiæ. Ideo Laurentius Iuſtin. ſerm. de Eucharistia, loquens de dignè ſumentibus Eucharistiam, *hi*, inquit, *Sacramentali copula ſponſo ſunt iuncti. O quàm bona ab amantibus hora illa cenſetur, in qua perſonaliter ſponſus Chriſtus cordis ingreditur thalamum!* *Laur. Iuſtin.*

Decimoquintò de Paradiso dicitur, *ſimile eſt regnum cælorum prætioſa margaritæ, quam qui invenit, vadit*, &c. Eucharistia etiam

dicitur *similis pretiosæ margaritæ*. Quia Christus contentus in hoc Sacramento est *ingentis pretii margarita*, ut cum Damasceno dictum est supra.

Matth. 13. Paschasius. Decimosextò de Paradiso dicitur, *simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro*. Matth. 13. Eucharistia quoque similis dicitur *thesauro abscondito in agro*. Quippe, ut ait Paschasius libro de corpore & sanguine cap. 17. *simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quia nec ager, videlicet corpus Christi, sine thesauro, ideſt* CCXXVII. *divinitate: nec thesaurus divinitatis emitur sine agro carnis. Qui thesaurus abscondi dicitur, quia in hoc mysterio ab aspectu oculorum, ne caro videatur, subtrahitur.*

Apocal. 5. Decimoseptimò de Paradiso dicitur à Ioanne, Apoc. 3. visum à se in eo *Agnum stantem tanquam occisum*: quasi etiam in cælis celebretur memoria Passionis. De Eucharistia dici potest claudi in ea

Lyranus. *Agnum stantem tanquam occisum*: quia, ut notat Lyranus, *Agnus immolatur in Eucharistia: & ad hoc designandum non dicitur Agnus occisus simpliciter, sed tanquam occisus.*

Decimooctavò de Paradiso dicitur, non admitti in eum nisi paruulos: *Nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum*

Matth. 18. Prouerb. 9. *cælorum*, Matth. 18. De Eucharistia dicitur non vocari ad eam nisi paruulos, Prou. 9. *Sapientia miscuit vinum, & posuit mensam: si quis*

Augustin. *est paruulus, veniat ad me.* Ideo Augustinus in tit. Psal. 33. *Oportebat*, inquit, *ut mensa illa lacteſceret, & sic ad paruulos deveniret.*

Decimononò de Paradiso dicitur, nullum ad eum habere aditum qui sit inquinatus peccato: *nihil coinquinatum intrabit in eo, aut*

Apocal. 21. *abominationem faciens & mendacium*, Apoc. 21. De Eucharistia quoque dicitur ab ea arceri omne inquinamentum mentis & corporis. Ideo, ut decrevit Trident sess. 15. cap. 3. *nullus sibi conscius mortalis peccati absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam debet accedere*: quia scilicet ab hoc Paradiso non arcetur nisi peccator.

Tr. dent.

Vigesimò de Paradiso dicitur, *mors vltra non erit*, Apoc. 21. De Eucharistia dicitur, *hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducat, non moriatur*, Ioan. 6. Ideo Cyrillus in collect. *Cum*, in-

Ioan. 6. Cyrillus. quit, *nobis advenit sacræ mensæ tempus, in qua pane vescimur illo cælitus dato; quæ prius terribilis erat mors, cessavit.*

Vigesimoprimò de Paradiso dicitur *esse in medio plateæ eius lignum*

Apocal. 22. Hugo Card. *vitæ*, Apoc. 22. quia, ut ibi Hugo: *Christus, per proprii corporis & sanguinis exhibitionem in Sacramento Altaris, est lignum vitæ.* Ideo, si

Eucharistiam comedentes candidati sũt æternitatis. Enoch & Elias à Tertulliano libro de resurrectione carnis cap. 8. appellantur *candidati æternitatis*, eò quòd edunt de ligno vitæ; possunt pariter hoc eodem vocari nomine, *æternitatis candidati*, illi qui in

Paschasius. candida hostia edunt de hoc ligno vitæ. Quippe, ut notat Paschasius

loco

loco citato cap.7. *Corpus Christi lignum vitæ dicitur; quia sicut illud immortalitatem corporis præstitisset, ita hoc multò solidiùs vitam præstat.*

Vigesimosecundò Paradisus absolutè, & per antonomasiam dicitur vita: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth.19. Eucharistia quoque à veteribus Christianis per antonomasiam dicebatur vita: ideo Augustinus libro 1. de permeritis, & remiss.cap.24. *Punici*, inquit, *Christiani Sacramentum corporis Christi nihil aliud quàm vitam vocant.* *Matth.19.* *Augustin.*

Vigesimotertiò de Paradisi incolis dicitur, *non esurient amplius neque sitient*, Apoc.21. nimirum illa gloria satiati. De Eucharistia dicitur *comedetis panem vestrum in saturitate*, Exod 16. quia, ut ibi Lyranus, *panis Eucharistiæ dat plenitudinem gratiæ & postea satietatem gloriæ.* Imo etiam ad litteram, suscipientes Eucharistiam *non esuriunt, neque sitiunt amplius*: quia plures sancti viri ac fœminæ vitam diu duxerunt solo usu Eucharistiæ, sine vllo alio cibo aut potu, ut refert Grithmundus libro 2 de verit. Euchar. & Bozius libro 4.de signis Eccles. lib.19. cap.2. De Eucharistia dicitur, quod sumentes transfert ad incorruptionem. Ideo Cyrillus Alexandrinus libro 3. in Ioan.cap.37. *vivificat*, inquit, *corpus Christi, & ad incorruptionem sua participatione reducit.* *Apocal.21.* *Exod.16.* *Lyranus.* *Cyrillus.*

Vigesimoquartò de Paradiso dicitur, *justi autem in perpetuum vivent*, Sap.5. De Eucharistia dicitur, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, Ioan.4. Quo alluśit Tertullianus adversus Iudæos c.3. dicens populum Israëliticum, dum in deserto manna comedit, *ad instar æternitatis redactum.* *Sap.5.* *Ioan.4.* *Tertull.*

Vigesimoquintò de Paradiso dicitur, exercitium beatorum fore laudationem Dei: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*, Psal.83. De Eucharistia dicitur, laudem Dei exercitium esse communicantium: *edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum*: quia scilicet, ut ibi Hugo Cardinalis, *laudando comedent, & comedendo laudabunt.* *Psalm.83.* *Hug.Card.*

Vigesimosextò de Paradiso dicitur, ibi fore fluuium pacis, *Declinabo super eos quasi fluuium pacis*, Isa.66. quia scilicet, ut ait Beda sermone 18.de Sanctis, *Sanctorum vna concordia, pax cuncta & lætitia continet.* De Eucharistia dicitur, *Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te*, Psal.147. Ideo Chrysostomus homil.83.in Matth. de Eucharistia loquens, *ab omni*, inquit, *vel tenui inimicitia purum esse penitus iubet: mysterium enim est pacis.* *Isaiæ 66.* *Beda.* *Chrysostom.*

Vigesimoseptimò Paradisus ita dicitur, quia est veluti hortus deliciarum: ideo Gen.1. *Plantavit Deus paradisum voluptatis à principio*: & Paradisus, ex Hebræo, idem valet ac *absconditus*: quasi hortus absconditus; cui, ut ait Beda loco citato, *nec rosæ desunt, nec lilia,* *Genes.1.*

Eucharistia quoque est quidam hortus deliciarum absconditus, quasi intra sepes accidentium panis & vini: in quo tamen, vt ait Ambrosius *Ambrosius.* sermone 14. in Psal. 118. *carpis rosam Dominici sanguinis: carpis lilium in quo est splendor æternitatis.*

Vigesimooctauò de Paradiso dicitur, quod ibi est societas Angelorum, *millia millium ministrabant ei; & decies centena millia assistebant ei,* Dan. 7. De Eucharistia dicitur, quod ibi est societas Ange- *Dan. 7.* lorum: dum, vt ait Chrysostomus libro 6. de Sacerdotio: *Angelorum* *Chrysostom.* *multitudo fulgentibus vestibus indutorum Altare ipsum circumdat: capite sic inclinato, vt si quis milites stantes videat præsente Rege.*

Vigesimononò de Paradiso dicitur, quod in eo Angeli velant faciem suam, propter incomprehensibilitatem eius, quem vident: *Seraphim duabus alis velabant faciem eius,* ex Hebræo *suam, & duabus volabant,* Isa. 6. De Eucharistia quoque dicitur, quod Angeli *Isaiæ 6.* coram ea velant faciem suam. Quippe, vt ait Chrysostomus hom. 83. in Matth. *Angeli videntes hanc mensam, horrescunt: neque liberè audent intueri propter emicantem inde splendorem.*

Trigesimò de Paradiso dicitur, quod ibi Deus residet in suo solio, *Vide Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum,* Isa. 6: De Eucharistia dicitur, quod ipsa est veluti quoddam solium gestato- *Cant. 3.* rium, quo Deus circumfertur, & quasi *ferculum, quod fecit sibi Rex Salomon media charitate constratum.* Quod declarans Philo Carpathius, *Ferculum,* inquit, *caro Christi dicitur; in qua non mundi negotia, sed cælestis Regni documenta firmauit.*

Trigesimo primò de Paradiso dicitur: quod in eo *fulgebunt iusti sicut Sol,* Matth. 13. De Eucharistia dixit Chrysostomus homilia 83. in Matth. *Solari radio oportere esse splendidiorem manum, carnem hanc dividentem.* Quamobrem de quodam Theophilo pœnitente, *post ei impertita vivifica Christi Sacramenta, statim resplenduisse faciem eius sicut Sol,* refert Suarius ex Metaphr. 4. Febr.

CCXVIII. Trigesimosecundò de Paradiso dicitur, quod beati manebunt in Deo, & Deus in beatis, *& habitabit cum eis: & ipse cum eis erit eorum Deus,* Apoc. 21. De Eucharistia dicitur, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo,* Ioan 5. *Cyrillus.* Quippe, vt notat Cyrillus Alexandrinus libro 4. in Ioannem cap. 17. *Qui carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inveniatur.*

Trigesimotertiò de Paradiso dicitur, quod beati ita Deum possident, vt quocumque ierint, Deum intra se circumferant, tanquam beatitudinem objectiuam. Ideo de Angelis, in terra assistentibus ad *Matth. 18.* custodiam, Christus dixit Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* De Eucharistia dicitur, quod Christum sumentes ita possident, vt durante Sacramento, Christum intra se vbique circum-

ferant. Ideo, vt ait Cyrillus Hierosolymitanus cateches. mystag. 4. *dum Christi corpus ac sanguinem in membra nostra recipimus, efficimur Christiferi, hoc est, Christum in corporibus nostris ferentes.*

Trigesimoquartò de Paradiso dicitur, quod ibi beati Deum vident, *Videbitur Deus Deorum in Sion*, Psal. 83. In Eucharistia verò Deus tangitur, & gestatur: ibi oculorum obiectum, hîc palati: &, vt expendit Chrysostomus homilia 83. in Matth. *concedit & manducare, & tangere, & intra te sumere, & cuncta desideria explere.*

Trigesimoquintò de Paradiso dicitur, *Intra in gaudium Domini tui*, Matth. 25. De Eucharistia dicitur, quod gaudium Domini intrat ad nos: dum, vt notat Ambrosius comm. in Psal. 1. *Bona est ebrietas poculi salutaris, quæ iucunditatem infundit æternæ vitæ.* Quid est *iucunditas æternæ vitæ*, nisi gaudium beatificum Paradisi?

Trigesimosextò denique de Paradiso dicitur, quod ibi beati transformantur in Deum, & fiunt quodammodo & ipsi dii. Ideo Psal. 81. *Ego dixi, Dii estis*; quia vt explicat Augustinus libro 9. de ciuitate Dei cap. 23. *appellantur dii immortales, & beati qui in cælis sunt.* De Eucharistia dicitur, quod ita transformat vt deificet. Ideo Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 1. appellauit *communionem deificam.* Et cap. 3. *Accedentes*, inquit, *ad sacra percipienda, ex cummunione diuina in Dei similitudinem & consortium transeunt.* Ideo etiam Augustinus l. med. cap. 14. *corpore*, inquit, *& sanguine, quo quotidie in Ecclesia pascimur, & potatur, participes vnius summæ diuinitatis efficimur.* Denique clarissimè omnium Damascenus lib. 4 de fide c. 14. de Eucharistia loquens, *participatio*, inquit, *dicitur, quia per ipsam Iesu diuinitatem participamus.* Et ibidem supra: *Ex hoc carbone ignito participatione diuini ignis ignimur, & deificamur.* Quamobrem, si electi in Paradiso beatificantur, in Eucharistia, si fas est cum Damasceno dicere *deificantur.* Hanc autem veluti identitatem suscipientis Eucharistiam cum Deo, Paschasius loco citato cap. 9. colligens ex Ioan. 6. *Qui*, inquit, *manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Verè igitur, sicut per naturam Deitatis Deus Pater in Filio est; ita Filius Deus homo per humanitatem iure in nobis esse dicitur; quia per eum communicationem vnitatis habemus ad Deum: dum ipse in Patre manens, & in nobis quoque manere dicitur.* Notanda sunt ea verba, *communicationem vnitatis ad Deum*; quia per Eucharistiam non tam habetur cum Deo vnio, quàm *vnitas.*

Dionys.

Augustinus.

Damasc.

Ex his plenè remanet probatum in vsu deuoto Eucharistiæ esse prædestinationis plusquam signum; ex eo quod in ea sit Paradisus & beatitudo, imo & deificatio: quæ sunt prædestinationis vltimus terminus. Vt non immeritò exclamarit Dauid Psal. 83. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea* CCXXIX.

in atria Domini, utique in atria Paradisi. Quæ autem hæc sint, explicans, paulò pòst subdit, *Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus & Deus meus.* Quippe hinc, ut ait beatus Laurentius Justinianus sermone de Eucharistia, *Huius (altaris) perspicitur quanta sit dignitas : ubi domus Dei est, & porta cœli, innumerabiliumque Angelorum frequentia.* Quapropter vir quidam sanctus nostræ Societatis dicere solebat, *Altare Paradisum esse Sacerdotum*, utique propter Eucharistiam.

Laur. Just.

Addunt postremò aliqui tantam esse Eucharistiæ cum Paradiso societatem, ut & Paradisus sit nunc in Eucharistia, ut probatum est ; & Eucharistia futura sit postea in Paradiso, Quippe putant Eucharistiam post diem judicii, quando cessabit in Ecclesia militante, conservandam esse in triumphante, non in ordine ad usum, sed in ordine ad cultum. Neque congruentiæ ad id suadendum deessent.

Eucharistiã post mundi finem in cœlo conservandam non ad usum, sed ad cultum, putant aliqui.

Primò, quia lignum Crucis conservabitur apud Beatos in cœlis; ut arguitur ex eo quod post mundi finem in die Judicii *parebit signum Filii hominis.* Major autem ratio videtur de Eucharistia, in qua Christus est modo multò admirabiliore & diviniore, quàm fuerit in ligno Crucis.

Secundò, quia hoc de Eucharistia colligi videtur ex Gen. 49. *pinguis est panis eius, & præbebit delicias Regibus.* In quem locum Glossa, *pinguis est panis eius, ideſt Sacramentum Eucharistiæ, & præbebit delicias Regibus. Per Reges intelliguntur cœli cives cum Christo regnantes.* Supponit igitur Eucharistiam aliquando delicias præbituram *cœli civibus cum Christo regnantibus.* Facit huc etiam illud Job 37. *Frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum :* si attendatur alia lectio, quam ex Hebræo adducit Pineda, *Frumentum etiam in serenitate fatigabit nubem.* Quippe hoc frumentum electorum, ut putant aliqui, etiam post mundi finem, exactis jam imbribus præsentis vitæ, in æternæ patriæ *serenitate fatigabit nubem*, nempe nubem illam accidentium, quæ quodammodo fatigantur, sive quia stant sine ullo subjecti adminiculo, sive quia Christum portant *omnia portantem verbo virtutis suæ.*

Genes. 49. Gloss.

Job. 37.

Hebr. 1.

Tertiò, nullum id continere videtur absurdum : & cedit in majorem excellentiam Christi, quod præbeat se videndum Beatis multipliciter ; & in majus gaudium beatorum, si videant intuitivè Christum Sacramentaliter existentem in hostia ; in qua eius præsentiam crediderunt per fidem.

Postremò denique si conveniens fuit, ut manna, quo cibati sunt filii Israël in deserto, conservaretur etiam in terra promissionis; multò id convenientius esse dici fortasse posset de Eucharistia. Quippe manna figuram fuisse Eucharistiæ, certum est apud omnes : sicut etiam desertum figuram fuisse vitæ præsentis, terram promissionis figuram

vitæ futuræ. Sicut igitur manna non vlteriùs descendit de cælo, cùm Israëlitæ pervenerunt ad terram promissionis : *defecitque manna, nec ussi sunt vltrà cibo illo filij Israël*, Iosue 5. ita post huius vitæ desertum, in terra illa viventium, cessabit vsus Eucharistiæ : neque beati *utentur ultrà cibo illo.* Sed quemadmodum in terra promissionis non sine mysterio conservatum est manna intra arcam testamenti in vrna aurea, teste Paulo ad Hebræos 9. *Arca testamenti, in qua vrna aurea habens manna* : ita quia, teste eodem Paulo 1. ad Cor. 10. *omnia hæc in figura contingebant illis*; dubitari posset an cessante vsu Eucharistiæ, conservandum sit hoc verum manna in terra illa promissionis : idque *in vrna aurea, intra Arcam testamenti*, quæ colebatur in Templo. Neque enim deerit cælo & Arca & Templum. Ideo dicitur Apoc. 11. *Apertum est templum in cælo, & visa est Arca testamenti eius in Templo.*

Ios. 5.

Heb. 9. *ad Cor.* 10.

Apocal. 11.

Hæc ex aliquorum sensu. Ego in re tanti momenti nihil temerè pronunciandum censeo, sed id totum Ecclesiæ judicio reservandum. Illud tamen addiderim, sub conditione; si Eucharistia in cælo conservabitur (de quo nihil certi pronunciari potest, ut dictum est) utique conservandam fore intra cor Mariæ : Si enim manna asservatum est in Arca testamenti, per hanc significari Mariam docent Methodius orat. in hypap. & alii : & speciatim per Arcam testamenti, quæ Ioanni apparuit in Apoc. intelligi corpus Virginis glorioſum, docet Suar. tom. 2. in 3. part. art. 4. disp. 21. sect. 2. Intra Arcam igitur testamenti, nempe corporis glorioſi Mariæ, in vrna aurea cordis conservaretur hoc manna Eucharisticum, nempe aliqua hostia sacra adoranda, & spectanda ab omnibus ob dotem claritatis & transparentiæ. Quod videntur innuisse etiam Patres. Quippe Damascenus Orat. 1. de nat. *Agnoscitur*, inquit, *Arca auro confecta, & mannifera illa vrna aurea, nihil habere, quod cum illa* (Maria) *comparari possit : etenim exemplaris adumbrationis typo sunt ornatæ.* Andr. Cret. orat. 2. de dormit. *Ecce*, inquit, *gloriæ nova Arca, in qua vrna aurea.* Idem orat. de Annunciat. *Salve*, inquit, *urna aurea, eum ferens, qui dulce manna reddit* Neque perpetuò asservandæ Eucharistiæ institui potest Altare dignius, quàm cor Mariæ; quæ, vt ait Epiphanius sermone de laudibus Deiparæ, *Sacerdos est & Altare : quæ quidem manna ferens, dedit nobis cælestem panem.* Dicitur, *quæ dedit cælestem panem*, quia quod per se venit in consecratione sub speciebus panis, est corpus: quod totum acceptum est à Virgine. Sicut quod per se venit sub speciebus vini, est sanguis, pariter acceptus ab eadem : & sic reddenda hæc perpetuò Mariæ tanquam accepta ex Maria. Intra cuius viscera, quia Christus libentissimè novem mensibus habitavit, inde non nisi potenti Patris imperio extractus, ac diuulsus; ideoque dicit Psal. 21. *Tu es qui extraxisti me de ventre* : jucundum valde illi esset

Method. CCXXX. Deiparæ pectus Eucharistiæ ara. *Suarez.*

Damasc.

Andr. Cret.

intra eadem viscera perpetuò sacramentaliter considere, tanquam in pyxide : qua aut pretiosiorem, aut sacratiorem Eucharistia non habuit.

Ex his apparet quàm perspicuum prædestinationis signum statuendum sit in deuoto vsu Eucharistiæ ; cùm tanta sit ei societas cum Paradiso. Quod si de margarita dixit Plinius libro 9. cap. 35. *Maiorem illi societatem cæli esse, quàm maris* ; multò veriùs dicetur de margarita Eucharistica *maiorem illi societatem cæli esse, quàm terræ.* Quippe *hic est panis, qui de cælo descendit : hic ex terrenis faciens cælestes*, vt ait Cyrillus. Ideo idem est in fine mundi regressurus in cælum; vt verificetur ad litteram quod ait Augustinus enarr. in Psal. 17. *In illa ciuitate erimus, vbi Deus panis est.* Hæc de signo prædestinationis in vsu frequenti & deuoto Eucharistiæ.

Ampliantur eadem ad affectum circa venerationem Eucharistiæ. Quippe prædestinatorum est proprium, Ecclesias frequentare, facilem aditum à Templo habituros ad cælum. Siquidem *Dominus in Templo sancto suo : Dominus in cælo sedes eius*, Psal. 10. Insuper in Templis, reuerenter versari, neque iis abuti ad peccata : condiscentes quomodo versaturi sint in eo Templo, quod vidit Ioannes Apoc. 11. Præterea solemne iis est Eucharistiam, dum per plateas circumfertur ad ægros, quoad fieri potest, religiosè comitari ; vt iam incipiant *sequi Agnum quocumque ierit*, Apoc. 14. Denique prædestinationis signum est non leue coram Eucharistia, præsertim cùm publicè exponitur, diu ac libenter orare ; atque orbe illo Eucharistico tanquam ex nouo cælo illapsos in animam benignos quosdam influxus sentire: assuescentes iam hinc, sub accidentium velo, illi eidem Deo, quo semper fruituri sunt sine velo. Claudam hæc omnia cum Laurentio Iustiniano sermone citato de Eucharistia : vbi, *Qui*, inquit, *sacrosancta corporis & sanguinis mysteria maxima veneratio frequentant, diligentur à Deo, sublimabuntur à Christo, protegentur ab Angelis, venerabuntur à populis, visitabuntur in spiritu, ditabuntur donis, complectentur à gratia, ac beatorum agminibus sociabuntur.* Hæc dicta sint de Eucharistiæ deuoto & frequenti vsu, nostræ prædestinationis auspicio.

Psalm. 10.

Laur. Iustin.

CAPVT XVIII.

Decimum Reprobationis signum, Eucharistiæ vsus infrequens, aut sacrilegus.

OPpositum eorum, quæ diximus, reprobationis est signum. Vsui enim Eucharistiæ frequenti opponitur infrequens, devoto sacrilegus. Quare

Dico primo. Reprobationis signum est, infrequens ad Eucharistiam accessus.

Probatur primò è Scripturis. Primus locus desumitur è veteri testamento Ps. 106. *Omnem escam abominata est anima eorum: appropinquaverunt vsque ad portas mortis.* Per *omnem escam* manna intelligitur: quæ dicitur *omnis esca*, quia continebat saporem omnis escæ. Ideo Sap. 16. *Angelorum esca nutristi populum tuum, omne delectamentum in se habentem & omnis saporis suavitatem.* Et infrà: *deserviens vnius cuiusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur. Omnem escam* igitur, idest manna, *abominata est anima eorum:* ex quo infert Propheta, *appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Quod figuraliter de manna: hoc veraciter de Eucharistia *habente in se omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem.* Qui hanc abominantur, signum est quod *jam appropinquaverint usque ad portas mortis.* Ideo Hugo Card. in eum locum *Omnem escam,* inquit, *abominata est anima eorum, idest Eucharistiam: quare usque ad portas mortis appropinquaverunt.*

Psalm. 106. *Sap. 16.* *Hugo Card.*

Hinc colligitur maximum reprobationis indicium in usu infrequenti Eucharistiæ. Quia abominari aliquem cibum dicitur is, qui eum rarò, & cum fastidio adhibet: & multò magis is, qui non adhibet nisi coactus præcepto medici. Unde fit ut abominari dicatur cibum Eucharisticum is, qui eum rarò adhibet: & multò magis qui non adhibet nisi coactus præcepto medici, nempe Ecclesiæ, ejus sumptionem præcipientis quidem in die Paschatis: sed ad eandem invitantis toto anni tempore. Hæc abominatio cibi omne delectamentum habentis, signum est habitualis cujusdam ægritudinis, ob quam, vitiato palato, ægrotus appetit insalubria: abhorret à salubribus, etiam ab iis, quæ sano, ac valenti benè sapiunt. Isti, qui ventris, aut Veneris voluptatibus vacant, & Eucharistiam, rarò ad eam accedentes, fastidiunt; similes sunt Hebræis, qui suspirantes ad ollas carnium, & fastidientes manna dicebant, *nauseat anima nostra super cibo isto levissimo.* Num. 21. Huc facit illud Avicennæ effatum,

Num. 21. *Avicennæ.*

Omnis repletio mala, panis autem pessima. Quod, juxta sapientium medicorum traditionem, ita vertendū est ex Arabico, *omnis nauseatio mala, panis autem pessima.* Quia ægrotus facilè carnes, aut alia obsonia nauseat: panem non nauseat. Quod si morbus eò deueniat, vt causet etiam nauseationem panis, id pronunciatur vt lethale. Simile omnino hoc in loco est Prophetæ pronunciatum. Nam, quia hæc omnis esca, de qua figuraliter loquitur, est ea, quæ Ps. 77. dicitur panis Angelorum, & est panis ipse Eucharisticus: verè de hoc pronunciatur, *omnis nauseatio mala, sed panis pessima*: quia nauseare diuinum hunc panem lethale: & ideo de iis, de quibus dici potest *omnem escam abominata est anima eorum*, hoc est Dauidis prognosticon multò certius Hippocratico, *appropinquauerunt vsque ad portas mortis*, id est jam sunt in extremo periculo constituti æternæ damnationis. Quod est dicere; hæc nausea maximum est mortis, id est reprobationis, indicium. Ideo Chrysostomus hom. 63. in Matth. *nemo*, inquit, *accedat cum nausea, nemo resolutus, omnes feruentes, omnes accensi, & excitati.*

CCXXXI. Qui Eucharistiæ escam nauseant, mortis habent prognosticon.

Chrysost.

Animaduertendum quoque est ex hoc etiam colligi, hos, qui fastidiunt Eucharistiam, non experiri dulcedinem, neque in ea reperire *omne delectamentum, & omnis suauitatem saporis*, quæ de ea pronunciatur: quod in suspicionem inducit malè perceptæ Eucharistiæ. Manna quoque apud Hebræos non continebat *omnis saporis suauitatem*; neque dici poterat *omnis esca*, nisi respectu justorum, vt colligitur ex prædicto loco Sap. 16. vbi de hoc loquens Salomon dicit, *dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deseruiens vniuscujusque voluntati*, &c. Hoc priuilegium dicitur factum *filiis*, id est iis, qui erant in gratia; vt ex his verbis colligit Abulensis quæst. 5. in cap. 9. Exodi. Lyran. in eum locum vbi putat eos, qui dicebant, *nauseat anima nostra super cibo isto*, fuisse Hebræos peccatores, non existentes in gratia: & sic non sentientes omniformem mannæ dulcedinem. Quod idem affirmat Gregorius lib. 6. moral. cap. 9. vbi: *Manna*, inquit, *omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem in se habuit: quod videlicet in ore spiritualium, iuxta voluntatem edentium, saporem dedit.* Excludit igitur ab hoc priuilegio carnales. Simili igitur modo Eucharistia figurata per manna hanc omnis saporis suauitatem non exhibet nisi justis, immo non nisi spiritualibus. Vnde fit, vt qui dicunt *nauseat anima nostra* &c. aut in peccato sint, aut si sunt in gratia, homines sint voluptatibus sensibilibus dediti: de quibus ex nauseatione diuinæ hujus escæ verum etiam est Prophetæ præsagium, *appropinquauerunt vsque ad portas mortis*; id est prope portas sunt peccati mortalis, & in summo discrimine amittendi gratiam. Nimirum non nisi animæ, cui nimis carnalia sapiunt, cæleste manna est insipidum. Ideo Lauren. Iustin.

Sap. 16.

Gregorius.

Euchar stiæ suauitatem soli experiuntur iusti.

Laur. Iustin.

Justin. serm. de Euchar. hujusmodi hominem reprehendens : *Similis*, inquit, *illis efficeris, qui comedentes tantùm corporaliter manna, gustus illius repleti fastidio, contra Dominum murmuraverunt dicentes ; Quis dabit nobis ad vescendum carnes ? Te proculdubio cœlesti dono facis indignum, & salubri sacramenti hujus privas effectu, si corde insipido hoc cœlitum manna manduces.* Sicut igitur inter Hebræos ii, qui manducabant manna, sed iis non sapiebat, non computabantur inter justos Dei filios, ut ex prædicto loco Sapientiæ probant authores citati : ita inter fideles non solùm de iis, qui Eucharistiam abominantur, sed de iis etiam, quibus cœleste hoc manna non sapit, ideoque rarò ad illius esum accedunt, dici potest illud Davidis, *appropinquaverunt usque ad portas mortis* : quod est dicere, prope sunt inferni portas, quæ reprobationis sunt terminus.

Secundus locus desumitur ex novo Testamento, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ut habetur in Oratione Dominica Luc. 21. Quod de Eucharistia exponunt Tertullianus libro de Oratione Dominica, Cyprianus libro 4. epist. 6. Cyrillus Hierosolymitanus catech. mystag. Hieronymus contra Pelagianos, Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 4. Augustinus de sermone Domini in monte cap. 12. Cassianus collat. 9. cap. 21. & plerique alii. Si ergo, Christi testimonio, Eucharistia fidelibus est *panis quotidianus* ; longissimè ab hoc recedunt, qui ita vivunt, ut hoc pane utantur aut annuatim, aut farò. Quamobrem Ambrosius loco citato, *Si quotidianus*, inquit, *est panis, cur post annum illum sumis ? Sic vive, ut quotidie mereari accipere.* Matth. cap. 6. dicit, *panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Quod aliqui referunt ad excellentiam Eucharistiæ : quæ *supersubstantialis* dicitur, quia, ut ait Cassianus coll. cit. *super omnes substantias est : omnesque creaturas magnificentiæ, ac sanctitatis ejus excedit sublimitas.* Quò facit versio Symmachi, qui transtulit, *panem præcipuum*, sive *eximium.* Facit etiam versio aliorum, qui legunt *panem acceptabilem & singularem.* Quæ omnia Eucharistiæ competunt, & faciunt ad illam expositionem *panis supersubstantialis*, idest *superantis omnem substantiam.* Meliùs tamen Ambrosius loco cit. *Substantialis*, inquit, *dicitur, quia animæ nostræ substantiam fulcit.* Quæ eadem verba sunt apud Augustinum sermone 28. in Euang. Lucæ, quasi Eucharistia sit substantia animæ. Sicut enim subsistentia in ordine naturali fulcit naturam ; ita quasi ad subsistendum in ordine gratiæ, hic *panis substantialis animæ nostræ fulcit substantiam.* Et hic sensus maximè facit ad explicandam necessitatem quotidianæ Eucharistiæ : sicut enim substantia sine fulcimento subsistentiæ corruit ; ita anima sine fulcimento Eucharistiæ. Quamobrem ubi alii, *panem substantialem*, versio Syriaca legit *panem nostræ indigentiæ.* Quæ versiones recidunt in idem quod clarius vulgata ex Luca, & recepta ab

Luca 11.

Eucharistia panis est quotidianus.

Ambrosius.

Ecclesia, *panem nostrum quotidianum*, idest, quo quotidie ad sustentamentum egemus. Hoc idem significatur per panem sine vllo additamento: panis quippe cibus ille est, quo quotidie nutrimur: aliis enim cibis identidem, solo pane quotidie vtimur. Ex quo fit etiam, ut nomine panis absolutè veniat quodlibet alimentũ, Gen. 28. *Si Dominus dederit mihi panem ad vescendum* idest alimenta quibus sustenter. Exod. 2. *Vocate eum, vt comedat panem.* Ruth. 2. *Veni huc, & comede panem.* Prou. 31. *& panem otiosa non comedit.* Quibus in locis nomine panis venit quodlibet alimentum, quod vnà cum pane comeditur. Non sine mysterio igitur Eucharistia datur sub speciebus panis, & à Christo appellatur *quotidianus panis*; quia, vt bene notat Paschasius libro de corpore & sanguine cap. 19. *Si in mortali cibo tanta vis inest, ut quotidie vitam labentem reparet, viresque restituat; idem sentiendum de hoc immortali cibo, in quo vita aterna præstatur.* Contrà verò, deficiente quotidiano pane, calor naturalis resoluitur: & sic mors imminet. Ideoque Eucharistia panis quotidianus dicitur; quia, ut notat Catth. *Sicut corpus sine corporeo cibo non sustentatur, nec permanet in vita naturali; ita anima sine hoc cibo mirifico non persistit in vita gratia spiritualis.* Infrequentia igitur in susceptione Eucharistiæ reprobationis est signum, etiamsi homo esset in gratia: quia signum est non permansurum diu in statu gratiæ, & sic non perventurum ad perseverantiam finalem, quæ est vnicum medium ad salutem. Hæc è Scripturis.

Genes. 28. Exod 2. Ruth. 2. Prou. 31. Paschasius.

Probatur idem secundò ex Patribus. Cyprianus de Oratione Dominica, *Hunc* inquit, *panem dari quotidie postulemus: ne, qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum absentes, & non communicantes à cæleſti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.* Ex Cypriano igitur ij, qui non communicabantur quotidie, juxta vsum antiquioris Ecclesiæ, periculum incurrebant *separationis à Christi corpore*, & sic reprobationis. Quare infra subdit, *timendum est, & orandum ne, dum quis abstinens separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute: comminante ipso & dicente, Nisi ederitis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Cyrillus Alexandrinus libro 4. in Ioan. cap. 17. *Si vitam*, inquit, *aternam consequi volumus, si largitorem immortalitatis habere in nobis desideramus, ad recipiendam benedictionem* (Eucharistiam) *libenter concurramus: caueamusque ne loco laquei diabolus damnosam prætendat Religionem quòd iudicium sibi manducat & bibit, qui manducat & bibit indignè. Quando igitur tu, qui ista dicis, dignus eris?* Laqueum diaboli appellat retrahi à susceptione Eucharistiæ sub prætextu humilitatis. Ambrosius libro 5. de Sacramentis cap. 4. *Accipe quotidie quod quotidie tibi proficiat. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.*

Cyprian.

Cyrillus.

Retrahi à susceptione Eucharistiæ, laqueus est Diaboli.

Ambrosius.

Eucharistia igitur annuatim aut rarò susceptа signum exhibet quod tunc etiam sit malè susceptа : & sic signum damnationis. Augustinus hom.42. tom.10. *Panem*, inquit, *quotidianum da nobis hodie : Eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Hoc optent fideles, hoc orent ; quia qui non perseverant in bona vita, separabuntur ab illo pane.* Ex Augustino igitur separatio ab hoc quotidiano pane signum est non perseverantiæ in bona vita, atque adeo reprobationis. Et ideo idem libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 3. quamvis quotidie Eucharistiæ communionem percipere nec laudet, nec reprehendat ; quia in hoc dari non potest regula generalis, propter diversitatem status exigentis minorem aut majorem frequentiam communionis ; tamen absolutè ibidem addit, *omnibus diebus Dominicis communicare suadeo, & hortor.* Ex Augustino igitur Eucharistiæ perceptio non differenda ultra octavum diem : ne scilicet vita spiritualis animæ ex nimio jejunio pereat, ut mox ostendetur. *Augustinus.*

Probatur igtur idem tertiò ratione ex effectibus Eucharistiæ. Primus ejus effectus est conservare, nutrire in vita gratiæ. Ideo non ministratur nisi baptizatis, ideſt renatis in baptismate : iisque dari solebat etiam parvulis immediatè post baptismum ; quia infantes jam nati indigemus alimento. Quod notavit Clemens Alexandrinus libro 1. Pædag. cap.6. ubi : *Lacte*, inquit, *Dominico quasi nutrimento statim, postquam editi sumus : alimur.* Idcirco Eucharistia modò lac appellatur, modò panis : quia sive infantes sumus in vita spirituali, indigemus hoc lacte : sive in ea adolevimus, indigemus hoc pane. Sicut igitur multo tempore privari infantes lacte, viros pane, est omnino lethale, cùm cibus necessarius sit ad conservationem vitæ : ita multo tempore privari Eucharistia. Quod animadvertens Cyprianus, *Sicut*, inquit, *in vita corporali cibus necessarius est ad conservandam vitam, ita in vita spirituali hoc Sacramentum necessarium est tanquam vitæ conservativum.* Et ratio est, quia sicut baptismus est quædam spiritualis generatio ; ita Eucharistia est quædam spiritualis nutritio. Atque hoc est in causa, vt appelletur à Christo modò cibus, *Caro mea verè est cibus*, Ioan.6. modò panis *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum* : nunquam tamen appelletur medicina, quia hæc non exigit sumi nisi annuatim, & iuxta indigentiam morbi : cibus verò & panis quotidie. Ostendere igitur in hoc Christus voluit, appellando Eucharistiam cibum & panem, frequentissimè esse sumendam, vt conseruet in vita gratiæ. Infrequentia igitur Eucharistiæ vel oritur ex morte spirituali, quia mortui non aluntur : vel signum est mortis spiritualis iam imminentis, quia diu sine cibo viui non potest : & sic difficillimum est longo tempore perseuerare in vita gratiæ sine cibo Eucharistico. Sicut igitur non solùm carentia cibi, sed ipsa etiam diuturna inappetentia lactis in infante, panis in viro, signa sũt morbi

Eucharistia infantibus post baptismum dari solebat.

CCXXXIII.

Eucharistia cur panis & vinum, non verò medicina dicatur à Christo.

gravissimi, & prognosticon tendentis ad mortem : ita ipsamet Eucharistiæ inappetentia & signum est & causa gravissimæ ægritudinis spiritualis, cum prognostico æternæ mortis. Et ideo hæc inappetentia solet esse propria reproborum : sicut prædestinatorum est propria quædam Eucharistiæ fames ; ex qua ante sumptionem nascitur incredibile desiderium, in sumptione par alacritas. Quam explicans

Chrysostom. Chrysostomus hom 83. in Matth. *Nonne videtis*, inquit, *quanta promptitudine parvuli pupillas capiunt, & quanto impetu labia uberibus infigunt? Accedamus nos quoque cum tanta alacritate ad hanc mensam, & ad ubera poculi spiritalis ; & unus sit nobis dolor, hac esca privari.* Reprobis una est voluptas, privari : unus dolor, dum compelluntur accedere.

Trident. Secundus Eucharistiæ effectus est præbere vires spirituales ad superanda impedimenta salutis. Ideo dicit Trid. sess. 13. cit. c. 2. Eucharistiam sumi tanquam *antidotum quo à peccatis mortalibus præservemur:* quia scilicet præbet vires ad resistendum tentationibus, quæ inducerent ad mortalia. Quapropter Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joan. cap. 17. dicit hoc Sacramento *pietatem corroborari.* Et Laurentius Justinianus sermone de Eucharistia dicit *frequentari in Ecclesia, ut debilibus robur conferat.* Ergo ex infrequentia Eucharistiæ sequitur debilitas, & jactura virium spiritualium, ex qua præsagium fit ferè quòd anima succumbet tentationibus, ex quo reprobatio. Hoc annuitur

Isaiæ 3. Isa. 3. *Auferet Dominus omne robur panis, & virum bellatorem.* Maxima hæc est Dei comminatio ; quia cùm aufertur robur hujus divini panis, auferuntur simul vires bellandi & superandi tentationes. Ideo

Lyranus. in hunc locum Lyranus, *Auferet omne robur panis, idest, spiritualis nutrimenti, & virum bellatorem contra vitia.* Præterea, sicut ex nimio jejunio macies, ex continuatione optimi cibi pinguedo sequitur : ita, si diu à cibo Eucharistiæ jejunetur, spiritualis animæ macies sequitur : ex frequentia verò, spiritualis pinguedo. Ideo appellatur Isa.

Isaiæ 25. 25. *convivium pinguium*, & Gen. 49. *panis pinguis*, & Job 35. *mensa tua erit plena pinguedine*, &, ut addunt Patres Græci in Catena, *pinguedine vitæ æternæ :* nempe quam affert panis Eucharisticus, qui appellatur ab Ecclesia in Canone Missæ *panis vitæ æternæ.* Sicut igitur ex frequentia hujus cibi spiritualis pinguedo nutriens ad æternam vitam : ita ex infrequentia macies, & veluti febris ethica spiritualis, ex qua prognosticum fit mortis. Videtur hoc significari Psal. 101. iis verbis, *Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum : quia oblitus sum comedere panem meum.* Oblivio hujus panis duo mala inducit. Unum est ariditas cordis, per defectum illius pinguedinis spiritualis, quæ habetur per hoc Sacramentum. Quippe, ut supra dictum est cum Tertulliano libro de resurrectione carnis cap. 8. *dum caro corpore & sanguine Christi vescitur, de Deo anima saginatur.* Alterum ma-

Ex Eucharistiæ infrequentia spiritualis sequitur veluti macies.

Psalm. 101.

lum, quod inducit, est mors spiritualis. Significatur per ea verba, *percussus sum ut fœnum*, &c. *quia oblitus sum comedere panem meum*. Percuti enim ut fœnum est ea facilitate peccare, qua fœnum vel leviter percussum effringitur. Quamobrem Augustinus enarr. in hunc Psalm. *meritò*, inquit, *percussum est ut fœnum, & aruit cor eius: quia oblitus comedere panem suum: oblitus manducare panem, bibit venenum*. Ecce ex oblivione Eucharistiæ facilitas peccandi, & sic mors spiritualis. Quamobrem idem August. ibid. *in eius*, inquit, *corpore es, qui ait ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Oblitus eras comedere panem tuum: post oblivionem veniat commemoratio: manducetur panis de cælo, vt vivatur.* *Augustinus.*

Tertius Eucharistiæ effectus est liberare à culpis quotidianis, ut habetur ex Trident. sess. cit. & purgare ab habitibus vitiosis. Ideo dicitur à Cyrill. loc. cit. *Christum in hoc Sacramento sævientem membrorum nostrorum legem sedare, collisos redintegrare, perturbationes animi extinguere*. Quamvis enim hoc Sacramentum non sit per se, & primariò medicina, ut est Sacramentum pœnitentiæ per se institutum ad evacuanda peccata: secundariò tamen, propter auxilia specialia, quæ confert ad purganda vitia, admixtam habet rationem medicinæ. Vnde fit ut spiritualibus morbis quotidianis nō occurratur prorogando medicinam ad longum tempus. Quod est argumentum Augustini serm. 28. de verbis Domin. in Euang. Luc. ubi: *Tu*, inquit, *panem istum vitæ nostræ quotidianum non assumis. Qui vulnus habet, medicinam requirit: vulnus adest, quia sub peccato sumus: medicina est cæleste & venerabile Sacramentum: panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Quotidie si accipis, quotidie tibi est hodie. Tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit*. Eadem planè habet iisdem verbis Ambrosius lib. 5. de Sacrament. cap. 4. qui lib. 4. cap. 6. *Quotiescunque*, inquit, *accipimus, mortem Domini annunciamus. Si mortem annunciamus, annunciamus remissionem peccatorum. Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum effunditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper habere debeo medicinam*. Quamobrem, sicut ex multiplicatione pravorum humorum, dum non purgantur per medicinam, disponitur corpus ad febrem, & sic ad mortem: ita per multiplicationem peccatorum quotidianorum, à quibus liberat Eucharistia, disponitur anima ad mortalia, & veluti ad febrem & mortem spiritualem. Ex prorogatione igitur cælestis huius medicinæ, qua quotidianis morbis occurrendum fuisset tempestivè, prognosticum lethale pronunciant medici spirituales: qui Christum in Sacramento existentem alloquuti sunt cum Dauide, *qui elongant se à te, peribunt* Psalm. 72. Hæc de reprobationis indicio ex infrequenti vsu Eucharistiæ. *Cyrillus.* CCXXXIV. *Ambrosius.* *Psalm. 72.*

Dico secundò. Reprobationis signum maximum est sacrilegus Eucharistiæ abusus.

Eucharistiæ sacrilegus abusus reprobationis est signum.

Probatur primo è Scripturis, in quibus è veteri testamento suadetur id è figuris. Prima Eucharistiæ figura fuit columna nubis, vt ostensum est supra num. 211. Hæc autem ita *stetit inter castra Ægyptiorum, & Israël.* Exod. 14. vt illis lucem & ductum præberet, Ægyptiis verò noctem offunderet. Quia, vt tradit Abulensis quæst. 4 in cap. 14. Exod. vnum latus nubis erat lucidum ex parte Hebræorum, alterum obscurum ex parte Ægyptiorum. Vt significaretur ab Eucharistia iustis lucem infundi, peccatoribus tenebras. Adde columnam illam, quam monstrabat Hebræis lucem & radios, vibrasse in Ægyptios sagittas & fulgura. Quod significatur Exod. 14. iis verbis: *Exod. 14.* *Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum.* Quia, vt notat ibi Lyranus, *Lyranus.* *ex ea nube generata sunt fulgura, & tonitrua.* Ad quod alluſit Habacuc 3. *Habac. 3.* *in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Nimirum nubes Eucharistica lucem, & radios monstrat iustis, & electis per Israëlitas designatis, sagittas & fulgura peccatoribus & reprobis, qui per Ægyptios figurantur.

Secunda Eucharistiæ figura fuit manna, vt ostensum est supra num. 217. manna autem erat simile pupillæ oculi, teste Philone lib. 2. Allegor. vt hoc significaretur quàm delicatè tractãda sit Eucharistia, quam qui offendit, offendit pupillam oculi diuini. Hoc idem apertè demonstratum est in punitione Hebræorum, cum post manna appetiere carnes. Tunc enim, vt dicitur in Psalm. 77. *Psalm. 77.* *escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israël impediuit nimis.* Seuera videri poterat punitio simplicis desiderii comestionis carnium, quas in deserto per tot annos non gustauerant. Sed ratio indicatur in eodem Psalmo: dixerat enim immediatè antè, *panem cæli dedit eis: panem Angelorum manducauit homo.* Non potuit Deus ferre vt qui manducabat manna, simul appeteret carnes: & ideo occidit primores etiam populi sui. Quantò minùs poterit ferre eos, qui manducant hoc cæleste manna, & simul appetunt carnalia? Hebræi, cum suspirabant ad ollas carnium ante susceptum manna, venia digni visi sunt: post manna, puniti sunt. Ita fideles, qui percipere volunt hoc manna, & simul voluptatibus indulgere carnalibus, venia digni non sunt. Quod aduertens Cyrillus *Cyrillus.* Alex. lib. 3. in Ioan. cap. 34. *Quia*, inquit, *Hebræi nuper ab Ægypto effugerant, panemque cælestem, qui cor hominis corroborat, adhuc non receperant; facilius poterant in cupiditates carnis incidere: propterea & venia digni visi sunt. Postquam verò Domino fruebantur, tunc iurè acerba dederunt supplicia.* Quod adamussim quadrat tum in eos, qui gustant hoc Sacramentum sine proposito abstinendi

Manna figura similis pupillæ oculi.

à vitiis, præsertim carnalibus: tum in eos qui post idem susceptum recidiui sunt ad easdem carnalitates. Quia, vt dictum est ex Cyrillo, qui *incidunt in cupiditates carnis, postquam Domino fruuntur, iure venia non sunt digni, sed acerba dant supplicia.*

CCXXXV. Sacrilegus Eucharistiæ usus reprobationis indicium.

Tertia Eucharistiæ figura fuit Arca Testamenti, vt tradunt Cyrillus Alexandr. lib. 6 de ador. Hieronymus, Ambrosius & Augustinus in Psalm. 98. Gregorius, Beda, & alii in lib. 1. Regum cap. 6. Ex hac autem figura arguitur reprobationis signum in sacrilego vsu Eucharistiæ. Eadem quippe Arca, quæ Obededom attulit benedictionem, Bethsamitis & Ozæ attulit mortem, vt videre est ex 2. Reg. cap. 6. eò quòd Bethsamitæ illam aspexerunt nudam & sine velo; quod non licebat nisi summo Sacerdoti: Oza illam vt collabentem fulciret, tetigerit; quod non licebat nisi Leuitis. Animaduertatur discrimen inter aspicientes aut tangentes Arcam illicitè; & sumentes intra se sacrilegè ipsammet Christi carnem diuinitati vnitam, & figuratam per Arcam. Addo etiam ex Hebraïca traditione, quam refert magister Historiæ Scholasticæ in librum 2. Regum cap. 9. Ozam fuisse à Deo morte mulctatum, eò quòd Arcam tetigerit post accessum ad conjugem. Vnde patet quæ vltio diuersi ordinis inmineat iis, qui post concubitus illicitos ad Eucharistiam accedunt, non diluto per pœnitentiam scelere: Sicut enim Arca figura erat Eucharistiæ; ita Hebræorum mors corporalis & temporalis figura erat mortis spiritualis & æternæ. Hæc figuratim ex Testamento veteri.

Ex nouo, vnicus & insignis locus est 1. ad Corinth. 11. *Quicumque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Vnde arguo primò. Omnis Iudæus qui influxit ad crucifixionem & mortem Christi, signum habuit maximum reprobationis: cùm illud fuerit patricidium occidendo creatorem & patrem; & ex communicatione idiomatum, Deicidium: quod peccatum habuit specialem quandam infinitatem, eò quòd effusus sit sanguis infiniti pretii & valoris. Sed, ex Paulo, suscipiens Eucharistiam indignè, reus est corporis & sanguinis Domini: ideſt, vt hîc Chrysostomus & Theophilactus, *reus est cædis Dominicæ*, ac si Dominum occidisset, & Christi sanguinem effudisset. Ergo &c. Quamobrem idem Chrysostomus hom. 83. in Matth. *Cogita*, inquit, *quantum contra proditorem indignaris; & eos, qui eum crucifixerunt. Itaque considera ne tu quoque sis reus corporis & sanguinis Christi: illi sanctissimum corpus occiderunt; tu verò post tot beneficia pollutâ suscipis animâ.* 1. Cor. 11. Chrysostom.

Confirmatur primò, quia inter Iudæos Christi persecutores Iudas potissimùm reprobatus est, & appellatus à Christo *filius perditionis*, Ioan. 17. quia sub specie amicitiæ magistrum prodidit: quod Christus

illi exprobrans dixit, *osculo Filium hominis tradis ?* Luc.22. Ergo inter Christianos, ille maximum reprobationis habebit signum, cui Christus poterit dicere *osculo filium hominis tradis?* Eucharistia autem ore percepta est quoddam osculum, quo corpus Christi sub speciebus absconditum osculamur. Quare Ambrosius libro 5. de Sacramentis cap. 2. *Venisti ad Altare. Vocat Iesus animam tuam, & ait, Osculetur me osculo oris sui. Vis Christum aptare ? nihil gratius. Vis ad animam tuam ? nihil iucundius, osculetur me.* Est igitur Eucharistiæ perceptio, ex Ambrosio, osculum mutuum vtrinque acceptum & datum. Qui indignè sumit, hoc *osculo filium hominis tradit* non Iudæis, sed ipsimet diabolo in eius corde habitanti, & eius animam possidenti. Ideo Paschasius libro de corpore & sanguine cap. 8. *Si quis*, inquit, *elapsus de corpore Christi, factus membrum meretricis, vel diaboli, accipere præsumpserit; non dubium quin ad iudicium excipitur, & cum Iuda culpæ societur obnoxius.*

Ambrosius.

Paschasius.

Eucharistiã sacrilegè sumentes eandem cum Iuda incurrunt sortem.

Confirmatur secundò, quia Iudæ proditio non tam Christo displicuit, quod tradidit eum crucifigendum, quàm quod tradidit eum peccatorum manibus contrectandum. Ideo Christus de sua Passione loquens, hoc vnum tanquam inter suos cruciatus maximum protulit, *filius hominis tradetur in manus peccatorum*, Matth. 26. Quid ergo erit tradi intra os, intra pectus, intra viscera peccatoris ? Ideo Chrysostomus loco citato, hoc tanquam scelus crucifixione maius exaggerat, *illi sanctissimum corpus occiderunt : tu verò polluta suscipis anima.* Ac si diceret, hoc occisione ipsa quodammodo pejus est, cùm Christo magis pollutio animæ displiceat, quàm cruciatus omnes quos passus est.

Confirmatur tertiò ex aliis circumstantiis, quia Iudas & Iudæi injurii fuerunt in corpus Christi passibile: sumentes verò Eucharistam indignè, injurii sunt in corpus Christi beatum & glorioſum. Iudæi peccarunt ex ignorantia diuinitatis Christi : *si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*, 1. ad Cor. 2. sumentes verò Eucharistiam indignè, rei sunt corporis & sanguinis Domini, quem iam agnoscunt vt Dominum gloriæ ; & firmiter credunt in Deum : alioquin excludendi essent è numero fidelium.

CCXXXVI. Denique illud scelus omni alio maius, quod patrarunt Iudas & Iudæi semel, inueniuntur qui patrant sæpiùs : non semel, sed multoties *rei corporis & sanguinis Domini :* ideo hi potissimùm, reprobationis habent signum quàm maximum. Quamobrem Laurentius Iustinianus sermone citato de Eucharistia : *De ipsis*, inquit, *potissimùm, qui insensibiliter, infideliterque sacrosancta tractant mysteria, Apostolum dixisse arbitror, ad Hebræos 6. impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste*, &c. *& prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis* (quasi intra semetipsos)

Laur. Iustin.

metipsos) *filium Dei*, & *ostentui habentes.* Quod ait Apostolus *impossibile*, intelligendum est valde difficile. Quod satis est ad reprobationis signum maximum, cùm horum salus ita sit difficilis, vt haberi possit pro ferè impossibili.

Et hoc est primum argumentum ductum ex prioribus verbis, *reus erit corporis*, &c. Ex posterioribus vero, *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit*, arguo secundò. Indignè manducans Eucharistiam, *iudicium sibi manducat & bibit.* Non iudicium absolutionis, vt patet; quia hæc non esset comminatio, sed promissio. Ergo iudicium damnationis: quod est habere signum futuræ damnationis. Quamobrem Chrysostomus in eum locum, *manducat*, inquit, *sibi iudicium, idest damnationem.* Quasi iam ex tunc contra illum feratur iudicium, & sententia damnationis: Sicut enim iustis datur in Eucharistia *manna absconditum*, & *calculus candidus*, idest suffragium vitæ æternæ, vt notatum est supra num. 217. ita impiis datur hoc idem manna cum calculo nigro, idest suffragio damnationis. Vtrumque Ecclesia comprehendit illo versiculo, *mors est malis, vita bonis.* Ideo Augustinus sermone 1. de tempore, *mutet*, inquit, *vitam qui vult accipere vitam: Nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam: & magis ex ipsa corrumpitur quàm sanatur: magis occiditur, quàm viuificatur.*

Chrysostom.

Eucharistia datur impiis tanquam manna, sed cum calculo nigro.

Augustin.

Illustratur hoc è Scripturis & Patribus: Nam caro Christi in Sacramento est panis ille de quo dictum est, *non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis* Iudic. 7. vt ostensum est supra num. 211. Ille autem simul *panis*, & *gladius subuertens castra Madianitarum*, fauet iustis, sed hostes euertit, & sæuit in impios: panis est Israëlitis, gladius Madianitis. Ideo qui Eucharistiam indignè suscipiunt, trajiciunt in sua viscera gladium eos miserè laceraturum, morte non solùm animæ, sed interdum etiam corporis. Quamobrem de fœmina indignè accedente, quæ statim semimortua concidit, ait Cyprianus sermone 5. de lapsis: *Non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia, palpitans & trepidans concidit: & quæ fefellerat hominem, Deum sensit vltorem.*

Cyprianus.

Assimilat hîc quoque Cyprianus cibum Eucharisticum indignè acceptum veneno: sicut enim accidit in humano corpore, idem, quod vni est medicamentum, alteri, ratione prauæ dispositionis, esse venenum: ita Eucharistia, quæ, vt supra num. 219. dictum est ex Ignatio, iustis est *medicamentum purgans vitia*, & *omnia pellens mala*, ratione prauæ dispositionis, cura quæ accipitur ab impiis, loco veneni. Ideo supra Cyprianus, *non cibum*, inquit, *sibi sumens, sed velut venena lethalia.* Hoc autem consilium initum esse à diabolo ad abolendam Christi memoriam, habetur ex Ierem. 11. *Venite, mittamus lignum in panem eius: & eradamus eum de terra viuentium: & nomen*

Ierem. 11.

ejus non memoretur amplius. Per *lignum* enim hoc loco Hugo Cardinalis, Lyranus, Pagninus, & alij intelligunt *lignum venenatum*, nempe taxum: qui pani admixtus, toxico eum inficit. Ac si dicerent, inficiamus panem eius toxico. Per panem autem hîc intelligi Eucharistiam, expressè tradunt Lactantius libro 4. instit. cap. 18. & Tertullianus libro 3. contra Marcionem cap. 19. ubi: *Venite*, inquit, *mittamus lignum in panem eius, utique in corpus: sic enim Deus in Evangelio quoque revelavit, panem corpus suum appellans.* Clarissimè Glossa interlinearis, *in panem eius, ideſt in Eucharistiam: hic est enim panis, qui de cælo descendit.* Consilium igitur diaboli fuit inficere panem Eucharisticum toxico, per sacrilegam eius traditionem indignis, ad hunc effectum, ut Christus *eradatur de terra viventium*, nempe eradatur memoria ejus ab Ecclesia. Ideo subdit, *& nomen ejus non memoretur amplius:* Sicut enim per Eucharistiam dignè susceptam comparavit Christus sibi populum acceptabilem electorum, in quorum memoria vivit, ut ostensum est supra num. 214. ita per sacrilegam ejusdem susceptionem augetur numerus reproborum, ita obfirmatorum in malo, ut ex eorum mentibus, qui sæpiùs indignè ad hoc Sacramentum accedunt, Christi memoria penitus eradatur. Neque mirum, quia quãdo cum buccella Eucharistica indignè susceptа intrat Christus in corpus, intrat simul & diabolus in cor suscipientis. Quod patet ex Iuda, de quo dicitur Ioan. 13. *post buccellam introivit in eum Satanas.* Per hanc buccellam multi intelligunt Eucharistiam, ut refert Cornelius in eum locum, inter quos Paschasius libro de corpore & sanguine cap. 8. *judicium*, inquit, *malè accipientibus minatur: dum, post buccellam de manu Domini perceptam, diabolus Iudam pervasit.* Et mox: *Cibus iste quibusdam vita est, quibusdam pœna*, &c.

Diabolus intrat in cor eius qui indignè sumit Eucharistiã. *Paschas.*

Observandum autem in hoc est, quod ante perceptionem Eucharistiæ Iudas, proditione concepta, erat in statu peccati, & seruus diaboli: & tamen non dicitur tunc intrasse in eum diabolus, sed tantùm dicitur, *cùm diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas*, Ioan. 13. Et infrà: *post buccellam introivit in eum Satanas.* Proditio Christi jam ex pacto promissa, & accepto jam infami pretio, mox executioni mandanda, non continebat tantum sceleris, ut intraret diabolus in Iudam; sed tantùm, *ut mitteret diabolus in cor Iudæ.* Eucharistia autem indignè percepta, tanquam scelus ipsamet proditione majus, aperuit aditum, ut *intraret in eum Satanas*; quasi ad accipiendam ejus plenam, & totalem possessionem: Si enim possessio, ut volunt Iuristæ, fit per pedis positionem, & introitum in domum, cuius possessio capitur ab eo, qui futurus est eius dominus: utique non ob aliud peccatum, quàm per buccellam Eucharisticam indignè susceptam, *intravit Satanas in Iudam.* Et sic diabolus, qui in Christi proditoria venditione tantùm *miserat in cor ejus*; per sacrilegam

Ioan. 13.

CCXXXVII Eucharistia indignè susceptа tanquã ipsa Christi proditione scelus in Iuda fuit maius.

Eucharistiæ susceptionem, plenam eius possessionem accepit. Vnde in iis, qui Iudam imitati Eucharistiam sacrilegè accipiunt, manifestè conuincitur per hoc sacrilegium etiam semel patratum, Satanam intrare cum buccella in os & cor suscipientis; sumendo eius plenam possessionem, tanquam futurum permanenter & stabiliter eius dominum. Ex quo prognosticum & signum habetur pessimum futuræ impœnitentiæ finalis, & sic reprobationis: Quemadmodum enim in eò, qui digné suscipit, vnà cum Christo suscipitur Paradisus, & ipsamet æterna vita; adeo vt dicatur de præsenti Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam*, vt notatum est supra num. 217. ita in eos qui indignè suscipiunt, intrante diabolo, vnà cum hoc suscipitur infernus, & mors æterna. Et sic, vt ibi est quædam anticipata possessio æternæ gloriæ: & ideo in vsu deuoto Eucharistiæ est prædestinationis plusquàm pignus, vt ostensum est supra n. 225. ita in sacrilego eiusdem vsu est quædam anticipata damnationis præuentio: & sic continentur in hoc reprobationis plusquam indicium. Et hoc est quod dicit Apostolus, *iudicium sibi manducat & bibit*: quasi habeat iam anticipatum iudicium damnationis: Sicut enim, vt supra notatum est num. 217. dicit Augustinus de Eucharistia dignè accepta, *hoc bibere quid est nisi viuere? Manduca vitam, bibe vitam*: ita dici potest de ea suscepta sacrilegè, manducari mortem, sorberi mortem, vtique ab iis, qui destinati per hoc videntur ad æternam mortem. Quippe, vt ait Paschasius loco citato *Cibus iste vita est quibus Christus est vita: illis verò mors, qui sunt membra diaboli.* Hæc è Scripturis simul & Patribus. *Paschasius.*

Probatur idem secundò ratione. Prima ratio. Omne illud peccatum, quod maximè aduersatur Christo, signum est maximum reprobationis. Sed huiusmodi est sacrilegus vsus Eucharistiæ. Ergo, &c. Major patet, quia tota prædestinatio est per conformitatem ad Christum, vt sæpiùs notatum est. Minor probatur, quia per sacrilegum vsum Eucharistiæ homo fit *reus corporis, & sanguinis Christi*, vt dictum est ex Paulo 1. ad Cor. 11. Eucharistiæ sacrilegus vsus maximè Christo aduersatur.

Confirmatur primò, quia intrante Christo simul & diabolo intra sacrilegum, Christus intrat vt hostis, diabolus excipitur vt hospes: Christus intrat in corpus, diabolus in cor: Christus mox ejicitur, diabolus retinetur: quo nihil excogitari potest horrendius. Ideo Angeli, qui milleni Christum in Eucharistia circumstant, sacrilegum illico discerperent, atque in tartara obtruderent, nisi immensa Christi patientia prohiberet. Quod aduertens Paschasius lib. de corp. & sang. cap. 8. *certus*, inquit, *sis quod Angeli nec semel indignè communicanti parcerent, nisi gladium bonitas Christi suspenderet.* Quod maius est reprobationis indicium. Quippe, vt idem Paschasius, *sæpe grauiùs peccantibus diuina patientia parcit ad tempus. Neque ideo* *Paschas.*

securitas subrepat ; quia thesaurizat sibi contemptor iram in die iræ.

Confirmatur secundò, quia sicut dignè sumentibus Eucharistia connubium est quoddam spirituale cum Christo, consũmandũ in Cælo, vt supra ostensum est num. 224. ita indignè sumentibus repudium quoddam est, & diuortium à Christo, & vnio cum diabolo. Sicut enim iusti in Eucharistiæ susceptione fiunt cum Christo *vnum corpus, & vna caro*, vt num. 223. dictum est ex Chrysostomo, ita scelesti fiunt vnus spiritus, & vna voluntas cum Satana intrante simul cum buccella Eucharistica. Ex quo sequitur coram Christo realiter ibi præsente coniungi animam sacrilegi, & adulterari cum diabolo: quasi introducto sponso de industria, vt sponsam inter adulteri complexus suismet oculis videat: quo nihil ad Christi contumeliam fingi potest atrocius. Cum igitur hoc peccatum maximè aduersetur Christo, & maximè coniungat diabolo; maximum etiam continebit reprobationis indicium.

Secunda ratio. Quotiescunque bonum alicui cooperatur in malum signum habetur reprobationis. Sed in sacrilego vsu Eucharistiæ bonum suscipienti cooperatur in malum. Ergo. &c. Maior patet, quia sicut *iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti, omnia cooperantur in bonum.* ad Rom. 8. ideſt, vt ex Augustino & aliis, *etiam mala, & peccata*, vt ostendimus tom. 2. Theolog. lib. 3. quæst 4. num. 29. ita præscitis omnia cooperantur in malum, etiam bona. Ideo de reprobo dicitur Psal. 108. *oratio eius fiat in peccatum.* Minor probatur, quia Eucharistia maximum est bonum, immo omne bonum. Quamobrem. Zach. 9. *Quod est bonum eius, & quod est pulchrum eius, nisi frumentum electorum*, &c. Hoc autem summum bonum cooperatur indignè suscipienti in summum malum: dum eo ex propria malitia abutitur in sacrilegium grauissimum. Neque huic solùm *oratio fit in peccatum*: sed ipsemet Christus, auctor gratiæ, fit in peccatum. Quod expendens Philo Carpat. in Cant. 7. *O rem*, inquit, *miram! ô rem tremendam! Hæc, quæso, diligenter sacerdotes attendite: hoc omnes aduertite: hoc timete semper, & cauete periculum. Ea est enim diuinarum, humanarumque rerum natura, vt quæ pro sua dignitate, & excellentia optima esse debent ac summa, eadem, immutato ordine, pessima fiant, & infima.* Hoc mox declarans in Eucharistia: *Licet*, inquit, *videre quosdam ex hoc sacratissimo conuiuio fieri quotidie praviores: & , quod sine graui dolore commemorare non possum, ob hoc solùm ad gehennam properare miserrimos: quod ad tale, tantum, tamque ineffabile, ac cæleste conuiuium, Angelorum choris optabile, immundo corde audacter accedere, & insolentissimè deuorare præsumunt.*

Ad Rom. 8.

Zach. 9.

CCXXXVIII.

Philo Carp.

Confirmatur idem secundò, quia experientia constat sumentem

Eucharistiam indignè, semper prolabi in deterius. Quod vel ab initio apparuit in Iuda: de quo scriptum est Ioan. 13. *cum accepisset buccellam, exivit continuò.* Hic fuit effectus Eucharistiæ malè susceptæ, amittere statim consortium Christi. Eodem quippe momento, quo Christus per buccellam Eucharisticam intravit in Iudã corporaliter, recessit omnino ab eo spiritualiter: nam intrante simul Satana, non poterat in eo manere Christus. Quod advertens Ambrosius lib. 2. de Caïn & Abel cap. 4. *Vbi*, inquit, *se Satanas immisit in cor Iudæ, Christus recessit ab eo: momentoque eodem, quo illum recepit, hunc amisit. Denique sic scriptum est, post buccellam introivit in eum Satanas.* Hic autem statim eum egit præcipitem ad executionem concepti facinoris, cum iam ex sacrilegio cœpisset dominari eius animo pleniſſimè. Quamobrem Cyrillus lib. 9. in Ioan. cap. 9. *Diabolus*, inquit, *magnas ad imperandum eis, quos omnino jam cepit, vires obtinet. Timet ne morando, detur pœnitentiæ locus: & quasi à temulentia mentem suam rectiùs cogitans homo eripiat, ea de causa festinat, & impellit.* Eucharistiæ igitur susceptio non retardavit in Iuda tam immane facinus; sed festinavit is post Eucharistiã deterior. Talis est quicunque indignè Eucharistiam percipit: ex quo semper in deterius prolabitur, sicut Iudas *post buccellam.* Quod animadvertens Laurent. Iustinianus serm. cit. de Eucharistia: *Iudam*, inquit, *imitatur huiusmodi, qui percepta panis buccella, sceleratior factus, à conspectu luminis se absentando fugit ad tenebras, ut conceptum perageret facinus. Hinc est quod sumentes indignè præ cæteris graviora delicta committunt: & pertinaciores in malo, atque ad emendationem vitæ sunt tardiores.* Cum igitur hoc sacrilegium tribuat *pertinaciam in malo*, signum est reprobationis potissimum: quæ addicta est pertinaciæ finali. Ideoque Christus signum præbens, quod Iudas futurus esset proditor, & filius perditionis: *Ille est*, inquit, *cui ego intinctum panem porrexero* Ioan. 13. quod de Eucharistia aliqui interpretantur, ut notatum est supra num. 236. Denique, dum æger accepto hoc saluberrimo medicamento labitur in deterius semper: & Eucharistia *mors est malis, vita bonis*; non potest illi non imminere æterna mors, cui Christus æterna vita sit mors.

Eucharistiã qui indignè sumunt, in deterius sem. per prolabuntur.

Ambrosius.

Laur. Iustin.

Ioan. 13.

CAPVT XIX.

Vndecimum prædestinationis signum, Religio erga Deum & sanctos: reprobationis, irreligio.

CCXXXIX. DIco decimononò. Prædestinationis signum est religio erga Deum ac sanctos: sicut reprobationis, irreligio.

De religione erga Deum probatur id à priori, quia omne id, quod specialiter conjungit hominem cum Deo, tanquam cum primo principio, spirituale prædestinationis est signum. Sed religio erga Deum est hujusmodi. Ergo, &c. Major patet, quia idem est primum principium, & ultimus finis ad quem homo per prædestinationem transmittitur. Ideo dicitur Apoc. 22. *Ego sum Alpha & Omega, principium & finis.* Minor probatur, quia *religio*, ut ex Isidoro lib. ethym. notat S. Thom. 2. 2. quæst. 81. art. 1. *dicitur à relegendo ea, quæ ad divinum cultum pertinent.* Et ibidem addit, *alligari debere hominem cum Deo tanquam cum indeficienti principio*, in iis utique quæ pertinent ad Dei veneration em, & cultum.

Apocal. 22. Religio unde sit dicta.

Confirmatur primò, quia honor Deo exhibitus signum est gloriæ à Deo exhibendæ. Ideo dicitur 1. Reg. 2. *Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Nulla autem major apud Deum ignobilitas, quàm reprobatio: sicut non alii apud Deum nobiles, quàm electi.

D. Thom.

Confirmatur secundò, quia in cælesti patria totum prædestinatorum exercitium situm est in veneratione & laude Dei: ideo dicuntur Apoc. 5. *viginti quatuor seniores cecidisse in facies suas, & adoravisse viventem in sæcula sæculorum*; quod pertinet ad venerationem: *cantantes canticum novum, dicentes, Dignus es Domine*, &c. quod pertinet ad laudationem. Ergo ii, qui hîc se exercent in venerando & laudando Deo, specimen quoddàm præferunt cælestium civium, ac proinde specialem prædestinationis notam.

Sanctorum in cælo exercitium est Deum laudare ac venerari. *Apocal. 5.*

Confirmatur tertiò, quia qui de Dei maiestate ut par est, sentiunt, ac veneratione tam interna quàm externa se illi subditos profitentur, signum exhibent quod in eius Regno sint semper visuri quem hîc ut suum Regem agnoscunt. Contrà verò ij, qui, cùm de Deo aut divinis agitur, irreverenter se gerunt; hi se gerunt ac si non Deum, sed alium sibi præesse Regem agnoscerent, nempe diabolum, sub enim tyrannide sunt per totam æternitatem subjiciendi. Profecto dæmonibus ipsis pejores: nam dæmones credunt, & contremiscunt: hi verò aut in Deum non credunt, & sic reprobi cum atheis: aut credunt, &

non contremiscunt; & sic reprobi dæmonibus nequiores; qui, ut dixímus, credunt & contremiscunt. Ex his collige proprium esse electorum de Deo reverenter loqui, res sacras reverenter tractare, in Templis reverenter adesse: quæ ad Dei cultum pertinent, non amittere: ad Deum in angustiis confugere: libenter Dei verba audire. Quod postremum tanquam prædestinationis signum à Christo Domino traditur, Joan. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit*: sicut econtrariò Dei verba audire cum tædio, vel non audire, reprobationis est signum. Ideo subditur, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*. Hæc de signo prædestinationis in religione erga Deum, reprobationis in irreligione.

Verbum Dei libenter audire, prædestinationis est signum. *Ioan. 8.*

Quod verò pertinet ad religionem erga sanctos viros, in hoc quoque constitui speciale prædestinationis signum, probatur primò è Scripturis Psal. 14. ubi Propheta cùm hanc eamdem quæstionem instituisset de prædestinatis; *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* respondet, *Qui ingreditur sine macula.* &c. infrà: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat.* Signum igitur à Propheta statuitur prædestinati, *glorificare timentes Dominum*: & præ illis nihil ducere malos, quantumuis appareant in temporalibus glorioſi & sublimes. Quod si hoc dicitur prædestinationis esse, glorificare timentes Deum, etiam nondum mortuos; quantò magis sanctos in cæleſti gloria collocatos, à qua non possunt excidere.

Psalm. 14.

Probatur idem secundò ratione à priori, quia ad eundem habitum religionis pertinet cultus Dei, & cultus Sanctorum ut amicorum Dei: sicut eorumdem est venerari Regem, & Aulicos amicos Regis. Si igitur cultus Dei prædestinationis est signum, eiusdem etiam signum erit cultus exhibitus amicis Dei.

Cultus erga Deum & Sanctos ad eumdem habitum pertinet.

Probatur idem tertiò ex patrocinio Sanctorum: Quicumque enim habet in Aula patronos, qui gratia valent apud Principem, & medium habet & signum, quod eorum patrocinio impetraturus sit quod petit à Principe. Sed ii, qui speciali devotione Sanctos colunt, habent in cæleſti Aula patronos, qui gratia valent apud Deum. Quamobrem Gregorius homilia 32. in Evangelia, *Hos*, inquit, (Sanctos) *in causa vestri examinis, quam cum districto Iudice habebitis, patronos facite: hos in die tanti terroris defensores adhibete.* Patrocinium autem Sanctorum obsequio emimus. Ideo idem Gregorius infra, *Adsunt defensores nostri sancti Martyres, rogari volunt, atque, ut ita dixerim, quærunt, vt quærantur. Hos ergo adiutores vestris orationibus quærite: hos protectores vestri reatus invenite; quia ne punire peccatores debeat, rogari vult & ipse qui iudicat.*

Gregorius.

CCXL. Sancti à nobis inuocari volunt, vt patrocinium in nos exhibeant.

Confirmat hoc idem Gregorius ibidem exemplo cuiusdam matronæ, *quæ ad Martyrum* (Processi & Martiniani) *Ecclesiam crebrò*

veniebat. Hæc quadam die, dum ex more ad orandum veniſſet, egrediens duos ſtantes ſub peregrino habitu Monachos inuenit : peregrinos credidit, dari eis aliquid eleemoſinæ præcepit. Sed priuſquam eius erogator eis ad largiendam eleemoſynam propinquaſſet, aſtiterunt illi viciniùs, & dixerunt, Tu nos modò viſitas, nos te in die iudicii requiremus, & quidquid poſſumus, tibi præſtabimus. Quo dicto, ab oculis eius ablati ſunt. Illa facta eſt poſt hoc tantò inſtantior in prece, quantò lætior in promiſſione. Si igitur Sancti, patrocinium ſuum apud Chriſtum Iudicem præſtant ſuis deuotis & clientibus ; poſſunt hi meritò collocare ſpeciale ſuæ prædeſtinationis auſpicium in hac clientela, cùm neque ipſi auxilia denegent clientibus apud Chriſtum, neque Chriſtus aliquid eorum precibus denegat, qui hîc pro eo paſſi ſunt : quia, vt notat Chryſoſtomus ſermone de Iuuentio & Maximo, qui habetur tomo 3. *Sicut milites vulnera ſibi in prælijs inflicta Regi monſtrantes fideliter loquuntur ; ita & illi* (martyres) *abſecta capita geſtantes, & in medium efferentes, quæcumque voluerint, apud Regem cælorum impetrare poſſunt.* Quod ſi ſanctus Dunſtanus, vt narrat Baronius anno Chriſti 959. cùm adhuc viueret, Eduino Regi defuncto ſuis precibus impetrauit, ne anima eius ad inferos damnaretur : multò magis id impetrare poterunt Sancti cùm iã viuunt in cælis potiti Deo. Quippe, vt ait Nazianzenus oratione 14. *Nunc tantò magis proficiunt nobis precibus, quantò ſunt Deo propinquiores.* Idcirco appellantur Sancti à Baſilio oratione in 40. Martyres, *communes humani generis cuſtodes.* Et Hilarius in Pſal. 142. dicit, *non deeſſe ſtare volentibus Sanctorum cuſtodiam* : quaſi & ipſi Sancti miniſterium exhibeant Angelorum cuſtodum. Nempe, vt ait Ambroſius libro 8. in Lucam in fine, *ſicut Angeli præſunt ; ita & hi qui vitam degunt Angelorum.* Quod ſpecialiùs intelligendum eſt de Sanctis alicuius regni, vrbis, oppidi, ſeu communitatis patronis ; ad quos ſpectat ex munere prædeſtinationis dirigere ad finem ſalutis : & ſic obſequiũ erga eoſdem, prædeſtinationis eſt ſignum. Quod præcipuè militat in obſequio erga Apoſtolos, qui etiam nunc præſunt Eccleſiæ : & potiſſimùm erga Petrum, qui, vt ait ſanctus Leo ſermone 3. in anniuerſ. ſuæ aſſumpt. *Nunc quoque mandatum Domini pius Paſtor exequitur, pro nobis orare non ceſſans, vt nulla tentatione ſuperemur.* Hoc patrocinium maius aut minus, maiori aut minori obſequio correſpondet : ac proinde ſpeciale obſequium ſignum eſt ſpecialis patrocinii.

Chryſoſtom.

Sanctorum in nos patrocinium.

Nazianz.

Baſilius.

Hilarius.

Ambroſ.

S. Leo.

Confirmatur, quia Sancti ex obſequio illis præſtito accreſcunt in gaudio & gloria accidentali. Ergo ex virtute gratitudinis, quæ in Beatis eſt longè perfectior, beneficium pro beneficio rependunt : ac proinde pro gloria accidentali impetrant ſuis clientibus à Deo gloriam eſſentialem : vnde infertur obſequium Sanctis præſtitum, pignus eſſe gloriæ aſſequendæ.

Confirmatur

Confirmatur secundò, quia viatores qui Beatis præbent obsequium, jam habere incipiunt amicabile commercium cum iis, cum quibus conversaturi sunt in cælis: & sic signum habent quod futuri sint Sanctorum concives, qui hîc amicabiliter se gerere incipiunt erga Sanctos. Nempe, ut notat sanctus Maximus sermone de Martyribus *Sancti eos, quibuscum iis familiaritas est, & in corpore viventes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt.* Contrà verò ii, qui erga eosdem sunt parum affecti & inofficiosi, signum reprobationis habent: utpote ab eorum societate perpetuò separandi, cum quibus nullo hîc commercio copulantur. Hoc in cultu, & veneratione Sanctorum prædestinationis signum haberi potest tum extensiuè, tum intensivè: extensivè in iis, qui erga omnes aut erga plures Sanctos affecti sunt, iisque præbent obsequium: intensivè in iis, qui erga aliquem Sanctum insigniter sunt affecti, illique eximium aliquod præstant obsequium. Quippe valde probabile est à sancto illo homine, eximiè de se merito, eximium etiam præstari auxilium, impetrando ei à Deo gratiam efficacem finalem, per quam saluetur. Nimirum Deus, qui hoc ipsum ut medium prædestinationis assumit, facilè condonabit offensam inimico in gratiam amici. Hæc de prædestinationis signo in cultu Sanctorum.

Maximus.

Eximium erga peculiarè quemdam è sanctis obsequium, eximium ab eo nobis meretur patrocinium.

Hæc autem quæ de Sanctis diximus, qui inter nos vixerunt, ab Ecclesia canonizatis, ampliantur primò ad sanctos Angelos, præsertim custodes: ita ut in affectu erga illos constituatur speciale prædestinationis signum.

Affectus erga Angelum custodem prædestinationis est signum.

Patet id primò è Scripturis, Exod. 23. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum quem præparavi. Observa eum, & audi vocem eius.* Signum igitur quod introducturus sit ad locum quem Deus præparavit; de quo dicitur electis, Matth. 22. *percipite Regnum præparatum vobis; ab origine mundi est*, si quis observet eum, nempe venerando; & audiet vocem eius, nempe obediendo internis inspirationibus per eum immissis. Idem dicitur Exodi 33. *mittam præcursorem tui Angelum, ut ejiciam Chananæum*, &c. *& intres in terram fluentem lacte & melle*: idest in terram promissionis, per quam passim Patres adumbrari docent Paradisum.

Exod. 23.

Matth. 22.

Exod. 33.

Patet idem secundò à priori, quia omne id quod conjungit principio trahenti prædestinationis medium, prædestinationis est signum Sed affectus erga Sanctos conjungit nos principio trahenti prædestinationis media. Ergo, &c. Maior patet ex terminis. Minor patet ex dictis tom. 2. Theol. libro 3. qu. 4. num. 17. ubi ostendimus omnia divina dona immitti nobis per bonos Angelos: sicut omnes nostræ preces ascendunt per eosdem ad Deum. Et ideo vidit Iacob, Gen. 28. *Angelos ascendentes, & descendentes*, vt ibidem notatum est. Quippe

Genes. 28.

Angeli in prædestinatorum præsidium à Deo sunt specialiter dati. *Ad Heb.1. Hilarius. Ambrosi.*

Angeli dati sunt specialiter in præsidium prædestinatorum, vt eos dirigant ad finem salutis, vt ait Paulus ad Hebræos 1. *missi propter eos qui hæreditatem accipiunt salutis.* Quod notans Hilarius in Psal. 129. *intercessione*, inquit, *Angelorum non natura Dei indiget, sed infirmitas nostra: missi enim sunt propter eos qui hæreditabunt salutem.* Ideo Ambrosius libro de viduis vltra medium, *Obsecrandi*, inquit, *sunt Angeli, qui nobis in præsidium dati sunt.*

Angeli variis similitudinibus adumbrati. *Zach.1.*

Confirmatur ex variis similitudinibus, quibus adumbrantur sancti Angeli in Scripturis. Primò dicuntur equi, Zach. 1. *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum: & post eum equi rufi, varii, & albi.* Per virum qui stabat super equum rufum, Angelum intelligi patet ex sequentibus, *& responderunt Angelo Domini*, &c. quem Hieronymus, Theodoretus, & communiter Interpretes volunt fuisse sanctum Michaëlem Iudæorum patronum; sicut per equos rufos, varios & albos, alios Angelos Michaëlis sequaces. Dicuntur autem

CCXLI. *equi rufi, varii & albi,* per connotationem eorum quos custodiunt: scilicet *equi rufi*, ii qui custodiunt martyres: *albi*, qui virgines: *varii*,

4. Reg. 6. qui varios alios fideles. Dicuntur etiam equi ignei, 4. Reg. 6. *Ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisæi*, vt notat Lyranus, propter protectionem Angelicam. Porrò per equos intelliguntur, per metonymiam, ipsimet equites, vt notat Cornelius in locum citatum Zachariæ. Ac proinde describuntur Angeli tanquam potissimus quidam equitatus, qui prædestinatis præstò est contra exercitus dæmonum. Ideo sponsa dicitur similis *equitatui Pharaonis*, Cano. 1.

Bernard. quia nimirum, vt ait Bernardus sermone 39. in Cant. *Angelicis fulta ministeriis, & superno stipata agmine sponsa incedens, similis est equitatui Domini; qui quondam in curribus Pharaonis tam stupendo diuini adjutorii miraculo triumphauit*: equitatui nempe Angelorum, à quibus Pharaonis exercitus demersus est.

Secundò dicuntur Angeli maceria, & sepes Ecclesiæ: ideo dicitur

Cant. 2. Cant. 2. *columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*; idest sub custodia Angelorum, vt exponit cum Cassiodoro, Beda &

Bernard. Anselmo, Bernardus sermone 62. vbi, *licebit*, inquit, *vnicuique vestrûm cauare sibi cauernas supernæ maceriæ; & beatarum virtutum status, & mansiones, à minimo Angelorum vsque ad Cherubim & Seraphim, tota mentis alacritate percurrendo lustrare.* Consonat his quod dixit Christus, Matth. 21. de patrefamilias, *qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei*: nempe, vt volunt Origenes, Hieronymus, Ambrosius, & passim alii, custodiam Angelorum: sepes adeo fortes, vt alii

Angeli sepes, & muri Ecclesiæ. *August. Hilarius.* muros appellent Ecclesiæ. Ideo Augustinus in Psal. 124. *ambiunt Ecclesiam Angeli, & quasi murum illi faciunt.* Alii munitiones: ideo Hilarius in eundem Psalmum, *non desunt stare volentibus Angelorum munitiones.* Alii denique custodes murorum: ideo dicitur Isaiæ 62.

Super muros tuos Ierusalem constitui custodes: per quos Bernardus ser- *Isa. 62.*
mone 4. de Dedicatione Ecclesiæ intelligit *in Ecclesia Angelicam cu-* *Bernard.*
stodiam esse superpositam, vt muros defensent, & eos qui murorum ambitu continentur.

Tertiò, Angeli dicuntur Dei aures & oculi, Psal. 33. *Oculi Domini* *Psalm. 33.*
super iustos, & aures eius in preces eorum. Quod explicans Basilius Angeli oculi dicuntur & aures Dei.
Oratione in eum Psalmum, *Sancta*, inquit, *spirituales virtutes* (Angeli) *aliquæ oculi dicuntur, quod curam susceperint nos inuisendi:* *Basilius.*
nonnullæ aures, vt quæ nostras excipiunt preces. Ac proinde si volumus à Deo aspici, & audiri; ad hos oculos, ad has aures est confugiendum. Hoc specialius competit *septem spiritualibus, qui in conspectu throni eius sunt*, Apoc. 1. hi enim cap. 5. dicuntur *oculi septem, qui* *Apocalyp. 1.*
sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Dicuntur tanquam septem Dei oculi, quia per hos septem Angelos Deus prouidentiam exercet circa omnia creata; præsertim circa prædestinatos, speciali prouidentia ad suum vltimum finem ducendos. Dicuntur autem hi septem Angeli, Iob 12. *astare ante Dominum*, & loco citato Apoc. *missi in omnem terram*; quia tanquam supremum consilium præponuntur & omnibus precibus, tanquam libellis supplicibus Deo præ- *Tobiæ 12.*
sentandis: ideoque dicebat Tobiæ Raphaël, *Ego obtuli orationem tuam*, &c. Et omnibus Dei donis atque illuminationibus, quæ sunt à Deo fidelibus per inferiores Angelos transmittendæ. Horum igitur speciale obsequium, speciale prædestinationis est signum; cùm Deus per eorum patrocinium specialiter prouidentiam exerceat circa prædistinatos, vt dictum est. Speciali autem obsequio speciale patrocinium respondet, quod non cadit nisi supra electos.

Inter hos *septem spiritus, qui septem oculi*, per quos Deus specialiter respicit prædestinatos, principem locum obtinet Michaël; cuius Sancti Michaëlis specialiter studiosi prædestinationis signum habẽs speciale.
qui sunt specialiter studiosi, signum prædestinationis habent speciale: Tum quia ad ipsum, vt patronum totius Ecclesiæ, spectat specialis cura electorum, quæ speciale obsequium postulat: Tum quia ad eundem spectat præsentare Deo animas in particulari iudicio: ac proinde eiusdem est assistere morituris, excitare electos ad perseuerantiam finalem: quam, iuxta suauem diuinæ prouidentiæ modum, sui studiosis magis enixè curabit, quàm aliis. Quippe, vt ait Pantaleo Dia- *Lipoman.*
conus homilia de sancto Michaële apud Lippomanum in sancti Michaëlis festo, *Michaël est qui consolatur pusillanimes, ægrotos visitat. fide jubet pro peccatoribus, vitiorum flammam restinguit.* Et infra adjiciens Gabrielem: *Per duos*, inquit, *Michaëlem & Gabrielem, descendit omnis datio bona, & omne donum perfectum, quod desuper mittitur in terram: hæ enim sunt duæ maximæ, & paris momenti lucernæ diuinitatis.* Nuperrimè excitata est in Italiâ, miraculi cuiusdam occasione, deuotio sancti Raphaëlis; per quem, sicut olim Deus me-

delam attulit corpori, ita nunc animis, & præcipuè electorum, qui Tobiæ sunt asseclæ.

His tribus supremis Angelis quatuor alii adiunguntur: & sic sunt *septem Angeli missi in omnem terram.* Innumerabiles alias, quibus Angeli adumbrantur, similitudines complectitur Sophronius Archiepiscopus Constantinopolitanus Oratione 6. de excell. Angel. vbi, *Vos*, inquit, *estis omnium Regis administri, vos venti, & spiritus, & aquæ, & principes, & equi, & exercitus, & Diaconi, & Apostoli, & Prædicatores, & Prophetæ, & Euangelistæ, & custodes, & præsides, & conservatores, & abactores, & conductores, & via duces, & inquisitores, & libripendes, & calculatores, & opum datores, & luminaria, & lampades, & montes, & colles, & nubes, & indices, & susceptores, & relatores, & defensores, & decertatores, & divina specula, & simulacra, & imagines, & nautæ, & naues, & gubernatores.* Ex his, aliisque titulis licet inferre quanti momenti sit Angelorum præsidium ad prædestinationis finem. Idcirco Apoc. 21. dicitur cælestis Hierusalem habere *portas duodecim, & in portis Angelos duodecim.* Quippe, ut notat in hunc locum Cornelius, *Angeli sunt socii, ductores & receptores Sanctorum*: nempe ut in cælo ianitores & custodes portarum: quia scilicet, ut notat Ambrosius in comment. epist. ad Colost. 1. *Omnes credentes, qui fixa mente devoti sunt, exeuntes de sæculo duce dextræ partis Angelo inducuntur in cælum.* Sicut igitur in vrbe à militibus custodita, qui conciliant sibi portarum custodes, facilem ad eas ingressum habent; ita facilè intrat in cælum, qui obsequio sibi devincit Angelos custodes portarum, cùm habeat *in portis duodecim Angelos duodecim.* Ideo Bernardus in Psalmum *Qui habitat*, ser. 11. *Quàm facilè*, inquit, *transit* (utique ad cælum) *qui portatur manibus Angelorum.* Hæc de signo prædestinationis in obsequio erga sanctos Angelos.

Sophronius Const. Arch. Angelorum varii tituli.

Apocal. 21.

Cornelius.

Ambrosius.

CCXLII. Defectus in Angelorum obsequio reprobationis est signum.

Contra verò in defectu talis obsequii, reprobationis est signum: Tum quia erga eos, qui deficiunt ab hoc speciali obsequio, signum est quod Angeli pro eo non exercent specialem providentiam, quæ ab iis exercetur circa electos: ac proinde signum est quod sint reprobi: Tum quia, cùm de eadem anima quodammodo litigent Angeli boni & mali; illi ut salvetur, hi ut damnetur: qui non afficiuntur erga Angelos bonos, signum est quod adhærent malis, sub eorum tyrannide cruciandi post mortem, quorum voluntati obsecuti sunt in vita. E quibus patet prædestinationis signum, quod supra collocavimus in devotione erga sanctos homines ad cælum transcriptos, ampliari debere ad effectum erga sanctos Angelos, speciales in prædestinatione administros.

Affectus erga animas in purgatorio detentas prædestinationis est signum.

Ampliatur idem secundò ad effectum erga animas in Purgatorio detentas. In quo affectu speciale signum prædestinationis constitui

suadetur primò è Scripturis 2. Macc. 12. *salubris cogitatio est pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur. Salubris cogitatio*, ergo ducit ad salutem: & sic prædestinationis est signum. 2. Macc. 12.

Suadetur secundò, quia si misericordia erga viuentes prædestinationis est signum, vt ostendimus cap. 10. multò magis misericordia erga defunctos. Tum quia remotior est ab omni spe temporalis gratiæ referendæ. Tum quia viuentes possunt aliquo modo cooperari ad subleuandos se à miseria, defuncti nullo modo possunt. Tum quia misericordia, quæ aliis & aliis viuentibus per alia opera exhibetur, tota simul erga defunctos in vno opere adunatur. Quippe esurientes pascere, sitientes potare, vestire nudos, visitare ægrotos & detentos in carcere, excipere peregrinos, redimere captiuos, sepelire mortuos, quæ septem opera sunt misericordiæ corporalis, adunantur omnia altiori modo in auxilio, quod per suffragia fidelium exhibetur defunctis: qui & esurientes, & sitientes, & nudi, & ægroti, & peregrini, & captiui, & mortui. Ac porinde omnia misericordiæ opera exercentur, dum, vt ait Augustinus lib. de octo quæst. ad Dulcit. qu. 2. *defunctorum animæ viuentium releuantur.* Misericordiæ opera adunantur in suffragiis fidelium erga defunctos. *Augustinus.*

Adde quod illæ, dum in purgatorio degunt, omnes in se pœnas adunant, quæ per multos dispersæ sunt in hac vita. Siquidem, vt ait idem Augustinus, *grauior est ille ignis, quàm quodlibet quod pati potest homo in hac vita.* Exhibentur quippe iis opera misericordiæ spiritualis subleuando eas à maxima miseria, quæ est pœna damni: & erigendo eas ad beneficium omnium maximum, nempe ad ipsam visionem Dei. Vnde fit, vt quantò præstantior est gloria quàm gratia, tantò maius sit beneficium cooperari vt defunctorum animæ collocentur in gloria, quàm vt viuentes siue collocentur, siue perseuerent in gratia.

Suadetur idem tertiò ex gratitudine, quam debent tales animæ iis quorum opere eductæ sunt è tot miseriis, & cõstitutæ in statu summæ felicitatis. Plùs enim valet visionis Dei, status beatifici acceleratio, quàm omnium mundi regnorum felicitas, etiam durans per mille annos. Ex quo sequitur vt animæ illæ, quæ eos vident Verbo, quorum industria accelerata est illis gloria per horas, menses, per annos. qua caruissent, si talia & talia suffragia non habuissent; ex gratitudine debeant pro iis efficaciter intercedere apud Deum, vt ii in æternum gloria non careant, per quos ipsæ potitæ sunt gloria. Habet profectò magnum suæ prædestinationis omen qui tam potentes, apud Deum intercessores habet. Adde ex Bellarmino tom. 2. lib. 2. de Purg. cap. 15. easdem animas à Deo exaudiri etiam dum in purgatorio detinentur: cum sint in statu gratiæ non quomodocumque, sed confirmatæ. Quod etiam variis reuelationibus constat. Ex quibus apparet eas posse iuuare, dum iuuantur: vt patet ex Gregorio Dia- Animæ, quæ in purgatorio detinentur etiam ibi à Deo exaudiuntur.

log. lib. 4. cap. 40. & Damiano in epistol. de miraculis sui temporis.

Suadetur, id quartò, quia ii, qui officiosi sunt erga has animas, signum habent quòd in eo statu aliquando erunt, in quo eis rependi possit officium. Hoc autem rependi non potest nisi in statu salutionis. Contra verò qui erga easdem animas inofficiosi sunt, & minimè affecti, signum habent quod de earum numero non erunt: neque vnquam collocabuntur in statu, in quo suffragiis iuuari possint, qui alios minimè iuuerunt suffragiis.

CAPVT VLTIMVM.

Duodecimum Prædestinationis signum, Deuotio erga Deiparam: reprobationis, indeuotio.

CCXLIII. DVodecimum, & potissimum prædestinationis signum est affectus; &, vt vocant, deuotio erga Deiparam. Ita ferè communis sensus fidelium: & probat Pelbartus in stellario lib. 2. pag. 2. cap. 1. Spinellus de B. Virgine cap. 34. num. 18. & deinceps. Binettus in libello, qui inscribitur, *Deipara tessera salutis.* Oliuerius Bonartius in Eccles. 24. Cornelius ibid. v. 13. vbi dicit *à grauibus Theologis doceri signum prædestinationis, & electionis diuinæ esse cultum, & deuotionem assiduam erga Virginem.*

Cornelius.

Probatur primò è Scripturis. Quis, vt clariùs procedamus, distinguemus in tres classes, in oracula, in figuras, in similitudines. Quod attinet ad oracula,

Genes. 3.

Primus locus est Genes. 3. vbi Deus dæmonem serpentis figura tectum alloquens, *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te, & mulierem: & semen tuum, & semen illius, Ipsa conteret caput tuum.* Quem locum explicans Cyprianus lib. 2. testimon. adu. Iud. cap. 9. *mater*, inquit, *Domini nostri Iesu Christi in illa muliere promissa est. Hæc inimicitiis opposita est serpentis. Ponam, inquit, inimicitias inter te, & mulierem. Non dicit, pono, ne ad Euam pertinere videretur. Verbum promissionis est, quod transmittitur in futura.* Nimirum, vt ait Bernardus serm. in signum magnum, *Ipsa Virgo est quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura.* Scio Septuaginta interpretes vertere, *ipse conteret caput*, referendo ad semen mulieris, quod in hebræo est masculini generis. Quam lectionem sequitur Irenæus lib. 4. contr. hæres. cap. 78. Cyprianus lib. 1. testim. cap. 9. Chrysol. serm. 173. Leo serm. 2. de nat. & alii. Vulgata tamen editio habet, *ipsa conteret*, &c. quam sequitur Am-

Maria est quæ serpentis caput contritura promissa est. *Cyprianus.*

Bernardus.

brosius lib. de fuga secul. cap.7. August. lib. 2.de Gen. con.Manich. cap.18. Chrysost. hom. 17. in Genes. Greg. lib.1. moral. cap .18.& quamplures alii. Vtraque autem lectio vera. Ideo enim *ipsa conteret*, quia, *ipse conteret* : & ideo ipse, quia ipsa. Quippe Maria per Iesum,&Iesus per Mariam : & sic vtrumque verum est, *ipse conteret* : *ipsa conteret*. Ex hoc ita formo argumentum. Post latam sententiam generalem damnationis Adamo,eiusque posteris, primum liberationis,atque adeo prædestinationis signum fuit promissio Deiparæ. Ideo S. Leo. serm.2. de natiuit. *Deus*, inquit, *omnipotens, & clemens statim vt nos diabolica malignitas veneno suæ mortificauit inuidiæ, prædestinata renouandis mortalibus suæ pietatis remedia, inter ipsa mundi primordia, designauit : denuncians serpenti futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem sua virtute contereret.* Ergo quò magis quis per affectum accedit ad Virginem,quæ fuit primum, & generale prædestinationis signum,eò magis habebit in ea signum suæ prædestinationis specialis. *S. Leo.*

Confirmatur primò,quia omne id,quod continet signum victoriæ à dæmone reportandæ, est simul prædestinationis signum. Sed Deipara est huiusmodi, utpote contritura caput serpentis. Ergo, &c. Quò facit admirabile illud relatum à Ruperto lib.3.de Trin. cap.20. quod *si nuda mulieris planta viuacissimum caput serpentis vel leuiter presserit, statim totum cum capite corpus interibit.* Ergo sub tutela & protectione Virginis victoriam nobis possumus de dæmone adpromittere, atque adeo prædestinationem, & salutem. *Rupertus.*

Confirmatur secundò,quia primum suæ prædestinationis signum, quod habuere primi parentes post peccatum, fuit Deipara. Quippe, vt notat sanctus Vincentius serm.2.de Natiuit.Virg. *reuelauit Deus parentibus primis Virginem ab ipsis processuram : quæ afferret maius bonum, quàm ipsi perdidissent. Quare conceperunt Virginem Mariam ipsam desiderando.* Ergo etiam iis, qui prædestinati sunt ex Adami posteris, affulgere debet tanquam præcipuum prædestinationis signum Deipara: quod vtique fit per specialem eius venerationem, & cultum. *Vincentius.*

Secundus locus est Psalm. 44. *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* Supra dixerat, *& concupiscet Rex decorem tuum*, &c. tum addit, *vultum tuum deprecabuntur*, &c. Quæ verba de B. Virgine,eiusque studiosis intelligit Gregorius 2. in epist. ad Germanum quæ habetur in 7.Syn.act.4 vbi dicit *Sanctæ Dei matris faciem diuites plebis supplicare.* Athanasius serm de Deipara, vbi eam alloquens : *Ideo*, inquit, *vultum deprecantur omnes diuites plebis, ditati scilicet istiusmodi bonis, & spiritualibus solatiis.* Idem habet Damascenus or.1. de Natiuit. Andreas Cret. or.2. de dorm.& , quod caput est, ipsamet Ecclesia hæc eadem verba Deiparæ applicat in missa An- *Psal.44. Gregorius. Athanas.*

nunciationis, & in Missa Vigiliæ Assumptionis. Per divites autem plebis, viros sanctitate insignes intelligi conveniunt Interpretes: nempe, ut ait Paulus 1. ad Tim. 6. *divites bonis operibus*: &, ut suprà diximus ex Athanasio, *ditatis bonis spiritualibus*. Idcirco Bernardus

Bernardus.

sermone 3. super *Salve* humiliter se dimittens, *Si vultum*, inquit, *tuum deprecabuntur, Virgo sacra, divites plebis; quantò magis pauperes plebis: Et si pauperes plebis, multò magis ego egenus & pauper, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Assiduè igitur deprecari vultum Virginis signum est non solùm prædestinationis simpliciter, sed etiam prædestinationis insignis, secundùm quam prædestinantur Sancti præcipui, significati per divites plebis. Hi quod devotionis studium vel ab exordio nascentis Ecclesiæ exhibuerint erga Virginem, facilè apparet à Templo illi adhuc viventi erecto, ac dicato Cæsaraugustæ in Hispania ab Apostolo Jacobo, ut ejus Ecclesiæ fert traditio. Hoc idem studium erga Virginem prætulit sanctus Dionysius Areopagita, ut apparet ex ejus epist. ad Paulum: sanctus Ignatius martyr, ut apparet ex ejusdem epist. ad Joannem; aliique postea sanctitate conspicui, de quibus Spinellus lib. de beata Virgine cap. 35.

Mariæ cultus ab exordio nascentis Ecclesiæ exhibitus.

Psalm. 85. Tertius locus est Psalm. 85. *Salvum fac filium ancillæ tuæ. Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur.* Petit David à Deo salvari, adhibens hoc motivum, quia est filius ancillæ Dei, nempe Mariæ. Nam, licèt hæc ex ipsius progenie descenderit secundùm carnem, ipse tamen ejus filius erat secundùm spiritum: ideo dicit, *Salvum fac filium ancillæ tuæ*; nempe illius, quæ dixit, *Ecce ancilla Domini*, Luc. 1. Quare Augustinus in eum Psalmum, *fac*, inquit, *salvum filium ancillæ tuæ: cujus ancillæ? Cui, quando nascituras nunciatus est, respondit, & ait, Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ex hoc titulo, quo quis est per devotionem & affectum Mariæ filius, habetur salus: & fit cum eo *signum in bonum*, nempe signuum prædestinationis, & ejus boni quod absolutè est bonum, *ut videant qui oderunt eum*, nempe dæmones, *& confundantur.*

Augustin.

Psalm. 115. Juxta hoc idem David in Psalmum 115. *O Domine, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Quem locum Ambrosius libro 5. de fide cap. 3. & Cerealis epist. 1. contra Maxim. cap. 6. ita interpretantur, *filius ancillæ tuæ, idest filius Mariæ.* Conjungitur cum affectu filiali erga Mariam Dei servitus, *Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Huic promittitur prædestinatio ad regnum: ideo subditur, *Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabò hostiam laudis.*

CCXLIV.

Proverb. 8. Maria diligentes se diligit.

Quartus locus est Prov. 8. *Ego diligentes me diligo: &, qui manè vigilaverit ad me, inveniet me.* Quem totum locum cum sequentibus Deiparæ applicant passim Interpretes, ut sensus litteralis primarius sit de Sapientia increata, secundarius de Deipara: cui verba ejusdem capitis aptat Ecclesia in Festo Conceptionis. Ex hoc itaque

loco

loco sic arguo. Maria diligit diligentes se. Ergo dilectio erga Mariam prædestinationis est signum: Diligi enim à Maria prædestinationis est signum. Sed diligere Mariam fert secum diligi à Maria. Ergo diligere Mariam prædestinationis est signum.

Confirmatur primò, quia hoc dupliciter potest intelligi. Primò, vt dilectio deuotorum erga Mariam sit signum & causa dilectionis Mariæ erga deuotos: & in hoc sensu certum est hos redamari à Maria. Tum quia in ea perfectissimæ sunt omnes virtutes, & sic etiam gratitudo, ad quam pertinet redamare eos qui sanctè amant: Tum quia, si Maria, vt ait Petrus Damianus sermone 1. de Nat. *benignissima est, & omnes amat amore inuincibili, quos in ea, & per eam filius eius & Deus summa dilectione dilexit*, certè eos specialiter amat, à quibus specialiter amatur, vtpote ab exhibentibus illi obsequium speciale. Quamobrem sanctus Ignatius Martyr in epistola ad Ioannem de Maria loquens, *humilibus*, inquit, *est deuota, & cum deuotis deuotior, idest cùm amantibus amantior.* Amor autem Mariæ signum est & causa salutis. Ideo ipsamet dicit Cant. 8. *vbera mea*, ex Hebræo *amores mei sicut turris:* nempe ad propugnandum contra hostes. Secundò id potest intelligi, vt dilectio deuotorum erga Mariam sit signum & effectus dilectionis Mariæ erga deuotos: qui ideo diligunt Mariam, quia antecedenter diliguntur à Maria: & in hoc sensu id etiam verum est. Quippe amor Deiparæ imitatur in hoc amorem Dei; qui præuenit, & causat amorem nostrum: ideo enim diligimus Deum quia *ipse prior dilexit nos*, 1. Ioan. 4. Eodem modo dici potest, quod ideo diligimus Mariam, quia ipsa prior dilexit nos. Dilectio igitur deuotorum erga Mariam signum est & effectus antecedentis dilectionis Mariæ erga deuotos. Hæc autem antecedentis dilectio signum est etiam antecedentis prædestinationis, quæ omne dilectorum meritum antecedit Proinde, dum dicitur ex persona Mariæ, *Ego diligentes me diligo*, signum est dilectionis antecedentis ex parte Mariæ: & sic prædestinationis ex parte Dei, cui conformatur dilectio Mariæ.

Pet. Dam.

Ignat. mart.

Confirmatur secundo ex iis quæ ibi subduntur, *vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Dilectio Virginis est ad spiritualiter ditandos eam diligentes: & ideo supra dictum ex Psalmo 44. *vultum tuum deprecabuntur diuites plebis.* Addit autem, *& thesauros eorum repleam*; quia, vt ait Damianus sermone 1. de Nat. *in manibus eius sunt thesauri miserationum Domini:* &, vt addit Idiota in Prol. de contempl. *ipsa est thesauraria gratiæ:* vt Andræas Cretensis erat. de dorm. *est omnis sanctitatis sanctissimus thesaurus.* Vt mirum non sit ab ea dici, *vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.*

Psalm. 44.

Porro replet Maria sui studiosorum thesauros in omni genere. Replet thesauros scientiæ, vt præstitit Alberto, qui cùm ingenii esset

Maria sui studiosorum thesauros omni bono replet.

hebetioris, scientiam, quam à Virgine postulabat: ita copiosè accepit, ut ab ejus magnitudine Magni cognomen acceperit. Ita 1. part. Chron. libro 3. cap. 45. Idem de Hermanno Benedictino refert Trithemius libro 2. de viris illustribus sancti Benedicti cap. 4. & de Ruperto Abbate Tuisiensi refert idem cap. 109. qui divinarum Scripturarum scientiam ope Virginis sunt adepti. Replet thesauros continentiæ, quod præstitit sancto Ignatio; cui, cùm ex militia se ad Dei famulatum transferret, ac Deiparæ commendaret, illa cingulum castitatis è cælo detulit: quo ex tempore omni postea carnis stimulo immunis fuit. Replet thesauros sanctitatis. Quod tum cæteris Sanctis, tum speciali modo sancto Andreæ Episcopo Fesulano, & Carmelitæ præstitit. Quippe, cùm ille ex cumulo scelerum ad beatum Virginem confugisset, hæc non multò pòst ei apparens, dicensque, *Servus meus es tu: in te gloriabor*, insignem illi sanctitatis gradum largissimè contulit. Replet thesauros etiam divitiarum & opum temporalium: quod, ut narratur in libro miraculorum sanctissimi Sacramenti, præstitit Vdoni cuidam: qui, ope Virginis, cujus cœperat esse mirificè studiosus, ad Episcopatum, atque ad ampliſſimas opes pervenit. Copiosiùs id præstitit Narseti Eunucho, cui, cùm is, ut refert Nicephorus libro 4. hist. cap. 20. studiosissimus esset Virginis, ejus opera ingens thesaurus subter Imperialis Palatii lapides absconditus mirabiliter detectus est, ad divitiarum augmentum: quò ad litteram impleretur, *ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Replet denique thesauros etiam humanæ felicitatis: nam Heraclius Persas ope Virginis profligavit, ut habetur ex Orosio libro 18. Hist. Pelagius primus Hispaniæ Rex, è Saracenis, cæsis octoginta millibus hostium, invocata Virgine, ampliſſimam victoriam reportavit, ut habetur ex Mariana de rebus Hispanis. Godefridus, recitatione Officii beatæ Virginis imposita militibus, Hierosolymam recuperavit; ut refert Tyrius in bello sacro, & alii. Quamobrem jure optimo potest dici ex persona Virginis, *ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Quod si, *sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam*, Eccles. cap. 3. Utique honorificanti Virginem, quæ fidelium communis est mater, thesauri non deerunt gratiæ & gloriæ: ac proinde honorificatio Virginis prædestinationis ac felicitatis est signum.

CCXLV. *Proverb. 8.*

Quintus locus est Prov. 8. *Qui me invenerit, inveniet vitam; & hauriet salutem à Domino.* Quæ verba applicantur communiter ab interpretibus, Deiparæ, imo ab ipsa Ecclesia in Festo Conceptionis: *Qui me invenerit, inveniet vitam*: ideſt, juxta glossam Cornelii, *vitam gratiæ & gloriæ.* Ideo sapienter Idiota, *inventa*, inquit; *Maria, invenitur omne bonum.* Omne autem bonum est Deus clarè visus: juxta id, quod dicitur Moysi, Exod. 33. *Ostendam tibi omne*

In Maria invenitur omne bonum.

bonum. Addit præterea clariùs, *& hauriet salutem à Domino.* Illud *hauriet* dicit quandam abundantiam, & copiam gloriæ quam hauriunt prædestinati per Virginem, tanquam per canalem & aquæductum gratiæ & gloriæ. Ideo dicit Bernardus sermone de Aquæductu, *Propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuisse, quod necdum intercederet tam desiderabilis aquæductus.* Approximatio igitur cordis & oris ad hunc aquæductum Mariæ, signum prædestinationis est; quia signum est quod quis *hauriet salutem à Domino:* vtpote *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, Ioan. cap. 4. Ita vt possit de ea dicere Virginis studiosus, ex Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* Quamobrem Bernardus sermone citato, *intuemini*, inquit, *quanto deuotionis affectu à nobis Mariam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria.*

Bernard.

Sap. 7.

Sextus locus est Prou. 31. *Omnes domestici eius induti sunt duplicibus.* Loquitur de muliere forte, per quam Bernardus homil. 2. super *Missus est*, & alii Deiparam intelligunt. Deuoti Mariæ *domestici* sunt Mariæ; quos illa *vestit duplicibus;* vt opponatur Euæ, quæ, vt notat Bernardus sermone de laudibus sanctissimæ Mariæ, *superuestiuit carnem filiorum suorum diploide confusione sua. De manu quippe illius: duplicis mali semen terra nostra suscepit, scilicet culpam in anima, calamitatem in corpore. Domestici* igitur *eius vestiti sunt duplicibus;* quia eos Virgo vestit, vt glossat Cornelius, *charitate in anima, continentia in corpore. Siue domestici eius vestiti sunt duplicibus; quia vestiti sunt Christo, iuxta illud Pauli ad Rom. 13. induite Dominum Iesum Christum: & vestiti sunt Maria, iuxta id, quod dicit Bonaventura in Psalterio: Mariam induite quotquot eam diligitis. Hæc luceat in moribus, splẽdeat in actionibus.* Addit Pelbartus in stellario Virg. l. 12. part. 1. art. 3. author pius, & priscus, eos qui speciali affectu prosecuti sunt Virginem, in eius deuotione insignes, assequi in cælo peculiarem veluti aureolam, & aliqua veluti insignia, quibus à ceteris, vt speciales Deiparæ assectæ, discernantur: *Nam sicut*, inquit, *serui Regis & Reginæ in Curia Regia certis vestibus & insignibus decorati procedunt, per quæ discernuntur vt serui Regis vel Reginæ, ac speciali purpura vestiti ambulant; ita in Curia cælesti serui beatissimæ Virginis speciali ornatu, & gloria, quæ præ aliis discernantur quod serui sint Mariæ, fulgebunt, iuxta illud Prou. vlt. Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.*

Prouerb. 31.

Bernardus. Maria suos domesticos induit duplicibus, id est charitate, & continentia.

Cornelius.

Pelbartus.

Septimus locus Eccl. 24. *qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi, In Iacob inhabita, & in Israël hereditare, & in electis meis mitte radices.* Hæc verba explicantur de Virgine ab Hugone Cardinale, Cornelio, & aliis in eum locum, &, quod magis est, eidem ab Ecclesia aptantur in Festo Assumptionis. Dixit, *qui creauit*

Eccles. 24.

me, requievit in tabernaculo meo, Per quod intelligitur vterus Virginis: de quo Psal.45.*sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, ut interpretatur Augustinus sermone de Assumptione, & sanctus Thomas 3.part.quæst.27.art.2. Ideo Damascenus oratione 1.de nat. Virg. *Cedat*, inquit, *Abrahami tabernaculum vivo & ratione prædito Dei tabernaculo.* Ait igitur Virgo, *qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi, In Iacob inhabita, & in Israël hereditare, & in electis meis*, &c. Idem dicitur sub variis vocibus: Nam Iacob figura est electorum, sicut Esaü figura reproborum, juxta Paulum ad Rom.9. *Iacob dilexi, Esaü autem odio habuit* Israël idem sonat, aç videns Deum; & sic in idem recidit. Denique expressiùs, *& in electis meis mitte radices.* Nempe, ut ait Cornelius, electorum dux, mater, magistra, & custos. Sicut igitur radix & causa est & signum germinis; ita Deipara electorum. Quicumque igitur per devotionis affectum manserit in hac radice, signum habet quod ex ea germinabit electus. Ideo subdit infra, *radicavi in populo honorificato.* Electos ipsos vocat *populum honorificatum*, juxta id quod dicitur Psal.138. *nimis honorati sunt amici tui Deus.* Sequitur, *& in parte Dei mei hæreditas illius.* idest in parte, quæ inter tot reprobos obtigit Deo meo, & quæ est hæreditas illius, ut optimè explicat Cornelius. *Et in plenitudine Sanctorum detentio mea*, Vbicumque videris detineri Virginem, ibi plenitudo Sanctorum & electorum; quia, dum detinetur à Sanctis per devotionem, ipsa eos detinet per protectionem. Quamobrem sanctus Bonaventura in spec. Virg. cap.7. *Virgo non solùm in plenitudine sanctorum detinetur, sed etiam in plenitudine sanctos detinet, ne plenitudo minuatur. Detinet virtutes, ne fugiant: detinet merita, ne pereant: detinet dæmones, ne noceant: detinet filium, ne peccantes percutiat. Ante Mariam non fuit, qui sic detinere Dominum auderet, teste, Isaja 64. qui dixit, Non est qui invocet nomen tuum, & teneat te.* Omnes igitur qui per assiduum & perseverantem eius cultum Mariam detinent, signum prædestinationis habent; quia detinebuntur à Maria, quæ poterit de iis dicere idem quod Christus, *non peribunt in æternum, & nemo rapiet eos de manu mea*, Ioan.10.

Damasc.

Ad Rom.9.

Maria radix est electorũ.

Psalm.138.

Bonavent.

CCXLVI. Octauus locus est ibidem infra: *Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Quæ verba ab interpretibus sensu litterali primario explicantur de sapientia increata, secundario verò de Virgine. Tria proponuntur facienda, *audire* Mariam, *operari* erga Mariam, & *elucidare* Mariam. *Audire* Mariam est, inspirationum vocibus eius interceßione immißis patere. Sic illam qui audiunt, *non confundentur*, confusione reproborum, de qua Dauid Ps.36. *non confundentur in tempore malo.* Ideo Biblia Complut. *Qui obedit mihi, non erubescet. Operari* erga Mariam est in eius venerationem, & cultum bona opera facere,

Tria erga Mariam sunt præstanda.

Psalm.36.

ut erogare eleemosynas, actus mortificationis in eius honorem elicere, certis diebus jejunare, orationes ad eam fundere, recitare rosarium, & similia. Qui sic in eam *operantur, non peccabunt.* Quia per eam auxilia efficacia impetrabunt, per quæ à peccatis gravibus præservabuntur, aut saltem citò ad veram,& stabilem pœnitentiam redibunt. *Elucidare* Mariam est, illi sive verbo, sive scripto lucem laudis aliquam comparare. Ideo Anselmus lib.de excell. Virg.cap.1. *Quomodo*, inquit, *fieri potest, ut ex memoria laudum ejus salus non proveniat peccatorum, cujus uterus facta est via ad peccatores sanandos?* Admirabilia sunt, quæ suarum laudum præconibus Virgo præstitit. De Fulberto Episcopo Carnotensi, qui librum de Virgine scripserat,ac sermones in ejus laudem ediderat, narrat Baronius tom. 11. anno 1028. illi,dum in lecto decumberet, Deiparam apparuisse, atque ubera præbuisse sugenda:reddito labiis lacte pro laude.Sanctus Ildefonsus, qui totus fuit in laudibus Virginis ac defensione ejusdem immaculatissimæ puritatis,accepit ab ea vestem sacerdotalem in præmium,ut ex antiquioribus refert Mariana lib.de rebus Hispanis cap. 10. S. Damasceno amputatam à Saracenis Maria restituit dexteram, quæ in ejus scribendis laudibus laboraverat, ut refert Baronius anno 728. Dum concionator quidam ex Dominicanorum familia, qui semper aliqua de laudibus Virginis in concione miscebat,in extremo morbo, magno è peccatorum memoria metu concuteretur, ægrum, ac trementem invisente Deipara,illico incredibili voluptate perfusus ad cœlum migravit feliciter, ut refertur in speculo exemplorum. Ex his apparet quàm verè pronuncietur à Virgine *qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Ubi nota dici, *qui elucidant me*, quærendo scilicet lucem, & laudem Virginis;non autem qui elucidant se, captando splendorem, & lucem proprii nominis. Potest etiam latiùs id accipi,ita ut extendatur non solùm ad præcones,sed etiam ad quoslibet devotos Deiparæ. Quia sive præcibus, sive operibus, dum eius cultui, ac venerationi serviunt, illi gloriam accidentalem adaugent; atque adeo claritatem quandam, ac lucem. Et proinde tam cultores Virginis, quàm præcones signum prædestinationis obtinent maximum, & quoddam pignus æternæ vitæ ex hoc promisso,*qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

Anselmus.

Maria suarũ laudum præconibus quæ præstiterit. *Baronius.*

Nonus locus est ibidem infra. *In me omnis gratia viæ & veritatis: in me omnis spes vitæ, & virtutis.* Quæ verba S. Thomas opusc. 8. S. Bonavent.in spec.cap.3.& alii interpretantur de Virgine. Si *omnis spes vitæ*, nempe æternæ vitæ in Maria, utique spem specialem æternæ vitæ habent studiosi Mariæ. Quod si Christus dixit Joan. 14. *Ego sum via,veritas & vita*: & in Maria *est omnis gratia viæ,& veritatis, & omnis spes vitæ*; profectò per Mariam habetur Christus ut *via, veritas, & vita*: & sic ut prædestinationis medium, & finis: me-

In Maria spes æternæ vitæ.

Ioan.14.

dium ut via, & veritas; finis ut vita. Addit præterea, *in me omnis spes vitæ, & virtutis:* quia, ut notat S. Thomas loco cit. *in omni opere virtutis potes eam habere in adjutorium: & ideo dicit ipsa, in me omnis spes vitæ, & virtutis.* Confirmatur, quia Maria idem valet, ac spes, ut notat Epiphanius orat. de laudib. Virg. quia scilicet spem æternæ vitæ collocare præcipuè debemus in Maria: idcirco ait, *in me omnis spes vitæ, & virtutis.*

S. Thom.

Matth. 25. Decimus locus est Matth. 25. ubi dicitur *regnum cælorum simile decem Virginibus, quæ accipientes lampades exierunt obviam sponso, & sponsæ.* Ex his dicuntur *quinque prudentes, quæ acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*; & hæ symbolum sunt electorum: *quinque fatuæ, quæ non sumpserunt oleum secum*: & hæ symbolum sunt reproborum, ut patet ex fine parabolæ, & notat Gregorius homil. 12. in Evang. Observandum quod Virgines hæ accipiunt lampades, ut *exeant obviam sponso, & sponsæ*, utique Christo, & Mariæ. Neque enim nomine sponsæ hic accipi potest Ecclesia, ut vult Cornelius. Nam, ut notat Gregorius ibid. *decem Virginibus similibus esse perhibetur Ecclesia, in qua Virgines fatuæ, & prudentes, electi cum reprobis admixti sunt.* Ornandas igitur Christus monet lampades non solùm in occursum sponsi, sed etiam sponsæ; non solùm Christo, sed etiam Mariæ: ac proinde in lampadibus bonorum operum accipiendum oleum devotionis in honorem sponsi, & sponsæ; Christi, & Mariæ. Non disjungendus sponsus, & sponsa; Christus, & Maria. Unde fit, ut illæ animæ; quæ tanquam Virgines fatuæ non habent lampades sanctorum operum lucentes affectu devotionis erga Mariam, neque exeant obviam sponsæ, & sic neque sponso: qui *dicet illis, nescio vos.* Quæ verò lucent affectu devotionis erga Mariam, jam habent lampades suas ornatas *ad exeundum obviam sponsæ*, & sic etiam *sponso*, & cum eo *intrant ad nuptias* æternæ vitæ. Hæc expositio comprobatur maximè ex eo quod refert S. Adelinus apud Surium 22. Aprilis de S. Opportuna Abbatissa. Cui, cum graviter ægrotaret, apparuerunt Sanctæ Lucia & Cæcilia ita eam alloquentes: *Expectat te Maria, ut conjungaris cum filio. Tu accensa lampade, exi obviam sponso, & sponsæ.* Quibus dictis mox Deipara apparuit: cui Sancta Opportuna exiens obviam intravit cum ea ad nuptias. Lumen igitur devotionis, & veluti lampas ornata in cultum Virginis signum est futuri ingressus ad nuptias. Notandum quòd Virgines in ea parabola, licèt significent, ut notat Gregorius loco cit. *multitudinem fidelium ex utroque sexu collectam*, ponuntur tamen fœminini generis, quia mulieres exituræ *obviam sponso, & sponsæ*, magis se parant ad excipiendam sponsam, quàm sponsum. Vt mirum non sit sæpè magis sensibiliter elucere in electis studium erga Virginé, quàm erga Christum. Quia hæc est voluntas ipsiusmet Christi, qui ad inge-

Animæ ipsi & sponsæ, id est Iesu & Mariæ, cum devotionis lampadibus debent occurrere.

Surius.

rendum in suis electis hunc affectum deuotioni, sensibilem circa matrem, præstat, teste Anselmo de excell. Virg. cap.6. *ut velocior aliquando sit salus memorato nomine Mariæ, quàm Iesu.* Nimirum virginibus exeuntibus obuiam sponso,& sponsæ magis familiarem se præbet sponsa, quàm sponsus. Et hæc quoad dicta Prophetica, & Euangelica. *Anselmus.*

Quoad secundam classem,quæ pertinet ad figuras,distribuendæ hæ sunt in figuras animatas, & inanimes. Ex priori genere.

CCXLVII. Mariæ figura fuit Eva.

Prima figura Deiparæ fuit Eua,quæ hoc nomen sortita est *eò quod esset mater cunctorum viuentium.* Genes.3. Debuerat appellari, post auditam in se ac posteros mortis sententiam,vt notat Rupertus lib.3. de Trin. cap.26. *mater cunctorum morientium.* Quod dubium solvens Epiphanius hæresi 78. *Ecce,* inquit, *mater viuentium, postquam audiuit terra es, & in terram reuerteris. Et mirum est, quod post hanc transgressionem, magnum cognomen habuit. Et secundùm sensum quidem ab illa Eua omnis hominum generatio est in terra. Hic autem verè à Maria hæc vita mundo est genita, vt viuentem gigneret. Per ænigma igitur Maria mater viuentium appellata est.* Si igitur Maria,vt ait Athanasius serm. de Deipara, *noua Eua, mater vitæ appellata permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium,* signum habet quod viuat vita gratiæ,& futurus sit viuens vita gloriæ, qui verè affectum filialem sentit erga matrem viuentium. Sicut enim ab Eua ducta est generatio omnium viuentium vita naturali, & mortali; ita à Maria ducta est generatio viuentium vita supernaturali, & æterna, idest generatio omnium electorum, qui absolutè, & per antonomasiam dicuntur *viuentes*, iuxta illud Psalm. 68. *deleantur de libro viuentium:* & Psalm.26. *credo videre bona Domini in terra viuentium.* Illi igitur, qui afficiuntur erga *matrem viuentium, videbunt bona Domini in terra viuentium.* Duplex quippe est hominum series, vna reproborum,quæ adhæret primis parentibus;à quibus peccatum,& mors: & hi, quamuis nobilitatem iactent & titulos, perducuntur ad perditionem. Altera est series electorum: quæ non adhærens familiæ propagini ductæ ex Adamo,& Eua, per nouam & spiritualem generationem innititur Christo, & Mariæ. Nemo ab Adamo, nisi per Euam: nemo à Christo nisi per Mariam. Immo multò magis. Nam Eua non potest dici in ordine ad seriem naturalem primus homo: qui titulus competit Adamo, iuxta illud Pauli 1.Cor. 15. *primus homo de terra terrenus.* Mater autem messiæ appellata est à Rabbi Haccados viro doctissimo ante Christi aduentum *primus homo, & prima creatura*; & à Damasceno or. 3. de tract. *massæ nostræ primitia.* Quasi Mariæ in hac generatione spirituali communicatæ sint partes & Adami, & Euæ: quia non per Euam primus Adam; sed per Mariam secundus Adam, Ideo dicitur à Petro Da- *Genes.3. Rupertus. Epiph. Psal.68. Psalm.26.* Nemo à Christo nisi per Mariam. *1.Cor.15. Damasc. Pet. Dam.*

miano sermone 3. de nat. *parens parentis, fons fontis, origo principii.* Quapropter non solùm dicitur cum Eua *mater viuentium*; sed etiam, vt eam vocat Andræas Cretensis orat. de dorm. *vita viuentium, & causa vitæ.* Ad hanc qui per affectum accedit, causam habet & signum vitæ, vt cum Germano dicetur infra.

Mariæ figura fuit Sara. *ad Rom.4. Bonav.*

Secunda Deiparæ figura fuit Sara: deueniendo ab Adamo, qui fuit pater hominum, ad Abrahamum qui fuit *pater credentium*, ad Rom 4. Sara autem mater Isaac figura fuit Mariæ; sicut Isaac figura fuit Christi. Ideo Bonauentura in spec. cap.6. *O Maria*, inquit, *ô Sara nostra, dic quod sis soror nostra, vt propter te bene sit nobis à Deo, & viuet anima mea ob gratiam tui* (ita dixit Abraham Saræ Gen.12.) *vt propter talem sororem Ægyptii, ideſt dæmones, nos reuereantur: vt Angeli nobis in acie conjungantur: vt propter talem sororem Pater, Filius & Spiritus sanctus nostri misereantur.* Quod si Sara idem sonat ac princeps, vt notat Spinellus libro de Virgine cap.19.num.1. Maria vtique nostrum omnium princeps est & Regina, vt ostendimus tomo priore libro 6. q.38. num 49. Quia verò Isaac idem sonat ac risus, seu gaudium, (*Natus est Isaac, dixitque Sara, Risum fecit mihi Dominus*, Gen.21.) vtique Sara figura fuit Mariæ, vt notat Cornelius ibidem, & Spinellus de beata Virgine cap 5. num.15. quia sicut Sara mater fuit Isaac, ideſt risus; ita Maria mater fuit Christi, qui, vt notat Rupertus, *risus fuit & gaudium vniuersæ terræ.* Quare sicut Sara Isaac, ideſt *risum*; siue, vt vertit Chaldæus, *gaudium*, portauit in vtero; ita, vt ait Augustinus sermone 18. de Sanctis: *Eua lacrymas, Maria gaudium in ventre portauit.* Gaudium, quanto vel ab ipsis mundi primordiis Euæ lacrymas exhilarauit. Ideo Damascenus in Theoph. hymnis inter opera eius auctiora. *Per te*, inquit. *Virgo, primi parentes exhilarantur.* Dixit Sara post partum Isaac, *Risum fecit mihi Dominus: omnis qui audierit, congratulabitur mihi.* Dixit Maria post conceptum Verbi, *exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, Luc.1. Et ex persona eius Ecclesia, *Congratulamini mihi, quia de meis visceribus genui Deum & hominem.* Cum hoc tamen discrimine, quod Isaac fuit risus & gaudium Saræ, *Risum fecit mihi*, &c. partus verò Virginis fuit *risus & gaudium vniuersæ terræ*, vt supra diximus cum Ruperto. Ideo Maria dicitur ab Ecclesia in Litan. *causa nostræ lætitiæ*, & ipsius ortus *gaudium annunciare vniuersomundo*: quod videtur sumptum à Gregorio Thaumaturgo, qui Orat. de Annunc. *Aue*, inquit, *gratia plena: per te gaudium dispensatur omni creaturæ.* Illi igitur quibus per affectum affulget Maria, affulget gaudium, & spes æternæ vitæ. Abraham, sepulta Sara in Hebron, quæ spectabat ad terram promissionis, pignus per hoc accepit introducendi posteros in terram promissionis: &, vt notauit Abbas Pastor in vitis Patrum, respondens interroganti, *Quid faciam vt saluer? Per Saræ monumentum*

Spinell.

Augustin. Maria gaudium, Eva lachrymas in ventre portavit. *Damascen.*

Mariæ partus universi orbis gaudium.

Gregorius Thaum.

mentum terram in hæreditatem accepit. Memoria & umbra Saræ ibi in ſpelunca conditæ introduxit Iſraëlitas in poſſeſſionem terræ promiſſionis. Memoria & umbra Mariæ conditæ in ſpelunca cordis introducit electos in poſſeſſionem Regni cœlorum; cuius figuram habet terra promiſſa, ex Origene hom. 7. in cap. 13. Numerorum. In Saræ monumento pignus habuerunt Iſraëlitæ futuræ hæreditatis: in Mariæ memoria pignus habent, & ſignum cœleſtis hæreditatis veri Iſraëlitæ & electi. Ideo Damaſcenus orat. 1. de dorm. *Sufficit,* inquit, *iis qui tui memoriam piè uſurpant, pretioſiſſimum memoriæ tuæ donum : quæ ejuſmodi lætitiam parit, quam nullus poteſt eripere.* *Damaſ.*

CCXLVIII. Mariæ figura Rebecca.

Tertia Deiparæ figura fuit Rebecca, ut notat ſanctus Antoninus 4 part. tit. 15. cap. 2. Hæc autem mater fuit Iacob, qui fuit typus electorum; & Eſaü, qui fuit typus reproborum, ex Paulo ad Rom. 9. Quia Maria mater in Eccleſia omnium credentium, ſive reprobi ſint, ſive electi. Ideo dicitur à Bonaventura in ſpec. cap. 8. *mater omnium fidelium univerſalis.* Cùm igitur ex fidelibus aliqui ſint electi deſignati per Iacob, aliqui reprobi deſignati per Eſaü : obſervandum eſt, quod à Rebecca diligebatur Jacob, ab Iſaac diligebatur Eſaü, Gen. 25. Sicut igitur Iacob in affectu Rebeccæ erga ipſum majore, quàm erga Eſaü, ſignum habuit & cauſam paternæ benedictionis, quam ipſe unà cum hæreditate, excluſo Eſaü, ſuſcepit ab Iſaac, ut habetur Gen. 27. ita electi figurati per Iacob pignus habent futuræ benedictionis in affectu Mariæ erga ipſos : & ſic in affectu ipſorum erga Mariam : quippe quæ proteſtatur Prov. 8. *Ego diligentes me diligo.* Vide quæ de hac figura diximus tom. 2. Theol. lib. 3. q. 10. n. 14. occaſione deſignationis electorum facta per Mariam. Illud addo, quod Iſaac motus eſt ad dandam benedictionem ex odore veſtimentorum quæ Iacob acceperat à manu matris, *ſtatim ut ſenſit fragrantiam veſtimentorum eius* ; quia ſcilicet neſcio quid olebant Rebeccæ. Similiter Chriſtus movetur ad impertiendam benedictionem ſalutis ex fragrantia orta ex Maria, nempe ex affectu devotionis eorum qui toti olent Mariam. Imò ipſemet Iſaac benedictionem dedit Iacob, quia in eo prophetico ſpiritu eſt odoratus Mariam. Ideo ſanctus Hieronymus epiſt. ad Paulam & Euſtochium de Maria loquens, *De iſto,* inquit, *venturo agro Patriarcha Iſaac longè odorans aiebat, Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni. Et ſanè plenus ager dicitur, quia plena gratia virtutum Virgo Maria pronunciatur.* *Bonauent.* *Prou. 8.* *Hieronymus.*

Mariæ figura Rachel. *Geneſ. 24.* *Cantic. 1.* *Georg. Nic.*

Quarta Deiparæ figura fuit Rachel, quæ erat, ut dicitur Gen. 24. *decora facie, & venuſto aſpectu* : ac proinde Deiparam adumbrabat, quæ fuit *pulcherrima inter mulieres,* Cant. 1. &, ut dicit Georgius Nicomed. Orat. de oblat. *pulchritudo omnium pulchritudinum.* Rachelem adorauit Jacob, & pro ea ſervivit pluſquam pro Lia, Mariam adamavit Chriſtus, pro qua etiam *formam ſervi accepit,* ad Philipp. 2.

Quippe, vt affirmat sanctus Bernardus Senensis tomo 3. Conc. 51. art. 3. cap. 4. *plus venit pro redimenda Maria, quàm pro omni alia creatura.* Quod si inter tot filios Iacob ex Lia, natus est illi ex Rachele *Beniamin filius dexteræ*, Gen. 35. vtique qui Mariam, nouam Rachelem, matrem agnoscit, signum habet quod sit *filius dexteræ* ideſt, vt ibi interpretatur Rupertus, cum electis collocandus à dexteris. Obseruandum quod Rachel vocauit nomen filii sui *filius doloris*; pater verò appellauit *Beniamin, ideſt filius dexteræ.* Rachel vocauit filium doloris, vt notat Rupertus, *ob doloris in pariendo immensitatem*, Maria vero, vt ait Bernardus de lament. Virg. *dolorem quem pariendo filium non sensit, millies replicatum passa est filio moriente:* Quia scilicet tunc vna cum Christo pariebat electos. Ideo Anselmus apud sanctum Antoninum 4. part. tit. 15. cap. 2. *Sicut*, inquit, *Christus nos genuit in cruce patiendo: ita Maria nos genuit, & peperit in maximis doloribus filio compatiendo.* Ideo vnusquisque electus appellatus à Virgine, *Beniamin filius doloris*: sed appellat eum pater, *Beniamin, ideſt filius dexteræ*: quia is, pro quo Maria specialiter suos offert dolores, à Deo prædestinatur, vt sit *filius dexteræ.* Ille igitur, qui erga Deiparam afficitur tanquam erga matrem, signum habet quod sit *filius dexteræ*, ideſt prædestinatus & electus.

Gen. 35.

Bernard. Maria quos in Christi partu non sensit dolores, sensit dum cum Christo in cruce, ei compatiendo, pariebat electos. *Anselmus.*

Quinta Deiparæ figura fuit Maria Prophetissa soror Aaron: Quæ præfigurauit Mariam; tum nomine, quod primò illi videtur impositum; tum dono Prophetiæ, cùm appellatur Prophetissa Exodi 15. *Maria* autem, vt ait Basilius, *quòd Prophetissa fuerit nemo contradixerit, qui fuerit verborum illius memor, quæ dixit prophetico afflata spiritu.* Tum denique quia Maria soror Aaron fuit virgo, vt notat Nyssenus libro de Virg. cap. 6. Ambrosius exhort. ad Virg. & alii. Alioquin non diceretur *soror Aaron*, sed vxor talis vel talis viri: & sic sola hæc mulier in veteri Testamento virginitatem coluit. Sed præcipuè Maria soror Aaron typum gessit Mariæ ex eo quod prima post egressum è mari rubro *sumpsit tympanum, egressæque sunt omnes mulieres post eam*: quibus præibat dicens, *Cantemus Domino*, &c. Exod. 15. Primum signum Pharaonis in mari rubro demersi, & Israëlitici populi à tyrannide Ægyptiaca liberati apparere cœpit in Maria. Maria præcessit populum: Maria ad terram promissam dux extitit per desertum; vt eo facto adumbraretur primum nostræ prædestinationis & liberationis signum, diabolo in Christi sanguine, veluti in rubro mari demerso, rursus nobis apparere in Maria. Ita vt hæc, & libertatis omen, & ducatum præbeat ad salutem. Ideo Chrysologus sermone 146. *Semper*, inquit, *Maria humanæ præuia salutis, Populum, quem vnde generatrix emisit in lucem, ipsa prior præcessit in Cantico. Maria soror Moysi sumens tympanum dixit, Cantemus Domino*, &c. Obseruat Cornelius quod primum hoc loco, quando epinicium cecinit

Mariæ figura fuit Maria Prophetissa. *Basilius.*

CCXLIX.

Chrysologus.

libertatis, appellatur Maria : cùm cap. 2. dicta sit tantùm, suppresso nomine, *soror Aaron*; quia in hoc typum gessit Mariæ, quæ est electorum libertatis præcentrix. Dicitur præterea Num. 12. *non est motus populus de loco suo, donec revocata est Maria :* ubi Lyranus, *impedimentum*, inquit, *itineris fuit reverentia Mariæ.* Non audebat populus Israëlis ad terram promissionis progredi, nisi prævia esset Maria. Signum igitur habetur quod præventuri sunt ad terram promissam, qui ductricem sequuntur Mariam. Ideo Ambrosius epist. 81. ad Syricium, *In veteri*, inquit, *Testamento virgo Hebræorum per mare duxit exercitum : in novo Testamento Virgo Regis aula cælestis electa est ad salutem.* *Num. 12.* *Ambrosius.*

Sexta Deiparæ figura fuit Rahab, quæ excipiens exploratores missos à Iosue in domum suam, causa fuit salutis omnibus suis domesticis per signum funiculi coccinei suspensi in fenestra Iosue 2. Rahab idem significat, ac *dilatata* seu *latitudo*, ut advertit Origenes homil. 3. in Iosue. Quæ autem magis dilatata, quàm Maria : *cujus gratia immensa*, ut ait Epiphan. serm. de laud. Deiparæ : *cujus venter cælum est*, ut ait Damascenus or. 2. de nat. *quæ capacior est mundo, quia eum clausit quem totus non capit orbis*, ut ait Bonaventura in spec. cap. 5. Sicut autem Rahab sibi, aliisque facta est causa salutis, eò quod susceperit missos à Iesu filio Nave : ita hæc quod exceperit hospitio ipsummet Iesum. Hoc mysterium innuitur Psalm. 86. ubi cum juxta glossam Hugonis Cardinalis, & aliorum, David dixisset de Virgine, *fundamenta ejus in montibus sanctis : diligit Dominus portas Sion super omnia tarbernacula Iacob : gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei*, statim subdit, *memor ero Rahab.* Nihil commune Virgini cum Rahab, nisi quod hæc figura fuit Mariæ Iesum excipientis sui ventris hospitio. Ideo Bernardus sermone 2. de Assumptione, *Felix*, inquit, *mulier, quæ jam non exploratores Iericho, sed potiùs fortissimum illum expoliatorem : non legatos Iesu filii Nave ; sed ipsum suscipere meruit verum Iesum filium Dei.* Sicut autem Rahab ob hospitium exploratoribus præstitum salvavit ab incendio domum suam, omnesque domesticos, ut habetur Iosue cap. 2. ita nunc salvantur omnes domestici & familiares Mariæ, qui per affectum in eadem domo cum Virgine, imo in ipsa Virgine, inhabitant. Ideo in Psalmo citato subiicitur, *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Quod clariùs explicans Ecclesia in Officio beatæ Virginis, *Sicut*, inquit, *lætantium omnium nostrùm habitatio est in te, sancta Dei Genitrix.* Meritò dicuntur lætantes, qui habitant per affectum in Virgine ; quia planè tuti in hac domo, & penè certi sunt de salute ; cùm in conflagratione universali Iericho, quæ universitatem reproborum designat, sola Rahab, & qui cum ea reperiuntur, sint salvi. Quippe signum salutis, *funiculus coccineus*, qui, teste Ambrosio sermone 13. in Psalmum 118. designat Passionem *Psal. 86.* *Bernardus.* Mariæ figura Rahab. *Bonavent.*

Dominicam, pendet tantùm è domo Rahab; cùm sanguis Christi, quem ipse accepit à matre, iis efficaciter communicetur, quibus vult mater. Adde sanguinem, & aquam, quæ ex latere Christi manarunt, *Epiphan.* & , ut ait sanctus Epiphanius lib.3. hær.78. *facta sunt pretia redemptionis*, à Virgine cruci astante fuisse vasculo excepta, ut refert Nicephorus libro 1.hist.cap.31.& Metaphrastes orat.de vita & dormit. Deiparæ. Apud nostram Rahab est *funiculus iste coccineus* soluens à *Ildefonsus.* servitute, in signum salutis. Ideo jure Ildefonsus sermone 8. de Assumptione, *Dubium*, inquit, *non est illam posse pro liberatis impertiri suffragium, quæ meruit pro liberandis afferre pretium.* Denique liberationis, ac salutis *signum funiculus iste coccineus* in tantùm datur, qui sunt in domo Rahab; nempe iis qui per affectum habitant cum Maria.

Mariæ figura Debora. CCL. Septima Deiparæ figura fuit Debora; quæ, ut habetur libro Iud. cap.4. domina populo Israëli, debellavit hostem ejus Sisaram. In quo typus fuit Mariæ, quæ idem sonans ac Domina, debellavit Diabolum, veluti Sisaram infernalem. Illa victoria sub mulieris reportata *Iud.4.* vexillis, attributa est mulieri, juxta id quod dicitur cap.4. *in manu* *Bernard.* *mulieris traditur Sisara. Hæc victoria*, ut ait Bernardus hom.2.super Missus est, *cui servata nisi Mariæ?* Hanc mulierem requirebat Salomon, cùm vehementer admirans dicebat, *Mulierem fortem quis* *Prou.31.* *inveniet?* Prou.31.& ita videbatur congruere, ut qui per fœminam vicerat, per fœminam vinceretur. De hac victoria potest magis propriè usurpari, quod dicitur de victoria Deboræ, *de cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine, & cursu suo adversùs Sisaram pugnaverunt.* De Maria potest veriùs dici, quod de Debora libro de *Ambrosius.* viduis dixit Ambrosius, *Fœmina iudicavit: fœmina disposuit: fœmina prophetavit: fœmina triumphavit.* Debora, ut refert Magaglianus in Maria idem ac illuminatrix. 4.Iud.sect.1. annot.4. fuit hoc insignita titulo, *fœmina illuminatrix.* Maria, ut notat sanctus Thomas opusc.8. *idem est ac illuminatrix.* *Iud.9.* Debora appellata est *mater in Israël.* Ideo dicitur Iud.9. *donec surgeret Debora, surgeret mater in Israël.* De Maria dixit Anselmus lib. *Anselmus.* de excell. Virg. cap.11. quod *sicut Deus omnia sua potentia parando cunctorum pater est, ita Maria suis meritis reparando cunctorum mater est.* Denique Debora idem sonat ac *Apis*, ut observat Ioseph. antiq.libro 5.cap.6. Origenes in Iud.cap.4.& Hieronymus epist. ad Fur. quia scilicet aculeum prætendit hostibus, mel suis. Multo magis id quadrat in Mariam, quæ suis clientibus mel dulcissimum, dæmonibus profert aculeum. Ideo dicitur Cant.6. *suavis & decora sicut* *Cant.6.* *Ierusalem: terribilis ut castrorum acies ordinata.* ubi Rupertus, *non* *Rupertus.* *solùm*, inquit, *suavis, nec solùm terribilis; sed utrumque est, & suauis & terribilis.* Nempe suavis, quia mellea; terribilis, quia aculeata; suavis suis clientibus, ac devotis; terribilis hostibus, ac dæmonibus.

Ex vtroque autem studiosi Virginis pignus habent suæ prædestinationis, ac salutis. Nam, dum eam experiuntur sibi suauem, iam dulcedinem præguſtant æternæ vitæ: dum putant eam contra dæmones esse terribilem, spem concipiunt reportandæ per eam victoriæ. Non traditur in manus Sisaræ, qui militat sub vexillis Mariæ. Vexilla eius dici possunt Congregationes institutæ & erectæ in honorem Mariæ. Sicut autem de Christo dixit Cyprianus libro 2. ad Mart. cap. 6 quod *mortem, quam semel vicit pro nobis, semper vincit in nobis*: ita dici potest de Maria, quod dæmonem, quem cooperata redemptioni filii semel vicit pro nobis, semper vincit in nobis. *Cyprianus.*

Octaua Deiparæ figura fuit Ruth. Hæc enim idem sonat, ac *festinans*; quod benè consonat Mariæ. Festinauit enim in ea, gratia ante peccatum: festinauit vsus rationis ante ætatem: festinauit eius meritis accelerata Incarnatio: festinauit in nuptiis Canæ Galilææ eius precibus accelerata in Christo exhibitio miraculum: festinauit eius lachrymis accelerata resurrectio. Denique de Maria dicitur Lucæ 1. *abiit in montana cum festinatione*: quia semper festinat ad exhibendas gratias. Idcirco Bonauent. in spec. cap. 4. *Ruth*, inquit, *significat videns, & festinans: & signat B. Virginem, quæ est videns nostras miserias, & festinans ad impendendam suam misericordiam.* Quod si, vt dicitur Eccles. 43. *medicina omnium in festinatione nebulæ*; quæ verba S. Bernardin. Sen tomo 3. serm. 11. art. 11. adaptat festinæ protectioni Mariæ: quantò magis in sibi deuotorum necessitatibus erit noua Ruth, ideſt *videns, & festinans*, in tantùm vt postulationes ipsas præueniat. Sicut enim habet Concilium Basilæense in institutione festi Visitationis, *ipsa non solùm supplicantes exaudit: sed, vt ex sua clementia consueuit, etiam supplicare volentium preces præuenit.* Quamobrem Anselmus lib. de excell. Virginis. *Velocior est*, inquit, *nonnunquam salus memorato nomine eius, (Maria) quàm inuocato nomine Iesu.* Vt ex hoc ipso sit noua Ruth, ideſt *festinans*: quando ad solam eius nominis inuocationem festinat salus. Ideo Bonau. in spec. cap. 8. *Tu benè*, inquit, *signata es per illam Ruth de qua sic legitur, sit exemplum virtutis Ephrem, & habeat celebre nomen in Bethleem, ideſt in Ecclesia. O celeberrimi nominis Maria, quomodo potest nomen tuum non esse celebre, quæ deuotè nominari non potes sine nominantis vtilitate?* Potest ex hac Ruth figura, maxima erui spes nostræ prædestinationis in Virgine. Nam Ruth periit *vt colligeret spicas, quæ fugerent manus metentium*: idque datum illi fuit à Booz, vt habetur in libro Ruth cap. 2. Hoc autem figurabat Mariam, cui soli datum est colligere animas penè perditas & incorrigibiles: quæ *fugerunt manus metentium*, ideſt laborem, & sollicitudinem prælatorum. Quod animaduertens idem Bonau. in spec. cap. 5. *Ruth*, inquit, *in oculis Booz, Maria in oculis Domini hanc gratiam inuenit, vt*

Mariæ figura Ruth.

Luca 1.

Bonauent. Ruth significat videns, & festinans.

Eccles. 43.

Concil. Baſ. Maria precantium voces animaduertit.

Anſelmus.

Bonauent.

Mariæ vel nomen ipsum sine vtilitate inuocari non potest.

ipsas spicas, ideſt animas à meſſoribus derelictas, colligere ad veniam poſſit. Qui ſunt meſſores, niſi Doctores, & rectores? O verè magnæ Mariæ gratia, qua multi ex ijs ad miſericordiam colliguntur, quia à doctoribus, & rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur. Quod maiùs prædeſtinationis ſignum, quàm etiam in incorrigibilibus per Virginem, & veniam, & præmij ſpem inveniri?

CCLI. Mariæ figura Iudith.

Nona Deiparæ figura fuit Iudith, quæ truncato capite Holofernis cauſa fuit liberationis, & ſalutis toti populo; ut habetur in libris Iudith: & ſic figura fuit Deiparæ, quæ infernalis Holofernis caput truncavit. Siquidem diabolo dictum eſt Geneſis 3. *inimicitias ponam inter te, & mulierem: ipſa conteret caput tuum.* Sive, ut 70. *ipſe conteret.* Nam, ut ſupra notatum eſt num. 243. *ipſe contrivit, ipſa contrivit:* quia neque Maria niſi per Chriſtum, neque Chriſtus niſi per Mariam: atque adeo, ut dicit Petrus Dam. ſerm. de Annunt. *ſicut ſine ipſo factum eſt nihil: ita ſine ipſa refectum eſt nihil.* Ac proinde utrumque verum eſt, quod caput diaboli *ipſe contrivit: ipſa contrivit.* Quoniam verò voluit Chriſtus potiùs laudem victoriæ tribui Matri, quàm ſibi, ideo abſolutè dictum eſt, *ipſa conteret:* & abſolutè præfigurata eſt hæc victoria in Iudith, tanquam typo Mariæ.

Geneſ. 3.

Fulb. Card.

Quamobrem Fulbertus Carnot. de laud. Virg. *contrivit Maria caput ſerpentis: contrivit caput Satanæ, & aſtutiam ejus. Unde de illa dici poteſt, una mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Nabuchodonoſor.*

Bonauent.

Et Bonau. in ſpec. cap. 8. *Maria*, inquit, *optimè ſignata eſt per illam famoſiſſimi nominis fœminam Iudith: de qua ſcriptum eſt, non erat, qui de ea loqueretur verbum malum.* Idem obſervat Caniſius lib. 1. operis Mariani cap. 2. Spinellus de B. Virg. cap. 24. num. 17. Seratius in lib. Iudith c. 16. quæſtiunc. 12. Celada in Iudith. in prol. Append. ubi dicit fuiſſe Iudith *Mariæ umbram.* Quippe Iudith caſtiſſima, de qua dicitur cap. 15. *confortatum eſt cor tuum, eò quod caſtitatem amaveris.* Maria puriſſima: &, ut ait Baſilius. hom. de hum. Chriſti gen. *nullæ puritate par eſt Mariæ.* Iudith *vir ejus reliquerat divitias multas* cap. 8. *Maria eſt gazophylacium theſauri, quo ſumus de cruenti prædonis ſervitio comparati*, ex Dam. ſer. 45. Iudith *erat eleganti aſpectu nimis* cap. 8: *Maria pulcherrima inter filias hominum: ſicut Chriſtus ſpecioſus præ filiis hominum*, ut ait Albertus lib. de B. Virg. Iudith *vultui contulit Dominus ſplendorem* cap. 10. De Maria teſtatur Dionyſius in epiſt. ad Paulum, cujus meminit Adrianus in 1. epiſt. ad Carolum cap. 36. quod *ductus ad Deiformem præſentiam Virginis, tantus eum ſplendor circumfulſit exteriùs, ac plenius irradiavit interiùs: ut nec corpus, nec ſpiritus poſſent tantæ felicitatis inſignia ſuſtinere.* Iudith *pulchritudinem ita Dominus ampliavit: ut incomparabili decore omnium oculis appareret* cap. 10. Maria, teſte Epiphanio or. de laud. Virg. *formoſior eſt ipſis Cheru-*

Iudith. 15. Hilarius.

Dam.

Albertus.

Dionyſ. Mariæ pulchritudo.

Epiph.

bim, ac Seraphim, & omni exercitu Angelorum. Iudith pulchritudo, cum captiva duceretur ad castra Assyriorum, neminem allexit ad malum: sed *considerabant faciem eius, & erat in oculis eorum stupor*, cap. 10. Mariæ pulchritudo talis erat, ut nullus è conspectu Virginis, quamvis esset pulcherrima, ad concupiscentiam inflammaretur, teste Gersone serm. de nat. Mariæ consid. 3. immo etiam iis, quos inviseret, integritatis insigne conferret, teste Ambrosio lib. de instit. Virg. c. 7. Iudith *sandalia rapuerunt oculos ejus* cap. 16. idest Principis. Mariæ sandalia rapuerunt oculos Dei: ideo dicitur Cant. 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* Iudith erat mulier sancta cap. 8. *mulier sancta es.* Mariæ sanctitas talis est, ut in ea sit *forma omnium Ecclesiarum Dei*, ex Ildefonso serm. 3. de Assumpt. Iudith *jeiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata*, &c. Mariæ *congeminati ieiunio dies*, teste Ambrosio lib. 2. de Virg. Iudith *misit ad Presbyteros, qui venerunt ad illam*: & eos sapientissimè admonuit cap. 8. Maria non solùm magistra seniorum; sed etiam, ut ait Rupertus libro 5. in Cant. *est prophetissa prophetarum, & magistra magistrorum.* Iudith ita de se pronunciavit, *Non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari*, cap. 18. Maria, quæ se etiam ancillam nominat, potuit idem universaliùs usurpare: *Munda*, juxta illud Apostoli 2. Cor. 7. *ab omni inquinamento carnis & spiritus*; quia, ut ait sanctus Thomas in 1. d. 44. q. un. art. 3. ad 3. *puritas Virginis nulla fuit contagione peccati inquinata; quæ fuit ex peccato originali & actuali immunis.* Iudith de se dixit, *Custodivit me Angelus eius* (Dei) *& hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem*, cap. 13. Mariæ, ut ait sanctus Bernardinus tomo 2. Conc. 51. art. 3. cap. 2. *assistebant innumerabiles multitudines Angelorum; quorum plurimas legiones habuit ad custodiam.* De Judith dicitur, *mirabantur sapientiam eius*, cap. 11. De Maria dicitur, *scientiarum scientia est in Maria.* Ita Bernardus. De Iudith dictum est, *non est talis mulier super terram.* De Maria, *nec primam similem visa est, nec habere sequentem.* Ita Bernardus sermone 4. de Assumptione. Iudith dictum est à Summo Pontifice Joachimo, *tu eris benedicta in æternum*, cap. 15. Mariæ dictum est ab Angelo, *benedicta tu inter mulieres.* Iudith aggressa est necem Holofernis, cùm esset vidua, cap. 8. Maria aggressa est cladem inferni, tempore Passionis; cùm jam defuncto Iosepho esset vidua, ut consecraret in se statum matrimonii, virginitatis, viduitatis. Judith *non pepercit animæ suæ, propter angustias & tribulationes generis sui*, cap. 13. Maria propter angustias generis humani non pepercit animæ suæ, quam *doloris gladius pertransivit*, Luc. 2. imo imitata æternum Patrem, *proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ad Rom. 8. Judith *abscidit caput ejus* (Holofernis) cap. 13. Maria contrivit caput diaboli, juxta illud Gen. 3. *ipsa conteret caput*

E Mariæ cõspectu nullus ad concupiscentiam inflammabatur. *Iudith. 16. Cant. 7.*

Rupertus.

2. Cor. 7. D. Thom.

CCLII. *Bernard.* Maria plurimos habuit Angelos ad custodiam.

tuum. De Judith dictum est, *una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor*, cap.14. De Maria dici pariter potest, quod fecit confusionem in domo Luciferi. Quippe, ut ait Bernardus in deprec. ad Virginem, *illam horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt præter morem armatura omni fortiore instructam contra se procedere fœminam.* Judith denique dictum est, *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri.* In Mariam hæc meliùs quadrant; quæ, ut ait sanctus Ephrem sermone de laudibus Virginis, *est gloria Prophetarum, spes Patrum, lætitia Sanctorum, honor Martyrum, præconium Apostolorum.* Si igitur Iudith *umbra fuit Mariæ*, ut dictum est; sicut Israëlitis, qui tunc populus Dei electus, tota spes liberationis & salutis sita fuit in Iudith: ita nunc electi fundant maximè suæ prædestinationis signum in adjutorio Mariæ, quæ dicitur multò magis quàm Iudith, *lætitia Israël*, ideſt videntis Deum, nempe prædestinati, qui in Maria nunc lætatur spe, postea lætaturus re. Per Iudith fugatus est exercitus Assyriorum *centum viginti millium peditum bellatorum, & equitum viginti duo millium*, cap.7. Per Mariam fugantur innumerabiles exercitus dæmonum: ita vt, si totus se effundat infernus, in eos non prævaleat pro quibus pugnat Maria. Pugnat autem pro suis devotis, sicut Judith pro populo suo. Quippe, ut ait Germanus oratione in zonam Deiparæ, *illa nequissimi hostis contra servos suos invasiones, sola eius nominis sanctissima invocatione repellens, tutos, atque incolumes servat.* Denique *in omni spatio vitæ Iudith non fuit qui perturbaret Israël.* cap. 16. Non erit qui perturbet servos Mariæ, in omni spatio vitæ Mariæ: vivet autem in æternum.

Bernard. Maria Luciferi domui confusionē attulit.

Maria pro suis devotis pugnat. *Germanus.*

CCLIII. Mariæ figura Esther.

Nona Deiparæ figura fuit Esther, quæ ob eximiam pulchritudinem ad conjugium Assueri, atque ad Regnum evecta, populo suo in extremum discrimen adducto, liberationem contulit & salutem. Hæc typus fuit Mariæ, ut notat sanctus Thomas in Prologo comment. in Epistolas Canonicas. Bonavent. in spec. cap.3. & 6. Gerson tract. 4. in Magnif. Sanctus Bernardinus Senensis loco infra citando. Canisius libro 1. de beata Virgine cap.2. & libro 5. cap. 23. Spinellus de beata Virgine cap. 24. num.16. Serarius in Esther quæst.9. & alii. Nempe Esther *pulchra nimis, & decora facie*, cap. 2. Maria, ut ait Georgius Nicomed. orat. de oblat. *est pulchrorum omnium ornamentum.* Esther *placuit ei* (Assuero) *& invenit gratiam in conspectu illius*, cap. 2. Mariæ Gabriel dixit, *invenisti gratiam apud Deum. Esther adamavit Rex plusquam omnes mulieres*, cap. 2. Mariam adamavit Deus supra omnem puram creaturam; &, ut ait Anselmus libro de excell. Virg. cap 4. *Christus ostendit amorem erga matrem, quo nullum putamus esse posse majorem.* De Esther dicitur, *Posuit Rex diadema Regni in capite eius, fecitque eam regnare.* Maria, ut ait Damascenus libro 4. de fide cap. 15. *Verè facta est Domina omnium creaturarum;*

Maria quantum à Christo sit dilecta. *Anselmus. Damasc.*

cùm

cùm Creatoris omnium facta est mater. Esther assumpsit duas famulas; & super vnam quidem innitebatur, altera sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans, cap. 15. Maria, ut ait Bonaventura in spec. cap. 3. Domina Angelorum & hominum designatur in Esther regina, quæ in una famula innitebatur : altera eam sequebatur. Duæ famulæ sunt, Angelica, & humana natura. Humana est famula dominam sequens, in mundo colligens virtues, & exempla Mariæ. Intelligentia Angelica est famula, super quam Maria innititur, in cælo se Angelis sociando. Esther ducta est ad cubiculum Regis cap. 2. Maria, ut ait S. Bernardinus tomo 3. Conc. 11. art. 2. cap. 2. quasi altera Esther de triclinio fœminarum, idest de Ecclesia militante, ducta est per totam militiam cælestis exercitus ad cubiculum Regis Assueri, scilicet summi Dei. Esther dixit Assuerus si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi c. 7. Mariæ, vt notat Gerson loco cit. datum est dimium regui Dei : quod distribuitur in misericordiam & justitiam, juxta illud Psal. 100. misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine. Deus autem retenta sibi parte justitiæ, totam misericordiæ partem reposuit in manu Mariæ. Esther dictum est à Rege, non pro te, sed pro omnibus hæc lex, &c. & festinans exilivit de solio sustentans eam cap. 15. Mariæ, cum agitur de lege peccati originalis, per quam peccatum Adæ in omnes posteros transfusum est, dictum est à Christo, non pro te, sed pro omnibus hæc lex. Sicut cum dicitur, pro omnibus, non inclusa est Ehster in omnibus : ita cum dicitur, omnes in Adam peccasse, Maria non est inclusa in omnibus : Non enim pro ea lex, sed pro omnibus : quia Princeps legibus subditus non est : & Augustæ Princeps eadem privilegia concedit, quæ ipse habet. L. Princeps ff. de Legibus. Et meritò, quia Rex festinans exilivit de solio suo, sustentans eam. Quippe, ut Doctores apud Bonaventuram in 3. d. 2. q. 2. Alii post casum erecti sunt : Maria quasi in ipso casu sustentata est, ne rueret. Dicitur autem Rex festinans exiliisse de solio, sustentans eam : quia adjuvit eam Deus manè diluculo. Psal. 45. siue, ut alii, diluculo diluculi. Neque Deus festinans exilivisset ad sustentandum, si moram feciisset donec peccatum intraret. Esther præsignificata fuit ut parvus fons, qui crescit in fluvium, & in lucem, Solemque conversa est, cap. 10. Maria, ut ait Chrysippus Oratione ad Deiparam, est fons lucis omnem hominem illuminans : &, ut Epiphanius sermone de laudibus Virg. lucis æternæ mater. Per quam, ut ait Ephrem etiam sermone de laudibus Mariæ, clarissimus Sol justitiæ nobis illuxit. Rogante Esther, Aman suspensus est in patibulo quod paraverat Mardochæo cap. 7. Rogante Maria, fractus est diabolus per crucem, quam paraverat Christo. Postremò Esther procedit ad pedes Regis, flevitque, & locuta ad eum oravit, ut maliziam Aman, & machinationes eius pessimas, quas excogitaverat contra

Bonavent.

Bernard.

In Maria totam misericordiæ partem Deus reposuit.

Maria in Adam non peccauit.

Iudæos, inberet irritas fieri. At ille ex more sceptrum aureum prætendit manu : quo signum clementiæ monstrabatur, cap 8. Maria pro suis deuotis prosternitur ante filium, offert preces ac lachrimas, orans vt *malitiam Aman* : ideſt diaboli, *& machinationes eius pessimas irritas faciat.* Ad quas preces diuina misericordia flectitur ; & veluti moto *aureo sceptro, signum clementiæ monstrat.* Quod si Rex dixit Esther, *vt scriberet sicut placebat, & signaret literas annulo Regis*;id multò clariùs apparet in Maria,cui Deus tradidit veluti sigillũ ad obsignandas quascumque gratias ; &, vt habetur in reuel. sanctæ Birgittæ libro 4. cap.74. *nihil est quod non possit : quod enim vult, hoc factum est.* Vnde apparet speciale signum prædestinationis & salutis in iis quos Maria, tanquam sibi deuotos, specialiter protegit : Sicut enim per Esther *Iudæis noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium*, cap.8. ita ipsa Mariæ *conceptio*, vt canit Ecclesia *gaudium annunciauit vniuerso mundo.* Si tale gaudium parit Mariæ conceptiõ, quid assumptio, quid glorificatio, quid protectio ? *Si vniuerso mundo*, quid fidelibus,quid clientibus, quid deuotis ?His *noua lux oriri* videtur in Maria, multò plus quàm Iudæis in Esther, per spem prædestinationis & salutis.

Maria pro suis deuotis ante filium prosternitur.

Birgitt.

CCLIV. Mariæ figura mulier visa à Ioanne.

His decem figuris animatis addi potest tanquam appendix mulier visa Ioanni Apoc. 12. Quamuis enim hæc fuerit mulier imaginaria, tamen figuris animatis addi potest, quia mulier. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Per hanc mulierem adumbratam fuisse Mariam tradit Epiphanius sermone de laudibus Mariæ, Augustinus libro 4.de Symbolo ad catech. cap.1. Bernardus sermone super signum magnum Methodius in comment. in hunc locum. Vbi etiam Cæsariensis, Haymo, Ansbertus, & alii ; siue per signum intelligatur miraculum, vt explicat Epiphanius ; cùm Maria sit *cæleste prodigium*, ex Ignatio epistola ad Ioannem : *magnum miraculum*, ex Chrysostomo sermone de Virgine : *officina miraculorum*, ex Damasceno orat.1. de Natiu. Siue per signum intelligatur scopus, vt vult Viegas ; cùm Virgo sit *scopus excogitatus ante sæcula*,ex Andrea Cretensi Oratione de Assumptione:siue per signum intelligatur vexillum, vt volunt alii, Maria est illa mulier in qua sponsus *ordinauit charitatem :* siue ex Hebræo, *erexit vexillum amoris* ;sub quo qui militant, non peribunt. Siue denique dicatur Maria signum, quia signum est suis deuotis & assectis futuræ felicitatis ac salutis, vt mox ostendam. Porrò dicitur à Ioanne hæc mulier præferre lucem stellarum, Lunæ & Solis ; qui fulgore sibi inuicem aduersantur, cùm Luna & stellæ noctu fulgeant, extincto fulgore Solari ; Sol verò die fulgeat,extincto fulgore Lunari & stellifero.Tamẽ omnia hæc adunantur in Virgine ; quia & iusti qui versantur in die gratiæ, fruuntur Solari luce

Mariæ : & peccatores qui versantur in nocte peccati, promittere sibi possunt ex eadem, & Lunæ & stellarum lucem nocturnam; ut aliquam hauriant ex ea spem salutis. Observandum hîc est, quod huic mulieri Sol non est pro corona, sed pro pallio, *mulier amicta Sole*, Pallium hujus mulieris est protectio Virginis, quam specialiùs in suos devotos expandit; qui habent in hoc *signo magno* magnum etiam signum suæ prædestinationis & salutis. Quippe noctem timere non poterunt sempiternam, qui intra protectionem Mariæ, quasi intra Solare pallium, detinentur. Observandum præterea, dum dicitur hæc mulier *signum magnum in cælo*, posse signum hîc accipi pro combinatione plurium stellarum, & sic dicitur Sol esse modò in signo Arietis, modò in signo Leonis, modò in signo Virginis, &c. Dum autem hîc dicitur *signum magnum in cælo, mulier amicta sole, & corona duodecim stellarum in capite eius*, utique Sol describitur in signo Virginis, duodenis his stellis conflato. Quoniam verò *Astrologi*, ut notat Greg. homilia 10. in Evangelia, *vnumquemque nasci putant sub constitutionibus stellarum*; nempe illi obvenire fortunam bonam, vel malam, juxta constellationem sub qua nascitur, & quæ illi prædestinatur, dum vivit: hoc, ut falsum sit in cæteris, certè verificatur in iis qui nascuntur, & viuunt sub hac constellatione Virginis. Quippe signum Virginis benignissimos habet influxus: & Sol cùm à signo Leonis transit ad signum Virginis, furorem mitigat & sævitiam, quam in Leone exhibebat. Ideo Sanctus Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 21. *Sol*, inquit, *per Zodiacum discurrens in signo Leonis est ardentissimus: sed ingrediens signum Virginis mitigatur. Ita Sol Iustitiæ Deus erat ut Leo rugiens, peccatores terribiliter puniens: sed in uterum Virginis intrans factus est benignus.* Benignam igitur sibi promittant fortunam devoti Mariæ; quibus dominatur hoc signum Virginis. Fortunatissima constellatio, quæ felicitatem ominatur æternæ vitæ, & eam sortem, de qua dicitur Sap. 5. *& inter sanctos sors illorum est.* Quod significatur etiam Prou. 8. ubi ex persona Virginis dicitur, *meum est consilium & æquitas*, ex Hebræo verti potest, *fortuna*: quasi dicat, Deipara *mea est fortuna.* Et meritò, cùm non solùm ab ipsa pendeat prædestinatio quoad executionem, sed etiam quoad intentionem & designationem prædestinatorum, ut ostensum est tom. 2. Theol. lib. 3. q. 10. num. 12. Idcirco dicere illi unusquique potest cum Propheta Psal. 30. *in manibus tuis sortes meæ*: & ipsa jure dicere potest, *mea est fortuna.* Neque sine mysterio factum est, ut Maria ex commoratione in Nazareth Galilææ, Galilæa diceretur: quæ vox idem sonat Nysseno orat. 2. de resurr. ac *rotatrix*, seu *rota*: quia Deipara prædestinatorum fortunæ est *rotatrix*, imo iis est ipsa *rota* fortunæ; cùm constellatio Virginis, ut dicebam, sit suis auspicatissima. Ab hac constellatione Virginis, quæ concepto Christo, cùm esset Sol in signo

Gregorius.

Virginis constellatio benignos habet influxus.

CCLV. *Antonin.*

Virginis, *intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elizabeth*, Luc.1. Ioannes adhuc in utero benignissimos hausit influxus: & ideo, ut ait Petrus Damian. sermone 15. *Ioannem summæ felicitatis immensitas larg ùs irroravit.* Neque mirum, quod nato Ioanne, exclamarunt homines, *Quis putas puer iste erit?* Quia ex observatione genethliaca sapientiorum Astrologorum natus erat præsente Maria, sub constellatione fortunatissima Virginis. Hæc iis prædominatur, qui affecti sunt erga Virginem: & sic hi signum, ac præsagium habent in illa, eius fortunæ quæ per æternitatem perdurat: sine qua omnis alia fortuna infortunium: cum qua omne aliud infortunium fortuna. De hac libenter usurpo id quod dixit Philosophus Cratinus apud Stobæum sermone 103. *Vtinam fortunatus fiam: aliam verò virtutem nullam desidero*: Quia scilicet virtutes omnes influit ipsamet fortuna, quam suis clientibus fert Maria. Qui in hac constellatione Virginis, in hoc *signo magno* signum prædestinati agnoscunt futuræ felicitatis. Et hæc quoad figuras omnes Virginis animatas.

CCLVI. Mariæ figura arcus cælestis. *Genes.9. Bernardus.*

Quod attinet ad figuras ejusdem inanimatas, è quibus idem probari potest. Primò designata est Deipara in arcu cæleſti, quem Deus post diluuium *posuit in nubibus in signum fœderis inter se & inter terram.* Gen.9. Ita S. Bernardinus Senensis tom.3.ser.1. de nom. Mariæ art.1. cap.3. *Ipsa*, inquit, *est arcus fœderis sempiterni, ut non interficiatur omnis caro.* Porro arcus cælestis plures habet conditiones. Primò circuit cælum. Ideo de eo dicitur Eccles.43. *gyravit cælum in circuitu gloriæ suæ.* Secundò utraque cuspide tenet terras, ac maria: unde est illud Poëtæ, *ingens bibit arcus.* Tertiò residet in nube. Quartò, ex meteoristis, nubes hæc debet esse tenuis, ac levis. Quintò debet esse nubes rorida, & madida. Sextò irradiata sole. Septimò imbuta varietate colorum, quos in ea nube Sol, veluti penicillo lucis depingit. Octauò *Sole humili*, ideſt cadente, *arcus sublimis apparet*, teste Plinio l.2.c.59. His octo conditionibus constitutus arcus *signum est fœderis inter Deum, & terram.* Hæc autem omnia apprimè quadrant in Maria. Si arcus circuit cælum, Maria de se etiam dicit, *gyrum cæli circuivi sola* Eccles.24. Si arcus extremis sui partibus attingit maria, Maria ibidem dicit, *& in fluctibus maris ambulavi.* Si arcus in nube residet, Maria ibidem dicit, *thronus meus in columna nubis.* Si nubes illa debet esse levis, ecce de Maria dicitur *ascendet Dominus super nubem levem.* Esai. 19. Si nubes debet esse rorida, non deest ros in arcu Mariæ, dum dicitur, *rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Isa 45. Si nubes debet irradiari Sole, de Maria quoque dicitur, *mulier amicta sole.* Apoc.12. Si arcus aureo fulgore rutilans colorum vndique varietate circumdatur, Maria quoque dicitur, *in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Psal.44. Denique, si *arcus sublimis apparet Sole humili*: tunc Maria est sublimata,

Plinius.

quando sol iustitiæ Christus *humiliauit semetipsum* ad Phil. 2. Arcus hic ita constitutus signum est fœderis inter Deum, & terram. *Maria* quoque, vt ait Andreas Hierosol. serm. de Annunc. *est diuina cum hominibus reconciliatio.* Quia, vt dicit Ephrem serm. de laud. Virg. *ipsa fœdus pacemque fidelibus impetrans.* Quamobrem S. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 44. §. vlt. loquens ex persona Vriginis : *Ego,* inquit, *sum iuxta filium meum : vt cum Deus peccatis hominum diluuio flagellorum minatus fuerit terram subuertere, ego vt arcus appaream in conspectu eius : & cum recordatus sit fœderis, repropitietur eisdem, ne mundum dissipet.* Si igitur Maria vt cælestis arcus signum generale est fœderis, & salutis inter Deum, & homines ; erit profectò signum speciale fœderis & salutis studiosis Mariæ : iis nempe, qui specialiter huic sunt Iridi mancipati. Si Deus respiciens hanc iridem Mariæ *recordatur fœderis inter se, & homines* ; recordabitur vtique specialiter deuotorum Mariæ, *ne dissipet eos* per reprobationem : qua maxima hominum pars absorbebitur in illo vniuersali *diluuio aquarum multarum*, quando sancti *ad eum*, vt intercedant pro aliis, *non approximabunt* Ps. 31. Tunc quidem Christus *sedebit in sede maiestatis suæ.* Matth. 19. sed animaduertendum à deuotis Mariæ quod *iris in circuitu sedis.* Apocal. 4. nulla igitur de illa sede potest prodire sententia, quam Mariæ iris non ambiat. Deuoti Mariæ cum iudicandi astabunt in conspectu illius sedis, in illa iride respirabunt.

Maria fœderis signum inter Deum, & homines. *Ephrem.* *Antoninus.*

Circa hoc obseruandum est primò : quod in quo loco iris, siue *arcus cælestis deiecerit capita sua, terra emittit halitum suum diuinum ex solo conceptum, cui comparari suauitas nulla possit*, teste Plinio l. 17. cap 5. Quid est odor suauissimus comparatus ex hoc arcu cælesti, nisi fragrantia deuotionis concepta ex Maria ? Anima, in qua fragrauerit hæc deuotio : signum habet quod sit terra recta, & protecta ab hoc arcu, & ideo odorifera. Quod si, vt ibidem subdit Plinius, *hic ex arcu conceptus odor de terra optimè indicabit :* vt scilicet terra magis ex arcu olens sit melior, minùs olens sit peior : vtique anima erit melior in qua conceptus ex hoc arcu spirat magis hic odor deuotionis erga Mariam : & sic talis maius habet prædestinationis signum, vtpote remotior *à terra reproba, & maledicto proxima*, vt loquitur Paulus ad Hebr. 6.

Obseruandum est secundò hoc discrimine adamantem verum discerni ab adulterino, quod in vero elucet iris, in ficto non item : quod & periti testantur, & experientia comprobat. Hoc eodem signo à reprobo discriminari potest electus : quod in electi corde relucet Maria, in reprobi corde non relucet. Hoc signo discernitur verus adamas locatus inter cælestis Hierusalem *fundamenta, omni lapide pretioso ornata*, Apocal. 21.

In vero adamante iris elucet.

CCLVII. Iris aliquot annis ante diem iudicij non apparebit.

Obseruandum est tertiò id, quod *ex antiqua*, vt ait, *sanctorum traditione* refert Auctor hist. scholast. in Genes. cap. 35. *quod aliquot annis ante diem iudicii, non apparebit arcus cœlestis*, quasi sublato fœderis pignore in signum supremæ cladis. Videant hi, in quibus per aliquot annos refrixit deuotio erga Mariam, ne desinat in iis apparere cælestis hic arcus, quia imminet illis iudicium, & vltio.

Obseruandum quartò ex Riccardo Victorino in Gen. cap. 9. licet hæc iris sit *signum fœderis*, signum etiam esse belli: cum summitas, per quam sagitta emittitur, obuersa sit versùs cælum: vt ex hoc etiam intelligatur clientes Virginis hoc arcu pugnantes, adscribi inter eos; qui, dum *regnum cælorum vim patitur, violenti rapiunt illud.* Matt. 11. certè dū studiosi Mariæ hoc arcu cælesti inferre parant vim cælo: signum, & omen habent victoriæ, qui talem arcum ferunt ad pugnam. Hæc de cælesti arcu.

Mariæ figura arcà Noë. *Bernard.*

Secundò designata est Deipara in arca Noë, per quam humanum genus è diluuio euasit. Ideo Bernardus ser. de B. Maria. *Arca*, inquit, *Noë significauit excellentiam Mariæ. Sicut enim per illam omnes euaserunt diluuium: sic per istam peccati naufragium. Illam Noë, vt diluuium euaderet, fabricauit: istam Christus, vt humanum genus redimeret, præparauit. Per illam octo tantùm animæ saluantur: per istam omnes ad æternam vitam vocantur. Illa facta est de lignis leuigatis, ista facta est de virtutibus consummatis. Illa superferebatur aquis diluuij: ista non sensit naufragia vlla vitij.* Obseruandum in hoc, quod extra arcam Noë non fuit salus; extra arcam Mariæ non est salus. In ea *pauci*, *idest octo animæ saluæ factæ sunt*, 1. Petri 3. quotquot scilicet ingressæ sunt in arcam: in hac saluantur omnes, qui per cogitationem & affectum, habitant in Maria. Ideo Virgini dicitur Psalm. 86. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*: quia securus est à diluuio, qui habitat in hac arca. Quod si columba *ramum portans oliuæ virentibus foliis*, Genes. cap. 8. signum hoc misericordiæ, & cessationis diluuii non aliis attulit quàm iis, qui erant in arca; hoc vtique significatur, iis præferri ramum oliuæ, nempe speciale signum diuinæ misericordiæ, & nostræ salutis, qui specialiter coniuncti sunt cum Maria. Cum præsertim ipsa non sit solùm arca: sed, vt ait Bonauentura in spec. cap. 8. *velut altera columba ramum oliuæ, quæ symbolum est etiam misericordiæ, virentibus foliis portet.*

1. Pet. 3.

In Maria salus, sicut in arca: extra Mariam non est salus, sicut neque extra arcam, *Bonau.*

Mariæ figura scala Iacob. *Genes.* 28.

Tertiò designata est Maria per scalam Iacob, *per quam vidit Angelos ascendentes & descendentes*, Gen. 28. Scalam hanc Deiparæ esse symbolum docent Augustinus sermone 11. Andræas Cretensis, & Damascenus: ille orat. 2. de dormit. hic prima, & alii. Quia sicut per illam scalam Angeli ascendebant & descendebāt; ita per hanc scalam Angeli ascēdunt offerentes Deo preces fidelium per Mariam: Angeli descendunt reportantes munera gratiarum per Mariam. Vidit Iacob

Dominum innixum scalæ : quia quamuis Maria sit dependens à Christo per gratiam, ideoque dicatur *innixa super dilectum suum*, Cant. 8. Christus tamen dependet à Maria per naturam: ideoque dicitur *Dominus innixus scalæ*. Deuoti Mariæ adhærentes firmiter huic scalæ, per deuotionem firmam & perseuerantem erga Mariam, per eam facilè ascendunt ad cælum. Per hanc enim scalã vidit Iacob Angelos ascendentes; quia, vt ait Damascenus loco cit. *per Virginem mediatricis munere functam homines Angelicæ vitæ sublimes rapiuntur in cælum.* Neque mirum; quia per eandem scalam, per quam Deus descendit ad terras, homines è terra ascendunt in cælum. Ideo Augustinus serm. cit. *Per ipsam*, inquit, *Deus descendit in terram: & per ipsam homines ascendere merentur in cælum.* Et Fulgentius serm. de laud. Virg. *facta est*, inquit, *Maria cæli fenestra: facta est scala cælestis.* Quanta verò facilitate, qui hærent Mariæ, per eam, ducuntur ad cælum, ostendit reuelatio facta F. Leoni; vt habetur in Chronic. sancti Francisci part. 1. lib. 2. cap. 35. cui apparuerunt duæ scalæ, vna purpurea, in cuius fastigio Christus; altera candida, in cuius fastigio Maria. Per illam multi nitebantur ascendere: plerique ruebant præcipites: pauci euadebant ad culmen. Per candidam facillimus erat ascensus; paruoque nisu: qui attentabant, assurgebant ad suprema. Quo ostento significari voluit Deus nullam esse viam faciliorem salutis, quàm specialem deuotionem, & affectum erga Mariam. Quippe, vt ait Augustinus in Psalm. 94. *pedes nostri in hoc itinere affectus nostri sunt.* Ascendunt igitur per scalam Mariæ, qui affectum specialem habent circa Mariam. Qui autem ascendunt per hanc scalam, signum habent suæ prædestinationis & salutis, tanquam per eam facilè peruenturi ad *Dominum innixum scalæ*. Nec deterreat nomen scalæ, quia tanta facilitate ad culmen ducit, vt obtineat etiam nomen pontis. Nam sicut Maria, quemadmodum ait Proclus Episcopus Constantinopolitanus, orat. de Deipara, *pons est, per quem Deus ad homines descendit:* ita pons est, per quem homines ascendunt ad Deum, Non timet voraginem fluuii, qui transit per pontem.

Damasc.

Augustinus.

Per Mariæ scalam quàm facilè ad cælum ascendatur.

Augustinus.

Quarto designata fuit Deipara per Rubum, in quo Moysi Deus apparuit Exod. 3. vt tradunt Ephrem ser. de laudibus Virg. Nyssenus orat. de Christi natiuitate. Andreas Cretensis orat. 2. de dormit. Bernardus hom. 2. super Missus est, & ipsamet Ecclesia in Officio beatæ Virginis. Sicut autem ibi *Dominus apparuit in flamma de medio rubi*; ita, vt ait Sophronius sermone 2. de Assumptione, *Virginem totam incenderat diuinus amor.* Sed, quod ad rem nostram facit, Deus cùm primum signum dare constituit populo liberationis à Pharaone, & transmissionis in terram promissam, apparuit in medio rubi, *Descendi*, inquit, *vt liberem eum* (populum) *de manibus Ægyptiorum, & educam in terram bonam; terram quæ fluit lacte & melle.* In eo rubo

CCLVIII. Mariæ figura rubus Moysis incombustus. *Exod. 3.*

spinarum, siue in eo roseto potiùs quàm spineto floruit Hebræis tanquam rosa spes salutis, signum veris: & *apparuit*, vt air Philo hîc, *pulcherrima quædam forma*, nempe libertatis & salutis tessera: vt significaretur in hoc *rubo ardente & incombusto* Virginis collocatam esse fidelibus spem & signum liberationis à tyrannide infernalium Ægyptiorum, & inductionis *in terram fluentem lacte & melle*, nempe in gloriam. Accedenti per affectum ad hunc rubum Mariæ datur hoc signum salutis: auditque is à Deo, *descendi vt liberem te, & educam in terram bonam.* Id tamen aduertendum, præcipi Moysi, antequam ad rubum accedat, *vt soluat calceamentum de pedibus suis*; quia is reperit in Virgine signum prædestinationis & salutis, qui ad eam ita deuotè accedit, vt pedes ferat carnalibus affectibus dicalceatos. Quamobrem Bernardus sermone in cap. 12. Apoc. *Solue*, inquit, *calceamenta de pedibus tuis: & inuolucra pone carnalium cogitationum, si ad eam accedere concupiscis.* Subjicit Scriptura: *locus enim in quo stas, terra sancta est.* Nimirum sanctus erat locus ille prope rubum, in quo suam vmbram magnus ille rubus vndequaque effudebat: quia scilicet loca, quæ sub vmbra latent Mariani huius rubi, nempe sub vmbra protectionis Mariæ (sunt autem maximè Congregationes & Oratoria Mariæ honori dicata) *terra sancta sunt*, in qua *soluenda sunt calceamenta de pedibus.* In hac terra, ex hoc rubo habentur faustissima nuncia terræ promissionis, quod est dicere prædestinationis & salutis. Denique mirum non est, quod primum salutis signum sit in rubo ac dumeto spinis consito. Siue quia *spina nuptiarum facibus auspicatissima*, vt tradit Plinius libro 16. cap. 18 omen est cælestium nuptiarum. Siue quia Deipara, quæ studiosis est tanquam *plantatio rosæ in Iericho*, Eccles. 24. cùm agitur de domando Pharaone infernali, eiusque assecla; rubus hic ardens ad lacerandos hostes armatur spinis, ad comburendos flamma. Vtrumque igitur ex hoc rubo habetur, & salutis omen Mariæ deuotis, & ruinæ præsagium hostibus.

Plinius.

Mariæ figura columna in deserto.

Quintò designata fuit Deipara per columnam, quæ præcessit populum in deserto. Quippe *nunquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis par noctem coram populo*, Exod. 13. Ideo Bonauentura in spec. cap. 3. *Maria*, inquit, *nobis est columna nubis, quia tanquam nubes protegit ab æstu diuinæ indignationis, & diabolicæ tentationis, Maria quoque est columna ignis multis misericordiæ beneficiis nos illuminans.* Hæc columna Deum habet; & veros Israëlitas, nempe electos, ad terram promissionis ducit per huius vitæ desertum.

Bonauent.

Epiphanius. Ideo Epiphanius sermone de laudibus Virginis, *Aue*, inquit, *nubes columnæ similis; quæ Deum habes, qui populum deduxit per desertum,*

Andr. Cret. Clarius Andreas Cretensis orat. 2. de Deipara, *O columna*, inquit, *viuifica, non carnalem per lucem deducens Israelem, qui fugatur; sed spiritualem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis.* Sicut igitur

tur Hebræi in ea columna nubis, & opem habebant, & omen, quod ea duce perventuri essent ad terram promissam : ita quoque fideles in Maria ; iique præcipuè, qui sequuntur ductum huius Marianæ columnæ. His ipsa nunquam deest, neque in prosperis, neque in adversis ; neque dum versantur in luce gratiæ, neque dum premuntur nocte peccati : Ita ut verissimè de hac dici possit, *numquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem.* Ex illa nube erumpebant fulgura & tonitrua, vt notatum est supra n. 234. Virgo, vt addit Epiphanius loco citato, *nubes est lucida, quæ fulgur de cœlo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxit Christum : & tonitruum sancti Spiritus deduxit in mundum.* Denique illa columna nubis, vt notat sanctus Bernardus tomo 3. sermone 11. art. 1. cap 3. *aliquando præcedebat, aliquando sequebatur, aliquando superferebatur : vt mysticè patrocinia multiplicia indicentur erga populum electorum.* In huius ergo columnæ ductu signum habetur electionis. Quippe, vt ait Bernardus super Missus est, *Mariam sequens non deuias : ipsam rogans non desperas : ipsam cogitans non erras : ipsam tenens non corruis : ipsa protegente non metuis : ipsa duce non fatigaris : ipsa propitia peruenis.* *Bernardin.* *Bernard.*

CCLIX. Mariæ figura vellus Gedeonis. *Bernardus.*

Sextò, designata fuit Deipara in vellere Gedeonis rore perfuso; cùm sicca esset area, Iud. 6. Quod vellus symbolum fuit Virginis; in qua, vt ait Bernardus homilia 2. super Missus est, *distillantibus cœlis tota se infudit plenitudo diuinitatis* : quemadmodum in Gedeonis vellus se ros cæleſtis infudit. Idem tradunt Methodius orat. in hypap. Proclus Constantinopolitanus de Deipara. Ambrosius ser. 13. & alii. Idque patet ex Psal. 17. vbi de Christo dicitur, *Descendet sicut pluuia in vellus.* Obseruandum in hoc est, quod Gedeon signum liberationis populi accepit à vellere : *Si saluum facis per manum meam Israël, ponam hoc vellus*, &c. Et infra subditur, *signum quærens à vellere.* Sicut igitur Gedeon habuit in eo signum salutis, ita quilibet sibi in Mariano vellere signum suæ prædestinationis constituet, provt quippe affectus vel non affectus fuerit ad Mariam suæ salutis, vt Gedeon, *signum quærens in vellere.* Quippe Deus, vt notat Bernardus sermone de Aquæductu, *cœlesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit humanum genus redempturus, pretium vniuersum prius contulit in Mariam.* Hoc Mariæ vellere indui quis debet, vt ex eo agnoscatur ouis, ideſt, prædestinatus : quid ouis Christi ille non est, qui vellere non vestitur Mariæ. Nimirum, vt ait Proclus Constantinopolitanus de Deipara, *Maria est vellus mundissimum, cœlesti pluuia madens : ex quo Pastor ouem indui.*

Mariæ figura Templum Salomonis.

Septimò, designata fuit Deipara in Templo Salomonis, vt passim tradunt Patres. Plurima nempe sunt Virgini cum eo Templo communia. Primò, fundamentum eius Templi constratum erat lapidibus

pretiosis : *Præcepit Rex vt tollerent lapides grandes lapides pretiosos,*
3. Reg. 5. *in fundamentum Templi*, 3. Reg. 5. Fundamentum Deiparæ, ipsa scilicet eius Conceptio, constratum fuit lapidibus pretiosis, nempe gratia, & habitibus supernaturalibus comitantibus gratiam. Neque mirum quod hæc Conceptionis immaculatæ priuilegia non hactenus ab omnibus agnoscantur; quia gemmæ sunt delitescentes in fundamentis : nempe *lapides pretiosi in fundamentum Templi.* Idcirco hæc fundamenta paulatim per alia & alia decreta multo effodiuntur labore, *donec veritas eluceſcat in tempore præordinato*; vt reuelatum
Birgitta. scribitur sanctæ Birgittæ libro 6. reuelat. cap. 55. Secundò; Templum
Damasc. Salomonis totum erat aureum : *nihilque erat in Templo, quod non auro tegeretur*, 3. Reg. 6. Deipara, vt ait Damascenus orat. 1 de Nat. *Templum Dei sanctum, quod Princeps Salomon, idest Christus, construxit, non auro, & inanimatis lapidibus ornatum: verùm auri loco fulgebat Spiritus, pro lapidibus pretiosis margaritam Christum habens.* Tertiò, erat in Templo Salomonis mensa aurea, in qua ponebantur
Antoninus. duodecim panes propositionis, Exod 25. quæ Leuit. 24. dicitur *mensa purissima*; ita, vt notat sanctus Antoninus 3. part. tit. 31. cap. 4. §. 2. *in Templo mentis virginalis fuit mensa fidei perfectissimæ duodecim articulorum designatorum per panes.* Quarto, erat in Templo Salomonis *altare aureum*, 3. Reg. 6 quod appellabatur *altare incensi*, ex Luc. 1. Sic, vt addit idem sanctus Antoninus, *in Templo Virginis fuit altare aureum summæ dilectionis, cum thuribulo speciali : vnde fumus aromatum, idest deuotissimarum orationum, ascendebat ad cælum.* Quintò, erat in Templo Salomonis *candelabrum de auro mundissimo, cum lucernis septem*, Exod. 25. In Templo quoque Virginis, ex eodem sancto Antonino, *est candelabrum gratiæ cum septem donis Spiritus sancti.* Sextò, in Templo Salomonis erat velum quatuor colorum, *& pulchra varietate contextum*, Exod. 26. in Templo Virginis, ex eodem, *quatuor virtutes Cardinales designantur per velum quatuor colorum; quod est pulchra varietate contextum : quia Deipara est circumdata varietate*, Psal. 44. Septimò, in Templo Salomonis erat *propitiatorium de auro mundissimo*. ex Exod. 25. vtique ad propitiandum Deum, & placandam iram diuinam. Similiter non deest huic Templo propitiatorium; quia, vt ait Methodius orat. in hypap. *ipsa est propitiatorium, per quod Deus mortalibus humanam naturam indutus apparuit.* Octauò, in Templo Salomonis erant *duo Cherubim aurei*, ex Exod. 25. Tradit autem Prada in Ezechielem, ita formatos fuisse, vt vnus ex vultu appareret masculini sexus, alter fœminini: Sicut enim Christus designatus fuit per vnum Cherub : quippe qui Isaiæ 9. appellatur *magni consilii Angelus*; ita Deiparam Christo simillimam Cherub designabat in sexu fœmineo. Idcirco, si Deus *sedet super Cherubim*, Psal. 98. Deipara, vt ait Epiphanius sermone de

laudibus Virginis, *ſtupendum eſt miraculum in cælis alter thronus Cherubicus.* Nonò, in Templo erat *arca fœderis*, 3. Reg.8. in Templo Virginis eſt hæc arca ; quia, ut ait Gregorius homilia vltima in Ezech. *arca intra cælum Redemptor noſter eſt.* Decimò, de ipſo Templo Salomonis dicitur Paral.1.cap.25. *opus grande eſt : neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo.* Deipara verò ita *opus grande eſt*, ut quemadmodum ait Bonaventura in ſpec. cap.8. *ipſa ſit, qua majorem Deus facere non poteſt. Majorem mundum Deus facere* [illegible] *majorem matrem, quàm matrem Dei, facere non poteſt.* Si igitur [illegible]ipara, ut patet ex dictis, deſignata fuit à Spiritu ſancto per Templum Salomonis ; non minora debet habere privilegia, quàm habeant Templa cætera, ac præcipuè illud toto orbe auguſtiſſimum. Quod ſi privilegium Templi hoc eſt, ut maxima ſit pars ſalutis poſt delictum, perfugium ad Templum ; certè, qui confugiunt ad Deiparam peccatores, habent in hoc Templo pignus immunitatis à pœna. Porrò, ingreſſi in Sanctuarium Templi, quod dicebatur *Sancta Sanctorum*, tuti erant ab omni incurſu ; nemine audente perrumpere in Sanctuarium ? Maria non ſolùm Templum eſt, ſed etiam Sanctuarium Templi. Idcirco appellatur ab Ildefonſo ſermone 6. de Aſſumptione, *Sanctuarium, & Sancta Sanctorum. Cui*, ut ait Bonaventura in Cant. *Cherubim ac Seraphim inceſſabili voce proclamant, Sancta, Sancta, Sancta.* In Maria ergo, quæ Sanctuarium eſt, & *Sancta ſanctorum*, totum reorum aſylum, & ſpes ſalutis. Idcirco ſanctus Epiphanius ſermone de laudibus Deiparæ, *Aue*, inquit, [illegible]*um refugium, & hoſpitium in Hieroſolymis* (quippe ibi erat Salomonis Templum) *ad quam confugere poſſunt omnes peccatores* : Quia ſcilicet nullum delictum eſt adeo enorme, quod confugientibus ad hoc Mariæ Templum immunitatem pœnæ, ac ſecuritatem non habeat. Ideo dicit Epiphanius, *ad quam confugere poſſunt omnes peccatores* : quaſi diceret, Nullum hîc, ut in cæteris Templis, delictum excipitur, quod immunitate non gaudeat. Quilibet, quantumuis facinoroſus, ſententiam damnationis evadit, ſi ad hoc toto corde confugiat. Hîc certum aſylum, & ſpes ſalutis.

Bonauent. Matiâ maiorem Deus facere non poteſt.

CCLX.

Ildefonſus. Bonauent.

In Maria cert. tum aſylum, & ſpes ſalutis.

Octauò deſignata fuit Deipara in arca fœderis. Quæ non ſolùm ſymbolum fuit Chriſti, ut ſupra dictum eſt cum Gregorio, ſed etiam Mariæ. Methodius in hypap. & Athanaſius ſerm. de Deipar. eam appellant *arcam animatam.* Ephrem orat. de Deipar. *arcam veram.* Epiph. ſer. de Deipar. *arcam ſpiritualem.* Andreas Cretenſis or.2. de dorm. *arcam ſuper mundum, cuius figura erat arca legalis.* Chryſoſtom. in Liturg. *arcam ſacroſanctam.* Georgius Nicomed. orat. de obl. Deipar. *arcum ſanctificationis.* Damaſcenus orat.2. de dorm. *arcam ſacram, & animatam* Ildefonſus ſerm.1. de Aſſumpt. *arcam noui teſtamenti.* Ambroſius ſerm.81. *arcam fœderis* Ex hac

Mariæ figura arca fœderis.

autem figura benè arguitur, quod prædestinationis signum præbea suis Maria. Siue quia *arca fœderis* idem sonat, ac *arca reconciliationis, & pacis:* Ideo S. Ephrem serm. de laudibus Virg. *Aue*, inquit, *Domina, fœdus pacemque tuis fidelibus impetrans.* Quid est dicere, *tuis fidelibus*, nisi iis, qui fideliter tibi seruiunt, ideo vere deuotis Mariæ? Siue quia, sicut Iudæos in terram promissionis intrantes præcedebat arca fœderis Num. 10 ita signum habent quod intraturi sunt in terram veram promissionis, qui ambulant post hanc arcam, & sequuntur ductum Mariæ. Siue quia, sicut circumeuntibus Israelitis arcam Domini, ceciderunt muri Iericho; proinde sublato impedimento, possessio capta est terræ promissæ: ita planè contingit Deo studiosis, qui hanc arcam suis precibus circumducunt. Ideo Damas. orat. 2. de dorm. Deipar. *Iubilemus*, inquit, *in arca Domini toto animo: & muri cadent Ierichuntini, contrariarum potestatum infestæ incursiones.* Siue denique quia in arca asseruabatur manna ex Paulo: gloria autem cælestis appellatur manna Apocal. 2. *Vincenti dabo manna absconditum*, vtique manna absconditum in hac arca, cælestem profectò gloriam gustabunt, qui ad arcam confugiunt cæli manna gestantem. Maria verò, vt ait Ephrem orat. de Deipar. *vrna pulcherrima, quæ cæli manna gestat.*

Damas.

CCLXI. Maria per tres virgas designata: ac primùm per Moysis virgam.

Nonò designata fuit Deipara per virgam triplicem. Prima fuit virga Moysis. Ita enim verba illa Cant. 1. *equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te*, exponuntur Rupertus l. 1. in Cant. & Honorius in sigillo; qui volunt equitatum Dei contra currus Pharaonis fuisse virgam Moysis. Huic autem virgæ assimilatur sponsa, idest Maria: quia sicut per virgam illam miraculorum opificem contritus est Pharao cum Ægyptiis: ita per Mariam, quàm *officinam miraculorum* appellat Damascenus orat. 1. de natiuit. contritus est diabolus cum suis. Ideo Rupertus: *Illi*, inquit, *signo, illi equitatui meo assimilaui te amica mea. Sicut enim virga illa* (Moysis) *virgas maleficorum, & incantatorum vorauit, & omnem superbiam Ægyptiacam obtriuit: sic tu pulcherrima mulierum amica mea superbiam diaboli dejeciſti.* Idcirco etiam S. Bonauent. in spec. cap. 3. *Virgo*, inquit, *est virga virtutis contra inimicos infernales: quibus magna virtute dominatur.* Petrus Damian. serm. de Assump. appellat Virginē *virgam, per quam fiunt mirabilia.* Sicut igitur in virga Moysi Israëlitæ, ita in Maria habent electi signum salutis per virgam ductricem ad terram promissionis. Quamobrem S. Ephrem. orat. ad Virg. *Virgo*, inquit, *auxiliatrix quoscumque hostiles impetus auertit: & in via salutis constituit.*

Rupertus.

Bonavent.

Pet. Dam.

Mariæ figura virga Aaron.

Secunda fuit virga Aaron. Hanc enim licèt Rupertus l. 1. in Cant. & Petrus Damian. serm. de Assump. videantur confundere cum virga Moysis: ab hac tamen, ex communi interpretum, distinguitur virga

Aaron, quæ miraculosè dicitur germinasse Num.17. Hanc typum fuisse Deiparæ tradit Augustinus ser.4. de tempore. Bernard. hom.2. super Missus est, & Rupert. in Cant.1. Quod autem facit ad probandum intentum, obseruandum quod virga Aaron cum germinauit, *turgentibus gemmis eruperunt flores : qui f[illegible] dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Num.17. Maria igitur est [illegible] Aaron amygdalina. Quippe hæc, vt notat Plinius lib.16. cap. [illegible] *prima omnium floret :* ac proinde prænuncia est, & signum [illegible] scilicet, vt ait Ambrosius lib.2. de Spir. S[illegible] cap.5. *vi[illegible] Maria, cuius flos Christus.* Et ideo in ea signum prædestinationis habetur tanquam in prænuncia æterni veris. Nulli profectò vernabit gloria, cui per flores gratiarum non fuerit prænuncia veris amygdalina hæc virga Mariæ. Ideo Psalm. 22. *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Per Virgam vtique Mariam, per baculum crucem intellige. Quamobrem Petrus Dam. serm. de Assumpt. *In Virgine*, inquit, *virga, & baculo cruce miserorum spes, & consolatio continetur : sicut Propheta declarat : virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

Num.17.

Amygdala prima omnium floret.

Plinius.

Psalm.22.

Pet. Dam.

Tertia virga fuit Assueri, signum regiæ clementiæ. Erat quippe constituta hæc lex, vt *quicunque non vocatus interius atrium regis intraret, absque vlla cunctatione statim interficeretur : nisi fortè Rex auream virgam ad eum tenderet pro signo clementiæ* : Esther cap.4. Per hanc Assueri virgam, vt innuit S. Antonius 4. part. tit 15. cap. 24. § 4. designatur Maria. Nemo enim æternam mortem euadit nisi is, in quem Deus flectit *auream virgam pro signo clementiæ*, nempe patrocinium Mariæ. Ideo sanctus Germanus hom. de zona, *nemo est*, inquit, *qui saluus fiat, ô Sanctissima, nisi per te. Nemo est, qui liberetur à malis, nisi per te. Nemo est, cuius misereatur gratia, nisi per te.* Ac si diceret, nemo euadit mortem, nisi ad quem flectitur Mariana hæc *virga pro signo clementiæ.* Sicut igitur signum habebant incolumitatis, & vitæ ii, quibus dabatur *osculari summitatem virgæ.* Esther cap.5. ita ii habent signum prædestinationis, & salutis, qui tenero affectu feruntur in Mariam. Hoc est *osculari summitatem virgæ* quod Deus dat *pro signo clementiæ.* Obseruandum id, quod notat Hieronymus libro de nominibus Hebraïcis in Danielem, quod Assuerus idem significat quod *beatitudo.* Maria igitur est virga Assueri, nempe virga beatitudinis: quia, vt ait Bonauentura in spec. c.6. *per virgam ad florem, per Mariam ad Christum accedimus.* Idcirco, vt idem addit cap.10. *si hunc florem habere desideras, virgam tuis precibus flecte. Si flos est nimis altus diuinitate, virga tamen est flexibilis pietate.* Hæc de triplici virga tripliciter adumbrante nobis in Maria signum prædestinationis & salutis.

Mariæ figura virga Assueri.

Esther.4.

Germanus.

Esther.5.

Decimò, designata fuit Deipara per ciuitates refugii, quæ erant *in fugitiuorum auxilia separatæ*, Num.35. Ideo Damascenus orat.2.

Mariæ figura civitates refugii.

Num.35. Dam. Andr. Cret. de dorm. dicit *Virginem euasisse ciuitatem refugii omnibus confugientibus ad illam.* Et Andreas Cretensis orat. de dorm. appellat *conciliationis perfugium.* Habet autem multò amplius priuilegium, quàm quælibet ciuitas refugii: quia in iis nõ omnia delicta gaudent immunitate; quæ apud Hebræos erat valde restricta, nempe vt *fugeret ad eas qui fuderit sanguinem,* Num. 35. Maria verò, vt diximus ex Damasceno, est *ciuitas refugii omnibus confugientibus ad illam.* Nullus ab ea peccator excluditur; cùm ipsa sit, vt ait sanctus Ephrem sermone de laudibus Deiparæ, *peccatorum hospitium*; &, vt Carthusianus lib.2. de laudibus Virginis, *singulare perditorum refugium.* Ex hoc autem facilè apparet ratio, cur Maria statim post Christum conceptum *abiit in montana Iudææ.* Nempe, vt vult Toletus annot.116.in cap.1 Lucæ; in Hebron: quæ vrbs ex Iosue 11. erat locata in montanis, & ciuitas refugii, tanquam ciuitas Sacerdotalis. Nimirum, vt ait Philo lib.de special. leg. *vrbs Sacerdotalis media erat inter sacrum, prophanumque, & quasi Templum quoddam secundarium.* Ad hanc ergo vrbem *festinans abiit* Maria; vt ibi se loca[illegible]a iã ciuitas refugii spiritualis, vbi locata erat ciuitas refugii co[illegible]is. Neque mirum, quod Baptista ad ingressum Mariæ obtinuerit statim liberationem à delicto originali; quia *exultans in vtero*, Luc.1. &, vt vult Chrysostomus serm. apud Metaphr. die 2. Iulii, *exiliens & saltans*, eo modo quo poterat, confugit saltibus ad hanc ciuitatem refugii. In hac studiosi Virginis per frequentes & feruentes erga eam actus & obsequia deuotionis, sibi quodammodo domicilium statuunt. In hoc totas exerit vires diabolus, vt aliquis consueta intermittens pietatis officia erga Virginem, quasi extrahatur ab hac ciuitate refugii, vt postea nulla gaudens præteritorum delictorum immunitate, comprehensus à tartareis satellitibus, *ligatis manibus & pedibus mittatur in tenebras exteriores.* In hac ciuitate quĩ degunt, possunt dicere cum Propheta Psal.86. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Quippe *inueniunt in Maria*, vt ait Bernardus sermone in signum magnum, *captiuus redemptionem, ager curationem, tristis consolationem, iustus gratiam, peccator veniam.* Denique in hac ciuitate refugii habet quisque etiam perditissimus prædestinationis signum, arrham, & spem salutis Quippe Maria vt ait sanctus Ephrem sermone de laudibus Deiparæ, *spes est desperantium.* Hæc quoad secundam classem ductam è Scripturæ figuris, ac symbolis, tum animatis tum inanimatis Deiparæ. Quæ omnia, vt probatum est, eò tendunt, vt ostendant studiosos Mariæ habere in ea speciale quoddam salutis omen, ac signum.

GCLXII. A Maria nullus peccator excluditur.

Psalm.86. Bernardus.

Ephrem.

Quoad tertiam verò classem, quæ ducitur à similitudinibus, nempe à rebus variis, quibus in Sacra Scriptura comparatur Maria: Decem quoque, inter alias innumerabiles similitudines, proferam, quæ idem intentum probant mirificè, quod in Mariæ cultu insit spe-

ciale signum salutis. Quoniam verò eadem sunt prædestinationis signa, quæ media, vt ostensum est supra : vtique omnia ea, quæ probant in Maria esse nobis medium aliquod speciale ad salutem, probant etiam studiosos Mariæ applicantes sibi tale medium habere in Maria speciale signum salutis.

Mariæ similitudo Cedrus.

Prima similitudo ducitur à cedro, *Quasi cedrus exaltata in Libano*, Eccles. 24. Has & sequentes similitudines, saltem quoad sensum literæ secundarium, etiam intentum à Spiritu sancto, aptari Mariæ tradit sanctus Ildefonsus sermone 1. de Assumptione: & communis sensus Interpretum, atque ipsiusmet Ecclesiæ. Deipara assimilatur cedro : quia hæc, vt notat in hunc locum Rabbanus, odore ipso fugat, atque expellit serpentes. Vnde illud Maronis Georg. 3. *Maron.*

Disce & odoratam stabulis accendere cedrum :
Galbaneoque agitare graues nidore chelydros.

id est, vt ibi Seruius, *serpentes, qui in aquis & in terris morantur.* Quare & Plinius libro 24. cap. 5. *Cedri*, inquit, *scobe serpentes fugari certum est.* Hoc mirificè quadrat in Virginem; quæ, vt ait Ildefonsus loco citato, *quotidie in terris multiplicatur, & dilatatur vt cedrus Libani.* Quod si cedri odor fugat serpentes; odor Mariæ fugat dæmones, qui chelidri quidam sunt terribiles, grassantes terra, marique. Quamobrem sanctus Bernardus Senensis tom. 2. ser. 51. art. 3. cap. 2. *A Virginis*, inquit, *mente dæmones effugabantur : in tantum quod non auderent, nec de magno spatio illi appropinquare.* Ecce serpentes veluti odore cedri fugatos, non solùm à Maria, sed etiam ab iis qui aliquo modo olent Mariam. Quamobrem fassus est aliquando dæmon fugere se ab iis, qui deuotè recitant Rosarium aut Officium Virginis : quia nimirum hos serpentes fugat odor ipse deuotionis Mariæ. Sumitur ab hoc prædestinationis signum tanquam à remouente prohibens. Siquidem in hoc Maria Euæ opponitur : nam illa serpentis afflatu dejecta est, & fugata è Paradiso, cum tota stirpe : Maria verò contrà reducit ad Paradisum se & assecias, cùm suo afflatu serpentes fugat : Nam, vt ait Hugo Cardinalis in locum cit. *sicut cedrus odore suo fugat serpentes ; ita Virgo dæmones.* Ideo dicitur *exaltata quasi cedrus.* Quod autem additur, *in Libano* qui idem est ac *candor*, significat hos virginei cedri affectus maximè præstari iis, qui castitatis seruant candorem. Idcirco idem Hugo, *sicut cedrus*, inquit, *in Libano oritur & crescit ; ita Virgo in candore virginitatis & innocentiæ.*

Plinius. Ildefonsus.

Mariam fugiunt dæmones. Bernardin.

Hugo Card.

Secunda similitudo ducitur à cupresso. Sequitur enim, *quasi cypressus in monte Sion.* Cypressus ad multos humanæ vitæ vsus est vtilis. Ideoque dicitur à Plinio lib. 16. cap. 33. *sata è cupresso quæstuosissima sylua : vulgoque dotem filiarum antiquos plantaria appellasse.* Nihil profectò nobis vtilius, quàm Maria, ad omnes sui studiosorum vsus

CCLXIII. Mariæ similitudo cupressus. Eccles. 24. Plinius.

Hugo Card. aptissima. Quamobrem Hugo Cardinalis, *sicut*, inquit, *è cupressu fiunt tabulæ ad scribendum, mensæ ad manducandum, lecti ad dormiendum: ita nobis Virgo in diversis necessitatibus auxiliatur: & liber est, & refectio, & quies* Sed præcipuè assimilatur Virgo cupressui; ex qua, ut dictum est, filiabus parentes dotem comparabant: quia animæ Virginis devotæ in hac cupressu dotem sibi ad cælestes nuptias comparant. In hoc prædestinationis est pignus. Adde cupressum arborem esse luctuosam, ac funebrem, & præsagium funeris.

Sueton. Tacitus. Habita tamen est ut præsagium regni: quando in agro Vespasiani, ut refert Sueton. in Vesp. *cupressus evulsa radicitùs, in sequenti die firmior ac viridior resurrexit.* Hoc enim, ut addit Tacitus, *præsagium fuit grande prosperumque; & summa claritas juveni Vespasiano promissa.* Similiter cupressus hæc Mariana in animis sui studiosorum, inter tentationum procellas, *viridis, ac firma, præsagium est grande, prosperumque*, nempe præsagium æternæ felicitatis. Neque mirum quod cupressus sit simul præsagium funeris, & regni: quia Maria præsagium suis est cælestis regni post funus. Ecce alterum è cupressu prædestinationis omen, & signum. Ideo additur, *in monte Sion*; ut significetur è Sion, & Hierosolyma terrestri Ecclesiæ militantis, transferendos fideles per Mariam ad Sion, & Hierosolymam cælestem Ecclesiæ triumphantis.

Mariæ similitudo palma. *Isidorus. Plinius.* Tertia similitudo ducitur è palma. *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Est palma victoriæ symbolum: Ideoque, ut S. Isidorus lib. 17. Origen. cap. 7. *palma dicta, quia manus* (palmæ) *victricis ornatus. Est enim arbor insigne victoriæ.* Sive quia, ut notat Plinius lib. 13. cap. 4. videntur *eius folia cultrato mucrone lateribus in se bifidatis*, ut ostendatur ad victoriam non perveniri, nisi per gladium. Sive quia palma non cedit oneri: sed pressa resurgit veluti hostis victrix, qui eam conabatur opprimere, ut testis est Theophrastus. Sive denique, quia palma semper viret; ideoque præcipuum insigne est victoriæ immortalis: & Apocal. 7. de beatis dicitur *palmæ in manibus eorum.* Quid est Mariam *exaltari quasi palmam*, nisi præbere suis insigne prædestinationis, & victoriæ? Hujus non solùm præbet signa, sed etiam media. Tradunt ex palma trecenta sexaginta emolumenta provenire ad usum humanæ vitæ: quasi tot utilitates afferre studeat, quot anni sunt dies: qui totidem sunt, demptis intercalaribus, ut notat, & refert Bonartius in Eccles. 24. vers. 18. Nullus profectò est anni dies, in quo Mariæ devoti aliquod ex hac palma emolumentum non capiant ad usum vitæ, & victoriæ spiritualis, cujus est & signum, & medium: ac proinde ipsa in suis pugnat, ipsa vincit, ipsa triumphat. Quippe, ut ait sanctus Bernardus loco citato, *Mater Domini semper contra omnes dæmones triumphavit.* Deipara tamen dicitur *exaltata sicut palma in Cades*: idest, ut explicat Hugo Cardinalis, *in sanctitate*

Palma trecenta sexaginta emolumenta præbet. *Bernardus.*

vitæ,

vita : Quia licèt sit hæc prima aliquod prædestinationis signum etiam peccatoribus Virginis studiosis, non tamen exaltatur hæc palma, vt certum insigne victoriæ, nisi *in Cades*, *in sanctitate vitæ*.

Mariæ similitudo rosa. *Damas.*

Quarta similitudo ducitur è rosa: *Quasi plantatio rosæ in Iericho.* Deipara assimilatur rosæ ob fragrantiam. Quare Damascenus orat. 1. de dorm. Virginem appellat *rosam*, *quæ diuina fragrantia omnia perfundit*: Siue quia, sicut rosæ odor fugat scarabeos; ita Mariæ vel ipsũ nomen fugat dæmones, quos audiui sæpiùs sub scarabeorum specie apparere. Ideo Germanus orat. in zona. *Tu*, inquit, *hostium nequissimorum inuasiones sola tui nominis inuocatione repellis.* Siue quia rosa symbolum est auroræ, quæ *Dea rosea* dicitur ab Anacreonte: Maria autem *est aurora consurgens*, Cant. 6. Siue etiam quia rosam è diuino nectare in terram effuso emanasse fabulantur Antiqui, vt testatur Constantinus Cæsar tom. 11. de agric. cap. 18. Mariana autem hæc rosa emanauit à cælesti gratia. Quippe in Virginis conceptu, vt ait Damascenus orat. 1. de nat. *natura gratiam anteuertere non est ausa; sed tanti super expectauit, donec gratia fructus suos* (etiam flores suos) *produxisset.* Siue denique quia, sicut rosa Regina est florum; caliculum, in quo sedet; habens pro throno, ruborem pro purpura, fila crocea pro corona, rorem pro gemmis, herbas pro ancillis, spinas pro satellitio: ita Virgo multò excellentiùs Regina est Sanctorum; cælum habens pro throno, Solem pro purpura, Stellas pro gemmis & corona, Lunam pro ancilla, Angelos pro satellitio. Sed, quod facit ad probandum intentum, rosa hieroglyphicum erat & symbolum lætitiæ, vt indicat Hieronymus tom. 1. epist. 26. cùm in eâ natura veluti exultare, & ridere quodammodo prata videantur. Quamobrem Sappho apud Achillem Tatium libro 1. de Leucippe & Clitophonte, rosam appellat *florum Reginam*, *terræ ornamentum*, *plantarum decus*, *prati ruborem*, *pulchritudinem coruscantem*, *terræ risum.* Et Innocentius III. sermone de rosa, quæ à Pontifice tradi solet in Dominica Lætare, appellat *lætitiæ gaudiique prænunciam.* Ideo etiam rosas Ierichuntinas quotannis nocte Natalis Domini florere tradit Adricomius in descriptione Terræ-Sanctæ. Tum in testimonium virginei partus; cùm rosa sit virginitatis ac pudoris insigne. Ideoque Columella libro 10. eum appellat *florem pudicitiæ plenum.* Tum in symbolum lætitiæ, quæ ea nocte cœpit fidelibus efflorescere. Maria igitur assimilatur rosæ, quia suis clientibus est prænuncia supernæ lætitiæ. Ideo dicitur *plantatio rosæ*; siue, vt alii apud Cornelium *stirps*, non vbicunque; sed *in Iericho*: ideſt interpretatur Gregorius, & alii, *in Luna*, vt notatum est supra: Quia scilicet huius rosæ stirpes in Luna, quasi in iis montibus floreant, quos nouo tubi specularis inuento Astrologi suspiciunt in Luna. Nimirum rosa florens in terris signum est caducæ lætitiæ; cui se mancipauerant ii qui dicebant, *Coronemus*

Germanus.

Damasc.

CCLXIV.

Rosa virginitatis, & pudoris insigne.

nos rosis antequam marcescant, Sap.2. Rosa verò Mariæ, cuius stirpes in cælo, præsagium est, & insigne cælestis & incorruptæ lætitiæ; quæ prædestinati fruentur in cælo: & ideo Mariana hæc rosa prædestinationis est signum. Hoc itidem illustratur ex eo quod rosa ante peccatum carebat spinis: &, vt ait Ambrosius libro 3. hexaem. cap. 11. *surrexerat antea floribus immixta teneris sine spinis rosa, & pulcherrimus flos sine vlla fraude vernabat: postea* (post peccatum) *spina serpsit.* Quò scilicet adumbraret, voluptatem omnem terrenam spinarum esse aculeis circumseptam, vt minùs delectet quàm pungat. Contrà verò Deipara immunis semper à peccato fuit rosa *sine spina*: &, vt ait Adam de sancto Victore in hymno Virginis, *flos de spina spina carens.* Neque mirum: cùm stirpes figat in cælo. Ideo voluptatis cælestis est symbolum, quæ sola est rosa nullis immixta spinis, bonum nullis immixtum malis. Studiosi ergo Virginis suæ prædestinationis præsagium odorantur in hac rosa sine spinis, nempe in Maria, quæ est *tanquam plantatio rosæ in Iericho*, ideſt habens *stirpes in Luna*: & ideo rosa hæc ver promittit in cælo, quæ stirpem habet in cælo.

Rosa ante peccatum sine spinis. *Ambrosius.*

CCLXV. Mariæ similitudo oliua. *Maro.*

Quinta similitudo ducitur ex oliua, *Quasi oliua speciosa in campis.* Oliua, vt tradunt Scriptores sacri & prophani, symbolum erat misericordiæ & pacis, refert Valerianus in hierogl. libro 35. vnde est illud Maronis.

Pacifera que manu ramum prætendit oliuæ.

Idcirco post diluuium venit columba *portans ramum oliuæ*: Gen.8. insigne diuinæ misericordiæ circa reliquias humani generis, quæ superstites relictæ erant in Noë. Si Maria est *quasi oliua*, vtique insigne est misericordiæ & pacis: & sic signum fert prædestinationis & salutis. Potest ille sibi promittere euasionem à *diluuio aquarum multarum*, vt dicitur Psalm. 31. cùm, vt ait sanctus Bonauentura in spec. cap. 8. *Maria ramum oliuæ portet, quod est symbolum misericordiæ.* Immo studiosi Mariæ, qui plãtant per deuotionis affectum hanc oliuam in corde suo, gestant in se symbolum pacis & misericordiæ diuinæ. Hoc nempe significauit oleum, quod circa diem Christi natalem largissimè effluxit trans Tyberim, vt notat Orosius libro 6. histor. cap. 20. quia scilicet, vt notat in hunc Eccl. locum Hugo Cardinalis, *de hac oliua Mariæ nascitur oleum gratiæ, oleum sapientiæ, oleum lætitiæ.* Maria, quantumuis procellosa, oleo injecto, mitescere, author est Beda libro 3. histor. Angl. cap. 14. Formidare profectò non poterunt diuinæ vltionis procellam ii qui ex hac oliua exprimunt oleum diuinæ misericordiæ, quo omnis tempestas sedatur. Quòd si olea in somnis visa præsagium dicitur libertatis & regni, vt tradit Artemidorus de somnn. inter. libro 2. vtique Mariana oliua etiam somnianti visa (quod solet interdum eius deuotis accidere) præsagium erit prædestinationis

Bonauent.

E Mariæ oliua oleum fit gratiæ, sapientiæ & lætitiæ. *Hugo Card.*

Oliva victoriæ omen.

& regni. Adde, olivam esse etiam victoriæ omen & tesseram ; cùm olei fons erumpens circa tentorium Alexandri, illi victoriam portenderit, teste Arriano libro 3. de gestis Alexandri. Athenis quoque olea victores coronabantur, ut tradit Plinius libro 15. cap. 4. Habetur igitur in hac Mariana oliva prædestinationis signum, quia habetur signum victoriæ & coronæ. Hoc autem præcipuè Maria præstat suis studiosis, castitatem sectantibus. Quippè, ut notant Pierius in hierogl. lib. 53. *olea puritate & pudicitia delectatur : Græci enim jubent olivam, cùm plantatur & legitur, à mundis pueris atque virginibus operandum : recordati, credo, arbori huic esse præsidem castitatem. Florentinus quoque libro de re rustica adeo puram esse oleam tradit, ut collectores non nisi puros amet : Qui, cùm ad olivationem accedunt, jurant se non aliunde quàm ab vxore sua venire : ita fieri ut anno insequenti vberiorem proventum exhibeat. Præcipuè verò aiunt Anazarbi, quæ est Ciliciæ civitas, oleas esse fœcundissimas : quoniam à castis tantummodò pueris coluntur.* Hæc, quæ superstitionem olent in hac oliva materiali, verè & religiosè dicta sunt de Maria, quæ, ut ostensum est, se exhibet ut signum divinæ clementiæ iis præcipuè, qui castitatem ejus imitandæ studio colunt. Nemo tamen desperet accedere ad Mariam. Non est superanda asperitas montium : quippe ipsa omnibus exposita est quasi *oliva speciosa in campis* : sicut Christus est *flos campi*, Cant. 2.

Pierius.

CCLXVI. Mariæ similitudo platanus.

Sexta similitudo ducitur è platano, *quasi platanus exaltata sum iuxta aquas, in plateis.* Facit ad probandum intentum, quod platani umbra præ omnibus gratissima. Quamobrem Plato in Phædro introducit Socratem disputantem sub umbra platani, quippe patulis diffusa ramis ; opacitasque illi perpulchra & amœna. Plinius etiam libro 12. cap. 1. dicit hanc arborem *vmbræ tantùm gratiæ ex alieno orbe petitam ; gentesque vectigal pro umbra pendere.* Si igitur Deipara assimilatur platano, utique ad se confugientibus suam promittit umbram, idest protectionem : Idem enim est vivere sub umbra alicujus, ac sub protectione & patrocinio. Qui viuunt sub hac umbra, nulla mala formidant : Nam si umbra platani summoveri noctuas, quæ platani foliorum contactum ferre nequeunt, refert Ælianus libro 1. de nat. animal. multò magis fugiunt infernales noctuæ ab umbra Virginis, cùm *dæmones ne de magno spatio illi audeant appropinquare*, ut suprà notatum est ex sancto Bernardino tom. 2. serm. 31. art. 3. cap. 2. Quod si fugiunt ab umbra platani ferales aves, & mortis prænunciæ ; non poterit sub umbra Virginis haberi omen æternæ mortis, & ferale signum damnationis. Adde confugientibus ad Marianæ platani umbram ab ea ipsa præberi munimenta ad resistendum diabolo. Quippe platanus folia habet rotunda ad modum scutorum, seu clypeorum : quibus videtur platanus eos, quos sub umbra tegit, protegere. Quod idem

Plinius.

planè præstat Deipara. In quam quadrat id, quod de sapientia dicit
Hug. Card. Hugo Cardinalis in eum locum. Qui *platanus*, inquit, *quot habet folia, tot habet scuta: sic sapientia* (hæc etiam adumbratur per platanum) *quot habet verba, tot habet scuta contra hæreticos, contra peccatores, contra tentationes.* Adde quod platanus arbor est adeo hospitalis, ut non solùm viatores sub suam umbram excipiat; sed etiam aperto sinu iis intra se domicilium præbeat. Quamobrem
Plinius. loco cit. refert Plinius, *Licinium ter consulem cum duodevigesimo comite epulatum intra platanum; largè ipsa toros præbente fronde ab omni afflatu securum, latiorem, quàm marmorum nitore, & laquearium auro cubuisse in eadem.* Intra ejus platani sinum excepti convivæ prope viginti. Intra hujus nostræ platani sinum si conviva totus terrarum orbis accedat, totus convivio excipietur. Quippe, ut
Bernard. ait Bernardus serm. in signum, *Maria omnibus misericordiæ sinum aperit: & de plenitudine eius accipiunt universi.* Neque verò hæc platanus cælatur in hortis, vel parietibus occlusa vel sepibus: neque necesse est, quemadmodum de materiali platano dicit Plinius, *ut gentes vectigal pro eius umbra pendant:* cum ipsamet dicat, *quasi platanus exaltata sum juxta aquas, in plateis.* Ita enim interpungendum: ut patet ex contextu, & consentiunt interpretes. Nimirum *in plateis* coràm tota multitudine Iudæorum exhibuit suam umbram
Mariæ vmbra S. Latroni salutaris. hæc platanus S. Latroni, cum ad Christum conversus est. Quippe observatum est, ut priore tomo notavimus, vmbram Virginis circa eam horam, ante solis eclipsim, ad dexteram obversam esse, quâ latro pendebat: qui ex ea accepit faustissimum suæ conversionis, & prædestinationis præsagium, mox audiens à Christo *hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23. Ex hac umbra igitur specialis protectionis Mariæ, habetur speciale signum prædestinationis, & salutis ab iis, qui ad eam confugientes dicere possunt cum Ieremia Thren. 4. *sub umbra tua vivemus.* Quod si Xerces captus dicitur amore platani, quam
Xerces amore platani captus. torquibus, & armillis ornavit, ab eius umbra, & conspectu difficilè se passus avelli: ut refert Ælianus lib. 2. variar. cap. 14. Felix, qui amore captus Mariæ, eamque & devotionis affectu, & laudibus prosequens, vitam transigit sub ejus umbra: à qua auspicium capit æternæ lucis.

Mariæ similitudo cinnamomum, Plinius. Septima similitudo ducitur à cinnamomo. *Et sicut cinnamomum, &c. odorem dedi.* Facilè ex hoc probatur intentum de prædestinationis signo, si legatur Plinius lib. 12. cap. 19. *Dicitur*, inquit, *cinnamomum præstantissimum odoramentorum. Cor recreat, animique deliquio oppressos erigit.* Iure Deipara assimilatur cinnamomo, quod, teste etiam Galeno lib. de antidotis, odoratissimum est inter aromata. Odor enim, qui efflabatur ex ipsomet corpore Virginis, ut testatur
Areopag. in epist. ad Paulum Areopagita, *abundabat fragrantia omnium odo-*

mentorum, Sed quod ad noſtram rem facit, cinnamomum hoc *cor recreat* : nihil quod magis ſpem erigat delinquentium, quàm vel ſola cogitatio Mariæ. Ideirco Bernard. homil. 2. ſuper Miſſus eſt : *Si,* inquit, *criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, judicii horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, & deſperationis abyſſo, cogita Mariam.* Quaſi dicat, ſola memoria Mariæ, ſolus hujus *cinnamomi odor cor recreabit : oppreſſumque deliquio animum eriget.* *Bernard.*

Octava ſimilitudo ducitur à balſamo. *Et quaſi balſamum aromatizans odorem dedi.* In Deiparam quadrat illud Plinii lib. 12. cap. 25. *Balſamum omnibus odoribus præfertur, uni tantùm Iudææ conceſſum in horto regio.* Quippe ipſamet eſt ſummi regis *hortus concluſus.* Cant. 4. Balſamo condiri corpora, ut incorrupta ſeruentur, compertum eſt. Deipara igitur aſſimilatur balſamo, quia incorruptionem & corpori impertitur, & menti per virtutem caſtitatis ; quam Virgo præcipuè amat in ſuis aſſeclis. Hæc autem magnum prædeſtinationis eſt ſignum, juxta id, quod dicitur Sap. 4. *quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate*, &c. De quo ſupra. Porrò ſi verum eſt quod tradunt Brocardus in deſcrip. ter. ſanc. & Adrichomius in voce *Engaddi*, hortos regios, in quibus conſitum erat balſamum, appellatos *vineas Engaddi ;* tranſlatoſque eſſe à Iudea in Ægyptum in gratiam Cleopatræ : ibique irrigatos eſſe à fonte parvo, uberrimè tamen fluente : in quo fama erat ſæpe lotum à Virgine puerum Ieſum, cum in Ægypto eſſet : & hunc apud incolas in veneratione habitum maxima appellari *fontem Ieſu* ; aperitur ex hoc myſterium cur ſponſæ Cant. 1. dicatur *dilectus ut botrus Cypri in vineis Engaddi*, nempe balſami : ac proinde aperitur etiam in hoc Mariæ ſtudioſis ſuæ prædeſtinationis omen, ac ſignum. Quia non invenitur balſamum Mariæ ſine fonte Ieſu : neque dulcem ſe præbet *dilectus ut botrum Cypri, niſi in vineis Engaddi*, in vineis balſami, quod nobis aromatizat Maria. Quippe, ut ait S. Bonavent. in ſpec. cap. 5. *balſamum Mariæ eſt unctio gratiæ, qua copioſiſſimè eſt infuſa.* Et, ut notat Bernardus ſuper Miſſus eſt, *pretioſum hoc balſamum tanta plenitudine influxit, ut copioſiſſimè effluat circumquaque.* Non carebunt igitur qui accedunt ad Mariam balſamo gratiæ, quod ex ea *copioſiſſimè effluit circumquaque.* Hujus vel una gutta pignus eſt gloriæ. Non prætermittam quod ſcribit Pauſanias in Bœoticis lib. 1. viperas ſub arbuſcula balſami deliteſcentes eo odore miteſcere, ac veneni acerbitatem deponere. Quo facilè ſignificatur vel peſſimos peccatores, ſi ad umbram Virginis, ac præſertim ad ſodalitia illi dicata confugiant, ſenſim ſerpentinam rabiem exuere, ac peccati virus deponere, veluti viperas ad odorem balſami. Quippe ipſa de ſe pronunciat, *quaſi balſamum aromatizans odorem dedi.*

CCLXVII. Mariæ ſimilitudo balſamum. *Plinius.* *Sap. 4.* *Bonauent.* *Bernard.*

Mariæ similitudo aspalathus. *Aristot.*

Nona similitudo dicitur ab aspalatho, Nam ubi vulgata, *balsamum*, legunt septuaginta quasi aspalathus. Quam lectionem amplexi sunt Lyranus, Rabanus, Cornelius, & alii. Refert Aristoteles in problem. sect. 12. num. 3. eas herbas, quas iris, sive arcus cœlestis, videtur sua extremitate contingere, *odoratissimas reddi, maximè ubi Aspalathus est*. Maximam ego Aspalathus cognationem habet cum Iride: quæ signum est divini fœderis, & clementiæ ex Gen. 9. Quando igitur Virgo sui studiosis quasi Aspalathus odorem affert devotionis; signum evidens est eò flecti Iridem divinæ clementiæ: & sic signum etiam est prædestinationis & salutis, quæ tota sita est in divina misericordia. Quod si in ea *Aspalatho, in quam arcus cœli curvatur, existere suavitatem odoris inenarrabilem* refert Plinius libro 12. cap. 24. multò magis in Maria, in quam Verbum utrumque cornu divinæ & humanæ naturæ veluti cœlestis arcus curuavit, *suavitas odoris existit inenarrabilis*. Odor hic pietatis, quem Maria suis sufflat affectis, prædestinationis est pignus, quia cœlestem redolet suavitatem. Quippe, ut Sophronius serm. de Assumptione Virginis, *ex ea fragrat odor etiam Angelicis spiritibus suavissimus*.

Plinius.

Mariæ similitudo myrrha.

Decima similitudo dicitur à myrrha, *quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris*. Myrrha amara, &, ut notat Plinius libro 12. cap. 15. arbor est spinosa. Porrò, ut ait Bernardus sermone in signum, *in Maria nihil austerum, nihil terribile; sed est tota suavis*. Nihil igitur habere videtur commune cum myrrha, quæ tota est amara. Adhuc tamen ita assimilatur myrrhæ, ut id sonet nomen ipsum Mariæ: quia, ut notat sanctus Epiphanius oratione de laudibus Virginis, *Maria interpretatur myrrha maris*. Quia etymologiam amplectitur etiam Hieronymus libro de nomin. Hebr. in Exodo. Myrrhæ amarities cum amaritie maris conjungitur: & idem est myrrha maris, ac *myrrheum mare*, mare amaritudinum: Itaut possit sub typo Mariæ Noëmi dicere Ruth. 1. *Ne vocetis me Noëmi, id est pulchram; sed vocate me mara, ideſt amaram: quia amaritudine valde replevit me omnipotens*. De hac immensitate doloris & amaritudinis in Virgine, alia occasione egimus tom 2. Theol. libro 3. q. 8. num. 10. Nunc quod facit ad probandum intentum, hæc Mariæ amaritudo dulcedinem sui studiosis prænunciat. Quippe fuit sibi amarissima, ut esset iis dulcissima, pro quibus offerens suos dolores mereatur illis æternam dulcedinem. Quod si eximia devotio erga Sanctum aliquem, præsertim martyrem pœnis toleratis insignem, prædestinationis est signum, ut ostensum est cap. 9. quia supponitur à tali martyre Deo suis devotis pœnas exhiberi suas, v.g. à Petro crucem, à Stephano lapides, à Laurentio prunas, ut iis impetrent auxilia efficacia ad salutem multò magis id militat in Virgine, quæ cæteros Martyres, ut probatum est tom. 1. p. 559. incomparabiliter superavit. Si tantum præsidium salu-

Epiphan.

Ruth. 1.

CCLXVIII.

tis in Martyre, quantum putamus in Regina Martyrum? Quod si Virgo neque ferro confixa est, neque per carnificis insolentiam passa est, vt Martyres; id magis proficit ad probandum intentum: Tradunt enim myrrham ferri violentia expressam imperfectiorem esse, ac minoris pretii, quàm quæ sponte sudat, & stillat; hancque cæteris antecellere. Quamobrem Plinius libro 12. cap. 15. de arboribus myrrhæ loquens, *sudant*, inquit, *sponte priusquam incidantur, stacten dictam, cui nulla præfertur* Myrrha ergo mortificationis in Virgine, quia nullo incisa ferro sponte stillauit, ideo perfectissima & electa: ac proinde Maria de se dicit, *quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris*: scilicet, vt notat Hugo Cardinalis, *per spontaneam mortificationem: quia myrrha, quæ sponte emanat, pretiosior est & electa dicitur: quæ verò per incisionem corticis manat, vilior est, & minoris efficaciæ*: nempe martyrium spontaneum Virginis, in quo neque ferrum, neque vlla incisio interceſſit, aliorum omnium martyrio est longè præstantius: quod violentia tyrannorum per vulnera, quasi myrrham inciso cortice, expressit. Ex hac igitur myrrha electa, ex hoc mari myrrheo si Deipara vel vnam stillam pro suis offeret, efficax erit ad impetrandum, ac merendum iisdem de congruo æternam gloriam. Ita fiet vt hoc quod mare myrrheum fuit Mariæ, vertatur asseclis in mare lacteum, iuxta id quod dicitur Deuter. 33. *inundationem maris quasi lac sugent*. Gutta lactis, quam Maria filio largè sugendam dedit, si aspergatur huic mari mirrheo, euadet nobis lacteum æternæ felicitatis, iuxta id quod dicitur Is. 66. *ad vbera portabimini*; cùm scilicet prædestinati ex vberibus diuinæ essentiæ sugent lac beatitatis. Hoc autem potissimùm ii sibi polliceri possunt à Deipara, qui in hac vita aliquid eius myrrhæ degustant, per spontaneas mortificationes in eius honorem susceptas, puta per ieiunia Sabbatorum, & in quibuscunque vigiliis Festorum Virginis, per abstinentiam à carne certis hebdomadæ diebus in eius honorem assumptis: &, quod maximè omnium præstat, per spontaneam continentiam à voluptatibus carnis; cùm mirrhâ potissimùm corpora incorrupta seruentur. Hanc voluntariam mortificationem Virgo suos edocet asseclas: quippe *labia eius lilia distillantia myrrham primam*, Cant. 5. In hac myrrha electa reperient ii suæ electionis auspicium. Atque hæc est postrema similitudo ex iis decem, quas ab Eccl. 24. decerptas, Ecclesia, in festo Assumptionis, Deiparæ applicat. His libet addere, in gratiam studiosorum Virginis; decem eiusdem membra, quæ in Canticis laudat sponsus in spõsa. Cuius typo semper ibi adumbrari Deiparam author est Rupertus in Cant. & libro 7. de gloria Trinitatis cap. 13. Andreas Cretensis orat. 2. de dorm. Gulielmus, Honorius, Hailgrinus, Carthusianus, & communiter interpretes in Cant. Inter quos Aponius, qui ante octingentos circiter claruit, pronunciat *infelicem, qui*

Plinius.

Myrrha mortificationis in Virgine perfectissima.

Hugo Card.

Deut. 33.

Ex membris sponsæ gloriæ pignus deducitur.

hoc non credit. Ostendam breuissimè membra sponsæ, quæ non sine magno Spiritus sancti mysterio describuntur, omnia gloriæ pignus, beatitudinis omen: spem salutis exhibere: vt meritò possint ea sibi statuere Deiparæ studiosi suæ prædestinationis signum.

Cant.7.

Primum,& præcipuum membrum est caput cum suo capillamento: *Caput tuum est Carmelus, comæ capitis tui purpura Regis iuncta canalibus*, Cant.7. Dicitur *caput vt Carmelus.* In quem locum Gulielmus: *Mens*, inquit, *in Virgine Matre monti comparatur propter excellentiam gratiæ.* Comparatur autem Carmelo, qui mons, vt notat Theodoretus, & alii, amœnissimus est, & floribus coronatus; vt è suo capite, tanquam è florentissimo monte, exhibeat suis Virgo serta numquam marcescentia, semper florida beatitatis: *Comæ capitis, sicut purpura Regis.* Ecce Deipara è suo capite vnà cum coro purpuram exhibet & regnum. Quippe, vt ait Ambrosius in Psal.118. serm.17. *ipsa tanquam bene merita Regina Christi sanguine coronatur: qui purpura est, quia Reges facit, & meliores Reges, quibus Regnum donat æternum.* Quod autem additur, *iuncta canalibus, significat*, vt ait Gulielmus, *quod tincturam illam Regalis indumenti, quæ facta est in Passione, illico secuta est abundantia gratiæ, quæ per aquam signatur.* Clarius prædestinationis omen inuenitur in sponsæ crinibus, si legamus cum Septuaginta *Rex ligatus in canalibus*: Christus enim ita ligatur flexibus crinium, ideſt, vt Rupertus explicat in Cant.4. *cogitationum* Virginis, vt quidquid illa ad suorum clientum salutem excogitat, ipse cogatur exequi tanquam Rex ab ea ligatus in suis crinibus, & suis cogitationibus alligatus.

Mariæ caput gloriam nobis portendit.

Ambrosius.

In Mariæ crinibus prædestinationis signum.

Cant.4.

Valer.

Secundum membrum sunt oculi, *Oculi tui columbarum*, Cant.4. Nemo ignorat columbam symbolum esse felicitatis. Quamobrem Valerianus in hierog. lib.22. *adnumerantur*, inquit, *columbæ inter eas alites, quæ Regibus auspicia faciunt. Hinc Æneæ columbæ geminæ à matre in auspicium missæ; & Cæsari originem inde trahenti prospero fuerunt ostento.* Gemini sponsæ oculi, quasi *columbæ geminæ à matre in auspicium missæ* iis, qui filiali affectu Virginem prosequuntur; auspicium vtique sunt regni & futuræ felicitatis. Hoc insinuatur à Dauide Psal. 67. *pennæ columbæ deargentatæ & posteriora dorsi eius in pallore auri*, per quod significatur omen futuræ felicitatis. Quippe, vt ait Augustinus in eum Psalmum, *posteriora sunt in auro: quia anima, postquam de corpore exiit, super aurum lucet in charitate, quæ nunquam excidit: hîc argento splendens, ibi auro.* Oculi igitur Mariæ per columbas argenteas simul & aureas designati, & præsentem felicitatem ominantur, & futuram, iis præsertim quos Maria benignè intuens, quasi oculis aspicit columbinis. Quamobrem Anselmus apud sanctum Antoninum. 4. part. tit. 15. cap.14. §.7. *necesse*, inquit, *vt ii ad quos Maria pro eis aduocans conuertit oculos, iustificentur & glorificentur*

Mariæ oculi æternæ felicitatis auspicium.

Psal.76.

Augustin.

Anselmus.

rificentur: Quia scilicet Mariæ *oculi sicut columbæ*: eius nempe, quæ visa est à Dauide argenteis pennis, dorso aureo, felicitatem afferens iustificationis in pennis argenteis, glorificationis in dorso aureo: ideo *ii ad quos conuertit oculos, necesse est vt iustificentur & glorificentur.*

Tertium membrum est *nasus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum*, Cant.7. Mysterium in hoc latet, quod Adam post peccatum expulsus est è Paradiso in agrum Damascenum: ibique pœnitentiam egit peccati, vixit, sepultusque est, vt tradunt aliqui. In Virgine igitur habetur turris præsidii *contra Damascum*: & contra id quod post eiectionem è Paradiso ibi sedem fixit, peccatum. Quippe, vt notat hic Theodoretus, *Damascum pro impietate frequenter ponit scriptura: vt Isaiæ* 8. *auferetur fortitudo Damasci.* Qui pugnat ex hac turri omen habet victoriæ. Siquidem hic, vt notat Gulielmus in hunc locum, *clementia piæ matris, qua se propitiam petentibus exhibet, insigniter commendatur. Nasi quippe officio hauriuntur odores. Quid autem preces piorum nisi odores quosdam suauissimos dixerim?* Dicitur autem *turris Libani*, quod idem sonat ac turris candoris: quia; vt notat idem Gulielmus, *fabricauit Deus, candidatis suis* (prædestinatis) *hanc turrim fortitudinis à facie inimici. Turrim fiduciæ contra faciem Damasci; ideſt propriæ matris clementiam illis ad magnum, certumque munimen attribuit.* (Quid est *magnum, & certum munimen*, nisi magnum, & certum pignus salutis?) *Hæc est ergo turris Libani fortis munitio candidatorum, ne quando dicat inimicis prævalui aduersus eos: & denigraui nitorem eorum. Turris ista respicit contra Damascum. Respicit enim piè, quos respicit moriendus. Sed toruo, & terribili oculo respicit contra Damascum: vt arceatur ab his; quos illa tuendos suscipit.* Quid clarius pro prædestinationis signo in iis qui sub tutela latent Mariæ?

Cant.7.

Theodoretus.

Gulielmus.

Quartum membrum sunt genæ. *Sicut fragmen mali punici, ita & gena tua.* Cant.4. Ex his genis Virginis & munimen habemus, & pignus salutis. Primò quia in colore sanguineo, qui habetur in fragmine mali punici, refertur sanguis Christi: quem, si ille cælat in venis, Maria prodit in genis omnibus exhibendum. Ideo Gulielmus: *Cùm filius*, inquit, *dicit matri sua, sicut fragmen mali punici gena tua, indicat pudorem in genis, colorem referentem cruoris; cuius effusio mundi redemptio extitit.* Secundò, quia malum punicum fractum purpuram exhibet in granis coronam in cortice: qua solum malum punicum, inter poma cætera, coronatur. Ecce nobis in genis Mariæ regni cælestis pignus; purpura, & corona: ideoque dicuntur referre mala punica Paradisum: *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum.* Cant.4. Nonne suis Maria Paradisi dat pignus, quæ in genis

CCLXX.

Cant.4. Mariæ genæ pignus exhibent salutis.

Gulielmus.

exhibet paradisum? Idcirco dicuntur *genæ sicut fragmentũ mali punici :* quia cum duplex sit Ecclesia, triumphans,& militans; genæ Virginis comparantur Ecclesiæ triumphanti, quæ alterum quasi fragmen est Ecclesiæ militantis. Hæc animadversio est Martini Delrio : qui, *genæ*, inquit, *triumphantis Ecclesiæ non integro malo punico comparantur, sed fragmini : quia fragmen alterum est Ecclesia militans.* Genæ igitur Virginis sunt fragmen mali punici : quia Ecclesiam tantummodò præferunt triumphantem. Quod testatur Areopagita in epist. ad Paulum, ubi affirmat se ductum *ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis, non potuisse tantæ felicitatis insignia sustinere : quoniam nulla videri potest major gloria beatorum.* Ecce aspectus & genæ Virginis nihil aliud præferunt quàm Paradisum, beatitudinem, gloriam.

Delrius.

Quintum membrum, quod in Virgine commendatur à sponso, sunt labia : *Sicut vitta coccinea labia tua,* Cant. 4. Clariùs Septuaginta, *funiculus coccineus labia tua.* Arcanum in hoc latet mysterium, ad indagandum in Virgine nostræ prædestinationis auspicium. Alluditur profectò ad funiculum coccineum, quem Rahab visa est suspendere in fenestra ad signum suæ salvationis,& omnium ejus domesticorum. *Signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligaveris eum in fenestra,* Josue cap.2. Rahab autem in hoc typum Mariæ gessisse ostendimus supra num.249. Suspendit Rahab funiculum coccineum in fenestra domus : suspendit Maria funiculum coccineum in fenestra oris. Illa in signum salutis sibi, & domesticis, incensa Iericho sub duce Iesu filio Nave ; hæc in signum salutis sibi & devotis, incenso orbe, sub judice Iesu filio Dei. Ideo Mariæ dicitur, *funiculus coccineus labia tua*, signum in iis præfereus salvationis omnibus domesticis suis. Est animadversio Theodoreti in hunc locum : ubi, *per funiculum,* inquit, *coccineum in memoriam redigit Rahab : quæ ejus figuram gerebat in veteri Testamento. Etenim ipsa quoque habuit signum salutis funiculum coccineum, quem suspensum dimittere visa est è fenestra.* Hoc signum sponsus in ore sponsæ collocat: quia scilicet verba prudentia ex ore Virginis, & voces internæ, quibus suos alloquitur, sunt tanquam funiculus coccineus prænuncians, & promittens salutem. Ideoque subditur, *& eloquium tuum dulce :* quia dulcedinem spondet æternæ vitæ. Quod idem innuitur Psal.44.dum Virgini dicitur, *diffusa est gratia in labiis tuis.* Gratia enim, quam fundit in corda eorum qui eam audiunt, funiculus est coccineus, vexillum & signum salutis : cùm gratia sit semen & pignus gloriæ. Idcirco Rupertus in hæc verba, *Labia eius sicut vitta coccinea*, dicit *Virginem in ista gratia esse cæteris omnibus incomparabilem, post dilectum suum : cui specialiter Spiritus sanctus in Psalmo dicit, Diffusa est gratia in labiis tuis.* Quod si ex ore Herculis catenas prodisse aureas ad ligandos animos

Cantic.4.
In Mariæ labiis salutis auspicium.

Ioſue 2.

Theodor.

Psal.44.

Rupertus.

autumarunt antiqui, teste Valeriano in hierogl. libro 3. ex ore Virginis *funiculus coccineus* prodire dicitur non ad ligandos animos, sed ad soluendos; cùm signum sit libertatis filiorum Dei. Ex alio etiam capite hic *funiculus coccineus* prædestinationis signum adumbrat, & promissionem gloriæ: quippe solemne fuit apud Hebræos hereditatem appellare nomine funiculi, ex quo terram promissionis mensi sũt funiculis. Ideoque dicit Psal. 77. *sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.* Quam consuetudinem eos sumpsisse ab Ægyptiis author est Hieronymus in cap. 3. Ioëlis. Quamobrem dicitur Deut. 32. *Iacob funiculus hæreditatis eius*, nempe Domini; ideſt hæreditas Domini. Et Psal. 15. dicitur à Dauide, *funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi*? quia scilicet, vt dicit Psal. 72 *pars mea Deus in æternum.* Funiculus igitur hic è Deiparæ labiis prominens, Deum vt hæreditatem promitti: & terram vere promissionis metiendam, pro cuiusque meritis, & maximè pro cuiusque affectu in Virginem, funiculo isto coccineo qui pendet ex ore Virginis: quasi danda sit vnicuique ea portio gloriæ, quam illa suo ore statuerit. Dicitur autem funiculus hic coccineus: tum quia, vt ait Nyssenus hom. 7. in Cant. *per coccineum ad sanguinem Christi per quem redempti sumus, respicitur*: quem Christo communicatum à matre æquum est dispensari à matre. Tum quia funiculus hic coccineus est veluti vexillum purpureum: sub quo prædestinati hîc militant, ibi triumphant. Nimirum Christus est Dux, Maria vexillifera: atque adeo ii primum expectant à Christo, qui militant sub vexillo Mariæ. Quamobrem Bernardus sermone 4. in Salue. Mariam alloquens, *Tu*, inquit, *vexillifera in nobis, vexillifera Regis te ducente pro nobis.* Nempe è labiis Mariæ prodit signum, & vexillum salutis. Labia igitur Mariæ *funiculus coccineus*: vt qui signum suæ prædestinationis indagat, illi *signum sit funiculus iste coccineus.*

Psalm. 77. *Deut 32.* *Psalm. 15.* *Psalm. 72.* *Nyssenus.* *Bernard.*

CCLXXI. *Cant. 4.* Mariæ collum turris præsidii peccatoribus. *Hailgrinus.*

Sextum membrum à sponso laudatum in Virgine, est collum: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ est ædificata cum propugnaculis*, Cant. 4. In hac turri præsidium etiam peccatores reperiunt: quippe Maria, vt ait Hailgrinus, *fuit à Christo vero Dauide fabricata, vt peccatoribus esset refugium & munimen. Propugnacula huius turris sunt gratiæ, quibus peccatores protegit, & inimicum expugnat.* In Maria igitur signum prædestinationis inueniant etiam peccatores, modò confugiant ad hanc turrim: quandoquidem, vt dicitur Cant. 4. *mille clypei pendent ex ea omnis armaturæ fortium. Millenarius numerus*, vt ait Gregorius libro 9. Moralium cap. 2. *pro vniuersitate solet intelligi. Mille clypei*, omnes clypei: quia scilicet contra omnes dæmonum tentationes, contra omnium vitiorum insultus, contra omnes animi passiones reperitur clypeus in Maria. Ideo Bernardus hom. 2. super Missus est: *Si iactaris*, inquit, *superbiæ vndis, si ambitionis, si*

Gregorius. *Bernard.*

detractionis, si æmulationis, voca Mariam. Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, barathro cœperis absorberi tristitiæ, cogita Mariam. Ecce in hac turri contra omnes hostes *mille clypei*, omnes clypei. Idcirco subdit, *omnis armatura fortium.* Illi igitur fortitudinem & victoriam sibi promittant, qui clypeis armantur ex hac turri. Ideo idem Bernardus sermone 4. super Salue, *Ex te*, inquit, *prodit omnis armatura fortium: quia nihil est virtutis, quod ex te non resplendeat.* Et sanctus Thomas opusc.8. *Mille*, inquit, *clypei pendent ex ea; quia in omni periculo obtinere potes salutem à Virgine gloriosa.* Obseruandum etiam est, quòd dicuntur solùm *clypei omnis armatura fortium*, non enses, non iacula, non arma alia offensiua: quia certamen, quod gerunt electi, totum positum est in tolerantia, non inferendo malum, sed perferendo, iuxta illud Luc. 21. *in patientia vestra possidebitis animas vestras.* Denique adeo verum est reperiri in Maria *omnem armaturam fortium*, vt ipsemet Christus ad pugnandum contra diabolum, quando carnem suscipit, arma susceperit ex Maria. Ideo Methodius orat. in hypap. *Tu*, inquit, *potentem illum corpore, quasi panoplia* (hoc est omni armorum genere) *induis; per quem ignita omnia maligni tela extinguuntur*, Si Christus ipse, prædestinatorum caput, arma sumpsit ex Maria: si in ea est *omnis armatura fortium*; vtique Mariæ deuoti, qui ex ea clypeos sumunt, fortes sunt, & electi: qui verò non armantur ex Maria, imbecilles sunt, & reprobi. Ex accessu igitur ad Mariam maximum habetur prædestinationis signum, quia in Maria habentur omnia contra hostes arma, omnia prædestinationis media & præsidia.

Ex Maria Christus arma suscepit ad pugnandum cum diabolo.

Septimum membrum, de quo ipsamet Deipara gloriatur, sunt vbera, *Ego murus, & vbera mea turris*, Cant.8. vt non deessent collo, tanquam turri Dauid præcipuæ, duæ hinc inde turriculæ, siue ad ornamentum, siue ad munimentum: quò ii qui ad Mariam confugiunt, inueniant vndique turres, è quibus hauriant spem salutis. Dicuntur autem ipsamet Mariæ *vbera turres*; quia suos lactando protegit, protegendo lactat: dum iis & munimen exhibet, quo eripiat ab æterna morte; & alimentum præbet, quo alat ad æternam vitam. Lactauit Maria corporaliter Christum: & fuere illi matris *vbera sicut turris*, dum adhuc lactans inter ipsamet turrita vbera debellauit diabolum. Ideoque dicitur Isa.8. *Antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.* Quæ de victoria Christi pueri conuersione trium Magorum reportata à Diabolo explicant Athanasius libro de Incarnatione Verbi cap.1. & Tertullianus libro 3. contra Marcionem cap.3. & libro contra Iudæos cap.9. Dum penderet Christus inter materna vbera, vt idem Tertullianus loquitur, *vagitu erat infans ad arma*

Cant.8.

Mariæ vbera turres dum nos lactant, & muniunt.

Isa.8.

Tertull.

convocaturus, & signum belli crepitacillo veluti tuba daturus. Quippe ea de Gentilitate victoria non parta est à Christo in ligno Crucis, sed in gremio matris. Quod passim notarunt Patres. Chrysologus homilia 8. in Matth. *Invenerunt*, inquit, *Magi puerum cum Maria, quæ eum in suo gremio collocavit.* Ambrosius sermone 1. de Epiphania, *Mater partui molli blanditur gremio, cùm adorandum Magis ingerit.* Idem notant Hilarius homilia 1. de Epiphania, Emissenus & Euthymius in cap. 2. Matth. ut mirum non sit appellari à sponso Mariæ ubera turres, inter quas Christus puer victoriam de Gentibus reportavit : cùm nondum suum funderet sanguinem, sed dum Mariæ lac sugeret. Lactat nunc quoque Maria spiritualiter suos lacte spiritualium consolationum ; dumque eos inter lactandum victores reddit diaboli, præstat utique iis ubera sicut turres. Quamobrem Gulielmus in hunc locum, *Ego*, inquit, *murus, & ubera mea turris : ideò tantæ fortitudinis facta sum, ut omnibus ad me confugientibus non tantùm murus sim ad muniendum, sed & mater ad nutriendum : & talis mater, cujus ubera sunt sicut turris, cuius maternum pectus non tantùm paruulos nutriat, sed etiam dum adhuc in nutrimentis sunt & minùs apti ad prælium, hostibus inaccessibiles faciat ; cùm creverint fiduciali-ter processuros ad campum, non tantùm carnem & sanguinem, sed & spiritualia nequitiæ ad prælium provocaturos.* Ecce in uberibus omen victoriæ. Non arcentur ab his devoti Virginis, etiam peccatores. Nempe ad hoc duo gestat ubera, ut unum justis, alterum peccatoribus præbeat. Ideo Riccardus Victorinus, *Beata Virgo*, inquit, *habet duo ubera geminæ dilectionis lac fundentia, quia reis impetrat veniam, & justis gratiam.* Porrò numquam siccantur lacte hæc ubera : neque vnquam iis deest lac uberrimum misericordiæ, quo succurrat miseriæ. Quamobrem Hugo de Sancto Victore: *Vbicunque*, inquit, *fuerit miseria, tua & currit & succurrit misericordia. Adeo ubertate replentur ubera tua, ut tacta alicuius miseriæ notitia, lac fundant misericordiæ : nec potes miserias scire, & non subvenire.* Præterea, tanta velocitate currit Maria ad præbendum suis lac prædictum misericordiæ, ut rursus ejus ubera comparentur à sponso hinnulis capreæ: *duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ*, Cant. 4. quia illa ubera exiliunt ad lactandum velocitate hinnulorum. Quod advertens idem Riccardus, *hinnulorum*, inquit, *velocitati comparantur ; quia velociùs occurrit eius pietas, quàm invocant; & causas miserorum anticipat.* Quòd si per duo Virginis ubera accipiantur, ut vult Rupertus, Mariæ maternitas & virginitas; utroque hoc ubere suos illa nutrit, & pascit. Quippe maternitatem adhibet ad impetrandum pro suis : virginitatem exhibet ad eosdem purificandos. Quocirca studiosi Virginis, cùm carnalibus tentationibus infestantur, solent ad puritatem Virginis confugere, signando ter lumbos, & dicendo, *per immaculatam Conceptionem, &*

Maria in suo gremio Christum Magis dedit adorandum. *Chrysologus. Ambrosius.*

Ricc. Vict.

Mariæ ubera numquam siccantur. *Hugo Vict.*

Cant. 4.

CCLXXII. *purissimam Virginitatem tuam munda cor, & carnem meam.* Quod experti testantur præsidium esse contra has tentationes præsentissimum, euadente Virginitatis vbere in turrim, qua arcetur impuritas. Idcirco assimilantur etiam vbera Virginis *hinnulis capreæ, qui pascuntur in liliis*: quia eos maximè Virgo in suis claudit vberis, quasi intra se gestans, qui pascuntur inter candidissima lilia castitatis. Vbera igitur Mariæ signum prædestinationis suis exhibent: tum quia media iis fuerunt salutis, ac proinde signa: tum quia vbera, quibus hîc Deipara suos lactat, præsagia sunt cælestis beatitudinis. Quippe deuotos Virginis, quos illa hîc suo pascit lacte, Christus in cælo admotos ad mammillas diuinæ essentiæ pascet æterno lacte. Ideo ait Riccardus Victorinus, *per hinnullos hos* (qui ad Mariæ ubera hîc pendent) *intelligi hominum animas ad cælum translatas vbi Christus pascit hinnulos cælesti lacte.*

Octauum membrum à sponso in sponsa celebratum, est venter: *Venter tuus aceruus tritici, vallatus liliis*, Cant. 7. In hoc magnum Deipara præfert suis prædestinationis indicium; quia nomine tritici veniunt electi, sicut nomine zizaniæ reprobi, ex Matth. 13. *Colligite Zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.* Venter ergo Mariæ aceruus tritici: quia ipsa electos omnes tanquam vera mater gestat in vtero. Quamobrem Epiphanius, sermone de laudibus Deiparæ, *ipsa*, inquit, *Verbum veluti granum frumenti suscipiens, eius manipulos germinauit*, nempe electos cæteros. Quod clariùs tradens sanctus Bernardinus Senensis tomo 3. ser. 6. art. 2. cap. 2. *Virgo*, inquit, *omnium electorum salutem viscerosissimè expetiit, ita vt omnes, tanquam verissima mater filios, in suis visceribus baiularet.* Qui igitur filiali affectu prosequuntur Mariam tanquam matrem, signum prædestinationis in hoc habent, quod eos Maria gestat in vtero tanquam filios, proinde tanquam electos. Quippe *venter eius aceruus tritici*, idest cumulus electorum. Dicitur etiam vallatus liliis, quia lilium est spei symbolum. Quapropter in moneta Antonini Pii, refert Valerianus in hierogl. lib. 55. ex vna facie sculptum apparebat lilium: ex altera, inscriptio, *spes perfecta.* Venter igitur Mariæ vallatur liliis; vt iis, quos ipsa materno gestat affectu, *spem perfectam* faciat æternæ vitæ. Potest etiam dici Mariæ *venter aceruus tritici vallatus liliis*: quia in ventre illo virgineo compactus est panis ille Eucharisticus, quo nutrimur ad æternam vitam. Quippe, vt ait Ambrosius libro de instit. Virg. cap. 14. *in Virginis vtero aceruus tritici germinabat. Hoc granum omnes homines perpetua cælestium munerum esca saturauit.* Et Epiphanius sermone de laudibus Mariæ, *Virginis, inquit, vterus panem vitæ Christum per nouem menses decoquendum accepit.* Basilius etiam Seleuciæ Episcopus orat. de Annunc. *Virgo*, inquit, *cælestem panem, qui fidelibus in cibum*

Cant. 7.

Matth. 13.

Maria electos gestat in vtero.

Epiphanius.

Bernard.

Valerian.

Ambrosius.

Epiph.

Basilius.

& potum exhibetur, vtero complexa est. Venter igitur Mariæ exhibet suis prædestinationis pignus, dum euadens aceruus tritici exhibet panem vitæ. *Vallatus liliis*, veluti candidis hostiolis circumseptus: quæ, dum præferunt speciem lilii, & spem & odorem afflant immortalitatis. Ideo Eucharistiam appellat Ambrosius, *lilium in quo est splendor æternitatis* : nimirum, *qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, Ioan. 6. In hoc igitur *aceruo tritici* nutrimentum à Maria exhibetur nobis æternæ vitæ: in hoc liliorum vallo spes nostræ prædestinationis figitur.

Nonum membrum, quod sponsus in sponsa prædicat, est vmbilicus : *Vmbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis,* Cant. 7. Sicut adumbrat Eucharistiam sub specie panis in ventre, *Venter tuus aceruus tritici* ; ita eamdem sub specie vini in vmbilico, *Vmbilicus tuus crater tornatilis.* Alludit ad quod dicitur Prou. 9. *Sapientia miscuit vinum* ; siue, vt alii, *miscuit in cratere vinum, & proposuit mensam.* Quamobrem Ambrosius de instit. Virg. cap. 4. *Verè aluus illę Mariæ crater tornatilis : in quo erat sapientia, quæ miscuit in cratere uinum.* Ex hoc cratere in aureos Ecclesiæ scyphos transfunditur sanguis sub specie vini, idque indeficienter, ac perenniter : & ideo dicitur *crater nunquam indigens poculis.* Quamobrem Guliel-mus, *nunquam*, inquit, *indigens poculis* ; *quia quotlibet inde hauriant, & quantumlibet hauriant, nequit exhauriri.* In hoc ergo etiam Maria prædestinationis affert pignus, iuxta id quod dicitur Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam* : dum Maria in ventre carnem, in vmbilico exhibet sanguinem. Vtrumque conjunxit Zach. cap. 9. *Quod est bonum eius, & quod est pulchrum eius ? Frumentum electorum, & vinum germinans Virgines.* Frumentum electorum : & ideo Mariæ dicitur *venter tuus aceruus tritici.* Additur præterea, *vinum germinans virgines* : & ideo dicitur *vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Et ratio est, quia sicut *caro Christi est caro Mariæ*, vt ait Augustinus sermone de Assumptione ; ita sanguis Christi est sanguis Mariæ : quia, vt ait Emissenus hom. 1 de Natiuitate Domini, *sanguinem, quem etiam pro matre obtulit, de sanguine matris accepit.* Et ideo in sacro Altari non solùm Christi, sed etiam Mariæ carnem haurimus & sanguinem. Quod Mariæ deuotis specialem affert perceptione Eucharistica voluptatem, & specialem spem salutis ; tanquam Mariæ quoque carni & sanguini concorporatis. Quamobrem Petrus Dam. serm. 45. cùm dixisset manare aliquid ex vberibus Virginis, & in carnem verti Saluatoris ; mox subdit, *Illud absque vlla dubietate, non aliud, nunc de sacro Altari percipimus : & eius sanguinem* (Mariæ) *Sacramentum nostræ redemptionis haurimus.* Ideo sicut Eucharistia per manna signatur ; ita ipsamet Virgo manna dicitur. Quare Ambrosius in Ps. 21.

Cant. 7.

Prouerb. 9. Ambrosius. Mariæ aluus crater tornatilis, è quo vinum sanguinis Christi transfunditur.

Gulielmus.

Ioan. 6.

Zach. 9.

Emissen. Mariæ carnem & sanguinem in Eucharistia haurimus cum Christo.

Petr. Dam.

Ambrosius.

Ipsam, inquit *Mariam manna dixerim, quæ velut cælitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit.* Si igitur in Eucharistia, vt canit Ecclesia, futuræ gloriæ nobis pignus datur; Mariæ *vmbilicus crater tornatilis* exhibet nobis prædestinationis signum in poculo Eucharistico. Ideo Alanus in eum locum, *Mariæ*, inquit, *vmbilicus plenus poculis, mundo propinans vinum salutis, vinum lætitiæ, poculum vitæ.* Et ante illum Gulielmus, *vmbilicus ille*, inquit, *virgineus vitam mundo quasi crater tornatilis propinauit.* Ex hoc cratere spes hauritur salutis.

Alanus. Mariæ vmbilicus prædestinationis signum exhibet.

Decimum membrum sunt femora, *Iunctura femorum tuorum sicut monilia*; siue, vt alii, *sicut torques*, Cant. 7. Ita enim legunt Ambrosius, Gregorius, & alii, vbi aliqui codices, iuncturæ femorum tuorum, Per femora spiritualia, vt notat Alanus, generatio spiritualis intelligitur: sicut per femora corporalia generatio corporalis. *Iunctura* igitur *femorum* Virginis *sicut monilia*; quia eos, quos Maria spiritualiter generat, quasi monilibus ornat, & coronat. Quamobrem Ambrosius libro de instit. Virg. cap. 4. *Quàm pulchra*, inquit, *illa, quæ in figura Ecclesiæ de Maria prophetatæ sunt: si tamen non membra corporis, sed mysteria generationis eius intendas: Dicitur enim ad eam; Moduli femorum tuorum similes torquibus.* Et infra; *Sicut victores solent secularibus præliis strenuorum virorum donatas torquibus honorare ceruices; ita iugum nostrum leuauit, vt fidelium colla virtutis insignibus coronaret.* Coronis igitur assimilat Mariæ femora sponsus, & torquibus triumphantium: quia iis, quos tanquam sui studiosos specialiùs pia mater gestat in femore, pollicetur torques aureos ac triumphalia ornamenta. Quando, vt notat idem Ambrosius in Psal. 116. serm. 17. *Sponsæ femora ornamentis pretiosissimis comparantur, & torquibus triumphantium.* Ex his omnibus iam habentur membra omnia, quæ à sponso describuntur, in Virgine non aliud exhibere quàm prædestinationis auspicia, æternæ salutis pignora, victorias, coronas, triumphos; vt non immeritò dicatur tota eius *statura assimilata palmæ*, Cant. 7. Quo significatur Mariam, quanta quanta est, præmonstrare victorias, & præmium ipsum cæleste. Ideo Cassiodorus in eum locum. *Palma*, inquit, *victricem onerat manum: & ideo præmium illud significat, quod victoribus sanctis in cælestibus dandum est.* Quid clarius, ad ostendēdum nostræ prædestinationis signum reperiri in Maria? Denique nihil in ea aliud contineri, præter victorias & triumphos, satis indicauit sponsus, cùm dixit, *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* Cant. 7. Castra quidem propter auxilium, quod Maria fert in hac vita pugnantibus: choros, propter cantica & pæanas, quæ Maria præbet triumphantibus. Idcirco Theodoretus: *Quid videbis*, inquit, *in Sunamite nisi choros castrorum? Ex castris enim fiunt chori. Nam*, vt addit Honorius, *cùm in castris virtutis vicerint*

Maria, quos spiritualiter generat, ornat & coronat.

Ambrosius.

CCLXXIII.

Cassiodor.

Cant. 7.

Theodor.

Honor.

vicerint milites, pæana canentes redeunt; & choros ducentes victoriæ præconium celebrant. Ideo quicquid est in Maria, *castra* sunt, & *chori*: *castra* in præsenti vita ad pugnandum, *choros* promittentia æternæ vitæ ad canendum. Dicitur autem non videri in Maria *nisi choros castrorum*; non autem dicitur castra chororum: quia ita illa certum fert suis allectis prædestinationis auspicium, ut in iis priùs videantur chori, quàm castra; antea triumphus, quàm pugna. Hæc ex Canticis: qui *totus liber*, ut ait Andræas Cretensis in Cant. *Virginem præmonstrabat.* Multa de Virgine tanquam prædestinationis prænuncia è sacris literis hausimus, plura prætermisimus: quippe, ut affirmat sanctus Vincentius serm. 2. de Nativitate Virginis: *Maria in omnibus libris sacræ Scripturæ, & in omnibus Canticis, immo etiam in singulis versibus directè vel indirectè, mysticè designatur.* Atque hæc quoad probationem è Scripturis.

Canticorum liber totus Virginem præmonstrat. *Andr. Cret. Vincent.*

Probatur idem secundò ex Patribus: quorum testimonia quamplurima adteximus Scripturis; alia intermiscenda sunt rationibus: hîc paucissima seligemus.

Primum testimonium sit celeberrimum illud Germani Constantinop. sermone de zona Virginis, ubi, *si tu*, inquit, *nos deseruneris, quidnam de nobis fiet, ô sanctissima Deipara, spiritus & vita Christianorum? Quomodo enim corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem: ita sanctissimum tuum nomen, quod in ore servorum tuorum versatur assiduè, in omni tempore, loco, & modo, vitæ & lætitiæ non solum est signum; sed etiam ea conciliat, & procurat.* Sicut igitur respiratio causa est, & signum vitæ corporalis: ita affectus in Mariam causa est & signum vitæ spiritualis, nempe vitæ gratiæ, ex qua vita gloriæ. Observandum est dici *nomen Mariæ, quod in ore servorum tuorum* (devotorum Virginis) *assiduè versatur in omni tempore, loco, & modo signum esse vitæ.* Quapropter magnum prædestinationis signum est apud Virginis studiosos assiduè habere in ore Mariam: sive eam laudando, sive precando, sive alios propter eam obtestando, sive ejus auxilium iis imprecando, sive ad ejusdem amorem & studium alios cohortando: quia *nomen Mariæ assiduè in ore servorum suorum versari, signum est vitæ.* Quod si per momenta fit respiratio; & si intervallo temporis aliquo prohibeatur, signum est & causa mortis: idem proportionaliter censeri debet de nomine Mariæ, ita ut saltem dies non transeat, absque eo quod servi Mariæ, aliquo ex prædictis modis, etiam apud alios Mariæ nomen non spirent: præsertim inserendo in aliorum auribus atque animis Mariæ laudes, & studia in Mariam. Denique, ut ait Bernardus serm. 2. super Missus est, *Maria non recedat ab ore, non recedat à corde*: quia scilicet respiratio fit ore & corde. Non prætermittam hîc, quod narrat Antonius de Balinghem in Ephemeri de B. Virg. die primo Nouemb. nempe reper-

Mariæ patrocinium signum esse prædestinationis è Patribus probatur. *Germanus.*

Mariam assiduè in ore habere, prædestinationis signum.

Bernardus.

Mira mos cujusdam religio.

tam fuisse in Insula Iaponia anum quandam ita suæ superstitioni addictam, ut singulis diebus Amidæ nomen pronunciaret centies quadragies millies. Quod ut exequi posset, solem surgendo præveniens, antelucanas horas occupabat. Hæc postmodum ad Christi fidem traducta, totidem vicibus, nempe centies quadragies millies, Iesu & Mariæ nomen quotidie proferebat. Profectò non pluries respirabat: ut nuper in extremo terræ margine una impleret neophyta, quod tot antè sæculis Germanus Episcopus docuit, de respiratione assidua in nomine Mariæ. Iure Bonaventura in Psalt. *Respirate*, inquit, *ad eam perditi peccatores.* Inter hæc eadem dulcissima nomina Iesu & Mariæ non modo spiritum ducere, sed etiam extremum spiritum ducere (quod vehementer optare, & enixè à Deo petere, adhibito intercessore Iosepho, solent viri pij) maximum duco prædestinationis auspicium. Quippe inter vitalia nomina intercedere non potest mors nisi vitalis. Ita non solùm signum vitæ est, juxta testimonium allatum Germani, in hoc nomine respirare, sed etiam expirare.

Inter Iesu & Mariæ nomina spiritus semper ducendus: & extremus mittendus.

Maria expectatio præmiorum. *Augustinus.*

Secundum testimonium est Augustini ser. 2. de Domin. Annunc. ubi, *Tu es*, inquit, *spes unica peccatorum: in te nostrorum est expectatio præmiorum.* Quid est *expectatio præmij*, nisi prædestinationis auspicium?

Damasc.

Tertium est testimonium Damasceni in Annunc. Dei Genitricis, *Spem*, inquit, *tuam habens, ô Deipara, servabor: defensionem tuam possidens, non timebo. Persequar inimicos meos, & in fugam vertam habens ut thoracem protectionem tuam, auxilium tuum: nam devotum tibi esse est arma quædam salutis, quæ Deus iis dat, quos vult saluos fieri.* Ita Damascenus apud Binettum in tessera num. 12. Hoc testimonio nihil clarius.

Bernardus

Quartum testimonium est Bernardi sermone de Nativit. Virg. ubi, *Si quid*, inquit, *spei in nobis est, si quid salutis ab ea* (Maria) *noverimus redundare.* Si tota spes salutis in Maria, utique majus aut minus prædestinationis signum est per majorem, aut minorem accessum ad Mariam. Clariùs idem sermone super Missus est, *Hæc*, inquit, *peccatorum scala: hæc maxima mea fiducia: hæc tota ratio spei meæ.* Si Bernardo *tota ratio*, sive totum fundamentum *spei* est Maria, apertè hinc colligitur, quod totale fundamentum salutis reponi debeat in protectione Mariæ: non quod excludatur Christus, ut imperitè calumniantur hæretici; sed quod Maria sit fundamentum immediatum, Christus ultimatum: sitque illa, ut ait idem Bernardus sermone in signum magnum, *mediatrix ad mediatorem.*

In Maria tota ratio nostræ spei.

CCLXXIV.

Quintum testimonium est ejusdem serm. 2. de Pentec. *Ad illam* (Mariam) *sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium seculorum respiciunt & qui in cælo habitant, ut reparentur; & qui in inferno* (in infero loco Purgatorii) *ut eripian-*

tur : & qui præcesserunt vt Prophetæ fideles inueniantur : & qui sequuntur, vt glorificentur. Respicere igitur in Mariam, quod fit siue imitando, siue deprecando, habet pro fine glorificationem : & sic prædestinationis est signum: sicut iis, quibus inter medias tempestates conspiciendum se præbet stella polaris veluti commonstrans portum, habent in ea signum salutis. Idcirco : vt monet idem Bernardus sermone 2. super Missus est, *Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum : respice stellam, voca Mariam.* Quemadmodum igitur tota nauigantium spes posita est in ligno & in stella ; ita tota viatorum spes est posita in cruce, & in Maria. Quod animaduertens Innocentius, apud Bonauenturam in spec. cap. 3. *Quibus*, inquit, *auxiliis possunt naues inter tot pericula pertransire vsque ad littus ? Certè per duo, per lignum & stellam : idest per fidem crucis, & per virtutem lucis, quam peperit nobis maris stella Maria.*

In ligno crucis, & stella Mariæ viatorum spes posita. *Bernardus. Innoc.*

Sextum testimonium est Anselmi apud Bonauent. in spec. Virg. cap. 5. *Sicut, ô beatissima Virgo, omnis à te auersus, & à te despectus necesse est vt intereat ; ita omnis ad te conuersus, & à te respectus, impossibile est vt pereat.* Hoc testimonio nihil illustrius. Quippe Anselmus pronunciat verè studiosos Mariæ, quos illa benigniore censetur respicere oculo, *impossibile esse vt pereant.* Ad hoc explicandum, apprime facit quod refert sanctus Epiphanius in Physiologo c. 23. esse quandam auem charadrium appellatam, hac proprietate præditam, quod si quis morbo laboret, sitque hominis ægritudo lethalis, prospectum suum auis ab illo auertit : sin verò morbus vitæ securitatem promittat, tunc auis in ægrum intendit visum, & vicissim æger in auem. Signum igitur futuræ mortis est auersio prospectus ab ægro ; signum futuræ salutis est prospectus auis in ægrum, ægri in auem. Hoc, quod ibi Epiphanius Christo applicat, aptissime quoque quadrat in Virginem. Signum quippe æternæ mortis & reprobationis, est neque benignè respici à Maria, neque vicissim deuotè respicere Mariam : & sic, vt dictum est ex Anselmo, *omnis ab ea auersus necesse est vt intereat.* Contra verò, cùm Maria in hominem intendit oculos, & vicissim homo in Mariam ; tunc, sicut ibi ex Epiphanio vitæ securitas promittitur, ita hîc *omnis ad eam conuersus*, ac proinde respiciens Mariam, *& ab ea respectus, impossibile est vt pereat* : & sic habet signum potissimum prædestinationis. Exemplum huius etiam peti potest à sacris literis : Nam ex Dei mandato imago serpentis erecta est ; *quam, cùm percussi aspicerent, sanabantur*, Num. 21. Serpens autem ille non solùm Christi, vt habetur Ioan. 3. sed etiam Mariæ typum gessit. Quippe, vt notauit Clemens Alexandrinus in adhort. ad Gentes, erat *serpens fœmina ; quam cùm aspicerent, sanabantur.* Quod non sine mysterio factum est ; vt significaretur, iuxta testimonium Anselmi, *conuersum ad Mariam, impossibile esse vt*

Anselmus.

Epiph.

Num 21. Serpens æneus Mariæ figura. Clem. Alex.

pereat. Et ratio à priori est, quia qui respicit Mariam, respicitur à Maria, ex cujus oculis hauritur salus. Quamobrem eadem Virgo, ut habetur in revelat. B. Gertrudis libro 4 cap. 53. dum caneretur Salve Regina, deventumque esset ad ea verba, *illos tuos misericordes oculos ad nos converte*, *Hi sunt*, inquit, *misericordiosissimi oculi mei, quos ad omnes me invocantes possum salubriter inclinare: unde & uberrimum fructum consequuntur salutis æternæ.* Et hoc est, quod modò diximus ex Anselmo, impossibile esse ut pereat respectus à Maria. Respicit autem specialiter suos clientes ac devotos, qui eam specialiter respiciunt, ut dictum est. E quibus infert Mendoza in Viridario libro 2. probl. 9. *periculosam non esse, sed securam hujusmodi loquutionem, Impossibile est damnari eum, qui beatam Virginem colit*: Quia scilicet conformis est propositioni supradictæ Anselmi, & intelligitur in sensu composito cum gratia congrua & efficaci, quam Virgo suo patrocinio suis cultoribus impetrat.

Reuel. B. Gertr.

Mariæ studiosos an impossibile sit damnari.

Gulielmi Par.

Septimum testimonium sit Gulielmi Parisiensis de Rethor. divina cap. 18. ubi ostendens quanta prædestinationis fiducia reponi possit in patrocinio Virginis, *Adibo te*, inquit, *immo etiam conveniam, gloriosissima Dei Genitrix, quam Matrem misericordiæ, & Reginam pietatis vocat, immo clamitat omnis Ecclesia Sanctorum. An poteris denegare peccatoribus interpellationis tuæ gratiam apud benedictum filium tuum. Tu, cujus gratiositas nunquam repulsam patitur, cujus misericordia nulli unquam defuit, cuius humilitas nullum unquam deprecantem, quantumcumque peccatorem, despexit? Totum quod habes gratiæ, totum quod habes gloriæ, & etiam hoc ipsum quod es Mater Dei, si fas est dicere, peccatoribus debes. Cui igitur dubium esse potest quin preces tuas, quantæcumque necessariæ esse possunt, peccatoribus debeas? Non denegabis ergo mihi quod debes: quin potiùs superaddes, maiora mihi impendens quàm debeas. Et intendo quod maiori instantia ac devotione orabis pro me, quàm ego auderem petere: & maiora etiam impetrabis mihi, quàm petere præsumam.* Et infra post multa: *Necesse ut totam te possideat misericordia. Ne steteris igitur pro iustitia contra illam: & propter hoc ne allegaveris illam* (justitiam) *contra me, qui soli misericordiæ tuæ, post filium tuum, innitor: spemque meam, post illum, totaliter in ipsa posui atque fixi.* Hoc de spe salutis post Christū totaliter reposita in patrocinio Virginis haurire potuit Parisiensis ex sancto Francisco Assisinate, de quo ita Bonaventura in eius vita cap. 9. *In Matre Domini post Christum præcipuè fidens, eam sui & suorum Advocatam constituit.* Si spes salutis à Gulielmo Parisiensi Episcopo, post Christum, totaliter reposita est in Maria: si fiducia præcipua Francisci non collocabatur in mundi contemptu, non in tot. asperitatibus pœnitentiæ, sed in Matre Domini; perspicuum est haberi speciale signum ac spem salutis ex eo quòd quis specialiter adhæ-

CCLXXV.

Bonauent.

reſcat Mariæ. Quod comprobauit ipſemet Franciſcus, dum ſuos aſſeclas, qui cadebant è ſcala rubra, in cuius culmine Chriſtus erat, ad Scalam albam mittebat, in cuius faſtigio erat Maria: per quam omnes ad cælum aſcendebant incolumes, vt notatum eſt ſuprà.

Octauum teſtimonium ſumitur ex reuelatione facta ſanctæ Birgittæ, quæ habetur libro 6. reuel. cap. 10. vbi ipſamet Deipara eam alloquens, ; *Nullus eſt* inquit, *adeo maledictus, qui, quandiu viuit, careat miſericordia. Nullus eſt ita alienus à Deo : niſi omnino fuerit maledictus, qui ſi me inuocauerit, non reuertatur ad Deum, & miſericordiam habeat.* Idem reuelauit eidem Birgittæ ſancta Agnes lib. 4. reuel. cap. 11. vbi; *Sicut*, inquit, *Sole illuminantur, & inflammantur cæleſtia & terreſtria; ſic ex dulcedine Mariæ nullus eſt, qui non per eam ſi petitur, pietatem ſenſiat.*

Birgitt. Maria nomine excludit à miſericordia.

Nonum teſtimonium ſumitur à reuelatione facta ſanctæ Catharinæ Senenſi: quam Æternus Pater alloquens, *Mariæ*, inquit, *vnigeniti Filii mei gloriosæ Genitrici à bonitate mea conceſſum eſt, propter incarnati Verbi reuerentiam, vt quicumque etiam peccator ad eam cum deuota veneratione recurrit, nullo modo diripiatur à dæmone infernali.* Recurſus & confugium ad Virginem eo modo, quo par eſt, ſignum eſt quod talis deuotus non diripietur à dæmone: & ſic, quod ſaluabitur. Ideo ſanctus Ephrem de laudibus Virginis, eam appellat *ſpem deſperantium, portum naufragantium, & auxilio deſtitutorum vnicam adiutricem.* Quod non præſtabit ſperantibus, quæ etiam adiuuat deſperantes.

Catha. Senen. Mariæ priuilegium ab æterno Patre concei

Decimum teſtimonium conflatur ex dictis eorum Patrum, qui Mariæ appellationem tribuunt Paradiſi. Sanctus Iacobus in Liturg. appellat *Paradiſum ſpiritualem.* Andreas Cretenſis orat. de Annunc. *intellectualem viuidi ſalutis noſtræ ligni Paradiſum.* Baſilius Seleuciæ Epiſcopus orat. in Annunc. *perpetuo virentem caſtitatis Paradiſum, in quo vitæ lignum plantatum omnibus fundit fructum ſalutis.* Damaſcenus orat. de dorm. *Paradiſum, in quo ſublata eſt condemnatio.* Bonauentura in ſpec. cap. 5. *Paradiſum Dei in benedictionibus multiplicium deliciarum.* Procopius in Geneſim, *Secundum Paradiſum, in quem deſcendit Deus.* Quod autem maius prædeſtinationis ſignum, quàm per deuotionis affectum iungi Mariæ, quod eſt jungi cum paradiſo? ideo Auguſtinus ſermone 10 de tempore, appellat Mariam terram promiſsionis, ex qua exploratores in ſignum poſſeſſionis botrum vuæ attulerunt, Num. 13. *Sicut*, inquit, *vua illa Chriſtum figurauit; ita & terra promiſſionis Mariæ videtur imaginem prætuliſſe.* Sicut per quadraginta duas manſiones deuentum eſt ad terram promiſſionis: ita per quadraginta duas generationes deuentum eſt ad Mariam, vt patet ex Matth. 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti* &c. *Abraham genuit* &c. Quod expendens Hieronymus epiſtola ad

Mariæ Paradiſi appellationes attributæ.

Auguſtinus.

Maria per terram promiſſionis adumbrata. *Hieronym.*

Fabiolam de quadraginta duabus mansionibus : *Quadraginta duæ*, inquit, *mansiones, per quas Israëliticus populus venit ad Iordanem, sunt quadraginta duæ generationes Abraham vsque ad Christum : in quo numeri Sacramento verus Hebræus, qui de terra transire festinat ad cælum, terram repromissionis ingreditur. Nec mirum si in huius numeri mysterio perueniamus ad Regna cælorum, sub quo Saluator à primo Patriarcha peruenit.* Iam igitur quodammodo peruenit ad Regnum cælorum: qui per affectum habitat in Maria. Idcirco dicitur Psal 86. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Quod Ecclesia aptans Virgini, *Sicut*, inquit, *lætantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei Genitrix.* Iure *sicut lætantium* : quia per hanc inhabitationem in Virgine, per spem salutis hauritur lætitia Paradisi. Quippe Deipara, vt ait Hieronymus de laudibus Virginis apud Binettum in tessera num. 31. *Thesaurus est omnis lætitiæ, origo nostræ fœlicitatis, custos æternæ vitæ, Paradisus cælestis æterni Patris.* Et, vt addit Damascenus orat. de Assumptione, *inexhaustum est gaudii pelagus, vnica mœroris obliteratio.* Denique non immeritò ab Epiphanio orat. de Arm. appelletur *radix gloriæ.* Hæc pauca delecta seorsim ex Patribus. Quoad rationes, sit

CCLXXVI. Rationes pro prædestinationis signo in affectu Mariæ repositio.

Prima ratio à priori. Quotiescumque datur medium necessarium; aut saltem valde conducens ad finem : quò magis acceditur ad tale medium : maius signum habetur assecutionis futuræ finis. Sed Maria est medium necessarium, aut saltem valde conducens ad finem salutis. Ergo quò magis ad eam acceditur, maius signum habetur assecutionis futuræ finis. Per affectum autem erga Mariam acceditur ad Mariam. Quippe, vt ait Augustinus enarrat. in Psalm. 94. *Pedes nostri in hoc itinere affectus nostri sunt. Prout quisque affectum habuerit : ita accedit, vel recedit.* Maior probatur, quia assecutio finis pendet à mediis. Ergo, quò magis acceditur ad media necessaria aut valde conducentia ad finem; magis acceditur ad finem. Ergo in hoc accessu ad media, habetur & causa & signum assecutionis futuræ finis. Quod verò Maria tale sit medium in ordine ab finem salutis, probatur, quia per illam dantur omnia dona gratiæ: quæ sunt media planè necessaria ad salutem, vt ostensum est tomo priore libro 6. q. 38. num. 29. & 30. Sicut igitur Maria se habet in ratione medii : ita se habet in ratione signi iis qui sibi applicant tale medium, impetrando, & merendo eius patrocinium speciale.

Augustinus.

Confirmatur primò ex propinquitate, quam habet Maria ad finem. Quia hoc postulat ordo hierarchicus, vt ea, quæ sunt remotiora à fine, subordinentur illi, quod est proximius fini. Sed Deipara est proximior fini : cùm ratione maternitatis Dei attingat Christum, qui est principium, & finis prædestinationis omnium aliorum. Ergo ordo hierarchicus postulat, vt cæteri prædestinati ad eundem finem, in hoc

subordinentur Deiparæ, quæ est proximior fini. Hæc autem subordinatio maximè apparet in Deiparæ studiosis: qui ad eam confugiunt, in ea spem collocant, ab ea regi se sinunt. Ergo etiam in his maximè apparet accessus ad prædestinationis finem: ac proinde in his maximè apparet prædestinationis signum.

Confirmatur secundò ex contrarietate, quam habet Maria ad omnia, quæ sunt impeditiva hujus finis. In hoc autem, præter superiùs adducta, advertenda est Mariæ singularis potentia contra dæmones. Nam contra exercitus dæmonum immitti solent exercitus numerosiores Angelorum, juxta id quod dicitur 1. Reg. 4. *Plures nobiscum sunt, quàm cum illis.* Sed contra omnes omnium dæmonum vires sola satis est Maria: sive quia, ut notant Bernardus in deprec. ad Virg. *innumerabilium beatorum spirituum multitudinem ad eius ministerium delegatam fuisse non ambigitur*: atque adeo nunquam potest prodire in aciem ita sola, ut Angelorum exercitibus non sit stipata. Sive quia ipsa etiam sola habet vires integri exercitus: & ideo Cant. 6. dicitur *terribilis ut castrorum acies ordinata.* Quare Bonaventura in spec. beatæ Virginis, lect. 2. ex D. Bernardo: *Non sic*, inquit, *timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam: sicut aëreæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum. Fluunt sicut cera à facie ignis, ubi inveniunt hujus nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem.* Iure ergo dicitur *ut castrorum* &c. Adeo dæmonibus terribilis, ut, quemadmodum affirmat Riccardus Victorinus in Cant 4. cap. suo 26. *ad eam dæmones accedere, eamque tentare non præsumpserint.* Dicitur quidem de Christo Matth. 4. *Accedens ad eum tentator*: sed ad Mariam dæmones, ex Riccardo, *accedere non præsumpserunt*: quasi magis sibi à Maria timerent, quàm à Christo: Non quòd illa potentior; sed quia, cùm Maria sit pura creatura, Christus sit homo Deus; majori sibi ducunt contemptui, dum vincuntur à pura creatura, & fœmina, quàm dum subduntur homini Deo. Ideo maximè timent congressum cum Maria, experti ejus tot victorias, quot pugnas. Immo congressurus in deserto dæmon cum Christo, hæc illum cogitatio deterrebat, quod congrediebatur cum filio Virginis. Quod notans sanctus Maximus hom. 1. de jejun. *Animabat*, inquit, *dæmonem præsumere congressum partus fœmineus: sed terrebat virginitas parientis.* Ita dæmon etiam in Christo exhorrebat umbram Mariæ. Præterea, adeo terribilis fuit dæmonibus, ut non solùm *ad eam tentandam accedere non præsumpserint*, ut dictum est ex Riccardo: sed etiam, ut addit sanctus Bernardinus Senensis tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 2. *non ausi sint in modico respicere mentem ejus, nec de magno spatio illi appropinquare.* Denique adeo Maria dæmonibus est terribilis, ut, quemadmodum notat Idiota libro de contemplat. Virginis cap. 5. *ad solam eius nominis invocationem calum*

Mariæ singularis potentia contra dæmones. 1. Reg. 4. Bernardus.

Ric. Vict.

Dæmon etiã in Christo Mariam exhorrebat. S. Maxim.

Idiota.

rideat, Angeli gaudeant, terra lætetur, conturbetur infernus. Quo in genere non prætermittam id quod mihi superioribus annis quidam Iudex narrauit de reo, qui ad quæstionem adductus, fassus est se cum dæmone familiari, quem ab hæreticis mercatoribus emerat, multo tempore esse versatum. Hunc à se missum sæpe ad álliciendas ad sui amorem mulieres, rediisse identidem conatu irrito, opere non infecto solùm, sed ne quidem tentato. Quippe qui diceret talem, vel talem mulierem, ad quam fuerat destinatus, inuentam à se recitantem Officium beatæ Virginis, aut Rosarium: *In has nihil sibi, aut suis esse potestatis, aut virium.* Ex hac veritate vel ab ipso hostium testimonio extorta facilè apparet, non solùm dæmones non præsumpsisse accedere ad tentandam Mariam, vt dictum est ex Riccardo: sed neque accedere ad tentandos veros deuotos Mariæ: & ad solam eius inuocationem dæmones contremiscere, vt modò diximus ex Bernardino Senensi. Vnde fit vt non solùm Maria, sed etiam deuotus Mariæ sit dæmonibus terribilis: ac proinde deuotio erga Mariam sit prædestinationis signum, & medium.

Mariæ studiosos dæmones tentare non audent.

CCLXXVII. Secunda ratio. Omnis affectus in Christum, est signum prædestinationis. Sed omnis affectus in Mariam, est affectus in Christum. Ergo omnis affectus in Mariam est signum prædestinationis. Maior patet ex probatis cap. 16. Minor probatur, quia omnis affectus in Mariam fertur in illam, siue secundùm quòd est mater Christi, siue secundùm dona dependentia à tali maternitate Christi; quod vltimatè in eandem maternitatem resoluitur. Ergo ratio formalis amandi Mariam, est Christus. Ergo affectus, qui fertur in Mariam, fertur in Christum, ideſt in Saluatorem: ac proinde non potest non esse signum salutis.

Petrus Dam. Confirmatur primò ex eo quod, vt notat Petrus Dam. sermone de nat. Mariæ: *Christus est in Virgine per identitatem, quia idem est quod ipsa.* Siue ex physica identitate filii ad matrem, propter communionem eiusdem carnis: siue quia in morali æstimatione faciunt vnum: & *Rupertus.* vt notat Rupertus libro 6. in Cant. *Totus honor impensus matri, in gloriam redundat filii.* Ita vt teste Arnoldo libro de laudibus Virg. *matris & filii non tam sit gloria communis, quàm eadem:* Ergo qui per affectum accedit ad Mariam, accedit ad Christum: & amor Christi & Mariæ non tam est communis, quàm idem. Ergo in Maria exhibetur nobis Christus, & sic exhibetur beatitudo & salus. In hoc autem obserua quod amor in Christum non est hoc ipso amor in Mariam: Nam, licèt aliquando studiosi Mariæ Christum ament vt filium Mariæ: tamen filiatio, quæ principalior est in Christo, est illa, secundùm quam est filius Dei: ideo secundùm hanc, amor in Christum non redundat formaliter in Mariam: cuius filiatione Christus præscindit secundùm quod est filius Dei. Contrà verò amor Mariæ, secundùm

quod

quod est mater Dei, hoc ipso redundat in Deum, ut terminum talis relationis: ex quo resultat summa amabilitas in Maria. Vnde fit ut amans matrem Dei, qua talis est, unico affectu duplici obligationi satisfaciat erga matrem, & erga filium. Sic solent sancti viri aliquos actus amoris super omnia exhibere Deo in amore Mariæ super omnia pura creata, ut matris Dei, optando omne bonum Mariæ matri Dei: summe dolendo offendisse se in suis culpis una cum Christo Mariam matrem Dei: summè gaudendo de gloria, quam habet ut mater Dei: qua quisque libenter se spoliaret, si opus esset, ut eam vestiret tanquam matrem Dei. Quo in genere non prætereundus videtur silentio actus ille eximius erga Virginem, ob quem saluatus est Carolus sanctæ Birgittæ filius: Qui ductus post obitum ad judicium, & à dæmonibus acriter accusatus, à Dei matre acerrimè defensus est: quia, ut ipsamet Virgo dixit sanctæ Birgittæ reuel. libro 7. cap. 13. *Dum eius anima in corpore erat, magnam charitatem habuit ad me, revoluens hoc sæpius in corde suo, quod me Deus suam matrem dignatus est facere: & quod super omnia creata me sublimiter voluit exaltare. Et ex hoc tanta charitate cœpit Deum diligere, quod in corde suo dicebat sic: Intantum ego gaudeo, quod Deus Virginem Mariam matrem suam habet super omnia charissimam, ut nulla corporalis delectatio sit in mundo, quam ego in permutationem huius gaudii reciperem: immo illud gaudium omnibus terrenis delectationibus præferrem. Et si possibile esset quod ipsa in uno puncto minimo à dignitate, in qua est, à Deo remotior fieri posset; ego magis mihi in permutationem eligerem in profundo inferni æternaliter cruciari. Idcirco sit Deo pro gratia, & gloria, quam dedit matri suæ dignissimæ, infinita gratiarum actio.* Ecce actum amoris super omnia erga matrem Dei, qua talis est, redundantem in amorem super omnia circa Deum. Hi maximè actus circa Mariam, & media prædestinationis sunt, & signa. Quippe Mariam diligens à Maria diligitur, juxta illud Prou. 8. *Ego diligentes me diligo*: & qui diligitur à Maria, diligitur à Christo. Sicut enim Christus dixit, *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*, Ioan. 14. ita dicere potest Maria, Qui diligit me, diligetur à filio meo. Confirmatur, quia hic ipse modus ascendendi ad Deum, mediante Maria, est juxta voluntatem ipsius Dei. Sicut enim Deus sibi complacuit ut omnia dona ad nos descenderent per Mariam, ut probatum est priori tomo libro 6. q. 38. num. 29. & 30. ita sibi complacet ut omnes nostræ preces ac vota ad eum ascendant per Mariam. Et sicut Mariam elegit, per quam daretur Christo donum substantiale unionis, & per quam darentur nobis omnia alia dona supernaturalia, veluti dimanantia à Christi unione; ita eandem Mariam elegit, per quam omnes nostræ preces, & affectus refunderentur in Christum. Idcirco Bernardus sermone de aquæductu, *Quidquid*, inquit, *offerre Deo paras,*

In Mariæ amore Dei amor includitur.

Birgittæ.

Proverb. 8.

Ioan. 14.

Maria mediatrix Dei, & hominū.

Mariæ commendare memento : ut eodem alueo ad largitorem gratiæ redeat, quo fluxit. Ita sicut est mediatrix donorum Christi ad Ecclesiam, sic est mediatrix votorum Ecclesiæ ad Christum : ac proinde hic, ut ita dicam, recursus, & confugium ad Deum per Mariam, magis consonat ordini hierarchico ab ipso Deo præfixo, quàm recursus, & confugium immediatè ad Deum.

Exemplum, quo explicatur ad Deiparam esse recurrendum immediatè.

Exemplum peti potest ab eo, qui maximè pollet gratia apud Principem, Italicè appellant, *il privato del Prencipe.* Huic ita Princeps Regni totius administrationem tradit, ut negotia non transigantur nisi per ipsum : ita ut neque libelli supplices subditorum deferantur ad Principem, nisi mediante, ut ita dicam, privato Principis: neque gratiæ à Principe deferantur ad subditos, nisi eodem mediatore. Vnde fit, ut qui pollet magis gratia apud privatum, magis etiam polleat gratia apud Principem : cùm unum censeantur velle & posse Principis, & privati. Ac proinde, signum majus aut minus doni alicujus maximi à Principe impetrandi, est major aut minor gratia apud privatum Principis. Eodem modo philosophandum est de signo prædestinationis, prout quisque magis vel minùs pollet gratia apud Mariam, cui Christus perfectissimo modo in administratione Ecclesiæ militantis & triumphantis tradidit primatum, Italicè *la privanza.* Si igitur uniucujusque negotium benè aut meliùs dirigitur, prout majore aut minore conatu suscipitur à privato : ita negotium nostræ salutis benè aut meliùs dirigitur, prout id minùs aut magis suscipitur à Maria : quippe habet idem posse, & velle cum Christo. Nam, ut ait Arnoldus tractatu de laudibus Mariæ, *una est Mariæ & Christi caro, unus est spiritus ; ex quo dictum est ei, Dominus tecum.* Quia igitur libelli supplices, qui ad Principem per manus non deferuntur privati, patiuntur repulsam ; ideo, ut monet Bernardus sermone de Nativ. Virg. *quod Deo offerre vis, Mariæ manibus tradas, si non vis sustinere repulsam.*

CCLXXVIII. *Arnold.*

Bernard.

In hoc autem Deus optimus Princeps optimè nobis consuluit. Primò, quia elegit ad id muneris inter puras creaturas præstantissimam, quæ longissimo intervallo cæteras antecelleret. Secundò, quia elegit creaturam nostri generis, nempe puram creaturam, & naturæ humanæ : cui possit dicere unusquisque, ex Gen. 29. *os meum, & caro mea.* Tertiò, quia elegit matrem. Matri autem Regis nullus dedignari potest subesse subditorum Regis.

Gen. 29.

Illustratur hoc ex antiqua Hebræorum traditione. Nam, ut testatur Canisius de B. Virgine lib. 1. *Hebræi inter arcana sua celeberrimum ducunt, unam inter creaturas omnes longè præstantissimam esse, quam ipsi mitraton, hoc est Principem facierum, appellant : eò quòd semper stat ante faciem summi Imperatoris, & jus habet ad ejus præsentiam benemeritos introducendi. Animadversum est autem ab eruditis,*

Canisius.

Mariæ nomen cum illo mitraton haud perperam conuenire. Non poterat clariùs explicari munus, vt vocant, *Priuati* totaliter commissum Mariæ. Quia igitur æternus Pater filio *omnia dedit in manus*, Ioan. 13. Filius ordine quodam, vt dictum est, hierarchico omnia dedit in manus matris: ita vt sicut filius mediator est apud Patrem, ita mater mediatrix sit apud filium. Quippe, vt notat Bernardus sermone in signum magnum, *opus est mediatore ad mediatorem : nec alius nobis vtilior quàm Maria.* Prout igitur quisque maiorem aut minorem accessum habet ad Mariam; maiorem aut minorem accessum habet ad Christū, à quo vltimatè pendet prædestinatio. Ergo mensura signi maioris aut minoris nostræ prædestinationis sumenda potissimùm est à maiori vel minori accessu ad Mariam. *Bernard.*

Tertia ratio ducitur à pari, siue à fortiori. Affectus insignis erga alios sanctos prædestinationis est signum. Ergo multò magis affectus insignis erga Mariam. Antecedens probatum est cap. 9. Consequentia patet à fortiori. Primò quia oratio aliorum sanctorum fundatur tantùm in misericordia ex parte Dei : oratio Deiparæ fundatur in aliquo iure quasi iustitiæ ex parte ipsius. Quod discrimen notans sanctus Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 17. §. 4 *Oratio*, inquit, *Sanctorum non innititur alicui rei ex parte sui, sed tantùm misericordiæ ex parte Dei. Oratio autem Virginis innititur gratiæ Dei, iuri naturali, & iustitiæ Euangelii. Nam filius non tantùm tenetur honorare matrem, sed obedire : quod est de iure naturæ.* Et infra subdit, *orationem Deiparæ habere rationem iussionis, & imperii.* Quod idem dicit Petrus Damian. serm. 1. de Nat. Virg. vbi : *Accedit*, inquit, *ad aureum humanæ conciliationis altare non rogans, sed imperans ; domina, non ancilla.* Quod si preces Principum sunt iussa ; vtique erunt veluti iussa preces Mariæ, quæ Deo quodammodò principatur. Quippe, vt ait Bernard. homil. 1. super missus est, Maria *sublimitas est sine socio, quod Deo fœmina principetur.* Mariæ oratio in aliquo iure fundatur. *Antonin.* *Petr. Dam.* *Bernard.*

Secundò, oratio aliorum sanctorum potest aliquando esse inefficax : oratio verò Deiparæ semper est efficax. Idcirco idem S. Antoninus loc. cit. *Impossibile est*, inquit, *Deiparam non exaudiri, iuxta illud quod in figura eius dixit Salomon matri suæ : Pete mater mea, neque enim fas est vt avertam faciem meam.* Quod si Christus dicitur ad Hebr. 5. à Patre *exauditus esse pro sua reuerentia*, ratione filiationis : etiam Maria exauditur à filio *pro sua reuerentia*, ratione maternitatis. Quantam reuerentiam matri exhibeat Christus, facilè intelligi potest ea, quam matri exhibuit Salomon Christi figura. Habetur enim 3. Reg. 2. *surrexit Rex in occursum eius*, (matris) *adorauitque eam : & sedit super thronum suum. Positusque est thronus matri Regis : quæ redit ad dexteram eius.* Quæ S. Bernardin. tom. 3. serm. 11. art. 2. applicans Virgini in Assumptione : *Contem-* Mariæ oratio semper est efficax. *Antoninus.* *Hebr. 5.* *3. Reg. 2.* *Bernardi.*

plare, inquit, *mirificam obuiationem : quia surrexit Salomon in occursum matris suæ. Mirificam adorationem : quia adorauit eam. Altissimam sublimationem : quia positus est thronus matri Regis. Immediatissimam coniunctionem : quia sedit ad dexteram eius.*

E quibus apparet discrimen inter patrocinium Mariæ, & aliorum sanctorum. Siquidem cæteri patrocinantur adorantes : hæc autem patrocinatur adorata, sedens ad dexteram filii : sicut Filius sedet ad dexteram Patris. Idcirco patrocinium Mariæ est altioris ordinis : & , vt ait Germanus serm. de zona, *patrocinium Virginis maius est, quàm vt intelligentia apprehendi possit.* Quamobrem Georgius Nicomed. or. de obl. deiparæ, dixit eam *in petitione habere vires, & robur inexpugnabile : nihil eius resistere potentiæ : omnia eius obedire imperio : omnia eius potestati seruire.* Ideo etiam, vt aduertit Suarius tom. 2. in 3. part. disp. 23. sect. 2. *si fingamus Beatam Virginem aliquid postulare, totamque cælestem curiam illi resistere, potentior esset, maiorisque efficaciæ, & valoris apud Deum Virginis, quàm reliquorum omnium sanctorum oratio.* Et oratio à priori est, quam tradit Damascenus or. 1. de dorm. quia *matris Dei, & seruorum Dei infinitum est discrimen.* Ergo multò maius signum prædestinationis constituitur in patrocinio Virginis, quàm in patrocinio non solùm vnius, aut alterius; sed etiam omnium simul sanctorum : quos tamen adhibere possumus vt patronos apud eandem Virginem, vt notatum est tomo priore lib. 6. quæst. 38. num. 43. Quamobrem Augustinus apud Bonauenturam in spec. cap. 6. Mariam alloquens : *Vnam ergo*, inquit, *ac te solam pro nobis fatemur in cælo esse sollicitam.* Siue quia tanta est pro nobis sollicitudo Mariæ, vt respectu illius aliorum sanctorum sollicitudo perinde sit, ac si non esset. Siue quia sollicitudo sanctorum pro nobis non est nisi mediatrice Maria : & ideo tota in solam refunditur Mariam.

Germanus. Georg. Nic.

Mariæ efficacior oratio quam totius cœlestis curiæ. *Suarez.*

Augustinus.

CCLXXIX. Tertiò cæteri sancti non possunt nobis patrocinari ad salutem, nisi per modum impetrationis : Deipara verò, præter efficaciam impetrandi, affert ad salutem ius merendi. Quippe meruit de congruo omnibus prædestinatis omnia, & singula dona gratiæ, vt probatum est tom. 2. theol. lib. 3. quæst. 7. num. 10. Habuit præterea quasi ius præsentandi certum numerum prædestinatorum, quos ipsa determinasset, vt probatum est ibid. quæst. 10. num. 12. Ergo, si plus à Deipara ad prædestinationem confertur, quàm à sanctis omnibus etiam simul acceptis; multò maius in Patrocinio eius reponitur ad prædestinatorum præsidium. Patrocinium autem hoc maximè debetur Deiparæ studiosis : & sic studium erga Deiparam prædestinationis est signum multò maius, quam studium quantumuis insigne erga sanctos cæteros.

Quartò, proprium & specialè est Deipara impetrare perseueran-

tiam finalem, vt ostensum est tomo priore lib.6. quæst.38. Ex hac autem pendet vltimatè prædestinatio, iuxta illud Matth.10. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Ergo signum speciale perseuerantiæ finalis futuræ est specialis coniunctio cum Deipara, per quam tale donum confertur. Patet id in Carolo illo S.Birgittæ filio, de quo supra. Cui studiosissimo Virginis illa astitit in articulo mortis, vt loco cit. reuelauit S. Birgittæ, *sicut mulier alteri mulieri parienti astans, vt iuuet infantem: ne in illo arcto spatio, per quod exit, suffocaretur: custodiens animam à dæmonibus, quod nullus eorum eam posset attingere.* Deipara igitur circa suos studiosos munus exercet obstetricis in exitu animæ à corpore: qui est dies natalis electorum, eos pariens æternæ vitæ. De hoc Deiparæ patrocinio erga suos clientes, quos adiuuat in vita, in morte, & post mortem, Idiota in Complet. Virginis: *Adiuuat*, inquit, *in vita præsenti tam bonos quàm malos: bonos in gratia conseruando, vnde canimus, Maria mater gratiæ: malos ad misericordiam reducendo, ideo dicitur, Mater misericordiæ. Adiuuat etiam in morte ab insidiis diaboli protegendo, ideo dicitur, Tu nos ab hoste protege. Adiuuat quoque post mortem animas suscipiendo, ideo dicitur, Et hora mortis suscipe.* *Birgittæ.*

Quarta ratio. Omnis prædestinatus est Christi frater, iuxta id quod dicitur ad Rom.8. *vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Ergo omnis prædestinatus est filius Mariæ, quæ mater est Christi. Ergo signum prædestinationis est affectus filialis in Mariam: per quem quis cognoscitur eius filius, & sic frater Christi.

Confirmatur primò, quia Maria dicitur à Sanctis Patribus *mater viuentium*, idest electorum, qui in Scripturis dicuntur *viuentes*, vt notatum est supra num.247. Ergo, qui signum habet filiationis erga Mariam, signum habet quod adnumeretur inter viuentes, idest inter electos.

Confirmatur secundo, quia cùm vnicus filius Mariæ sit Christus; qui per affectum euadit filius Mariæ, transformatur quodammodò in Christum: ita vt possit dicere cum Paulo ad Gal.2. *Viuo ego, iam non ego: viuit vero in me Christus.* Quod animaduertens Origenes Præfat. in Ioannem: *Mariæ*, inquit, *filius est Dominus Iesus Christus, & omnis is qui perfectè est Christianus. Qui enim huiusmodi est, non amplius viuit ipse, sed in ipso viuit Christus: & ideo de eo dici potest Mariæ, Ecce filius tuus Christus.* *Origenes.*

Confirmatur tertiò, quia qui habent Mariam vt matrem, habent Deum vt patrem. Quippe respectu cuiuslibet creaturæ nomen patris correlatiuum ad matrem: & ideo, cùm in Oratione Dominica Deum inuocamus vt patrem, tacitè Mariam agnoscimus vt matrem. Quod acute aduertens Tertullianus libro de or. cap.2. *Sic ergo*, inquit, *vos orabitis, Pater noster. In Patre filius inuocatur: nec mater* *Tertull.*

quidem præteritur. Siquidem in Patre & filio recognoscitur mater.

Mariam in Oratione Dominica, tacitè agnoscimus ut matrem. CCLXXX

Confirmatur quartò, quia electi assimilantur parvulis, juxta id quod dicitur Matth. 18. *Nisi efficiamini sicut parvulus, non intrabitis in regnum cælorum.* Affectus autem tenerior puerorum magis est circa matrem quàm circa patrem: cùm in hoc interdum alperitatem ac minas, in matre semper blanditias experiantur. Ideo deterriti, & pulsi à patre, confugiunt ad sinum matris: illi querelas exponunt: illi lachrymas exhibent: illi, dum mulcentur, arridents. Similia præstant Virginis studiosi: qui, si teneriorem affectum experiuntur in Mariam quàm in Christum, signum in hoc exhibent, quod agnoscunt Christum ut patrem, Mariam ut matrem. Ad cujus maternum sinum dum sive in prosperis, sive in adversis confugiunt, signum in hoc prædestinationis præferunt, quòd in ejusdem sinu æternaliter requiescent.

Sinus Abrahæ in Mariæ sinum est permutatus. *Guerricus.*

Sinus quippe Abrahæ, in quo priùs conquiescebant electi, in sinum Mariæ multò feliciùs permutatus est. Ideo Guerricus Abbas hom. 1. de Assumptione: *Nullatenus*, inquit, *censendum est majoris esse felicitatis habitare in sinu Abrahæ, quam in sinu Mariæ: cùm thronum in ea posuerit Rex gloriæ.*

Confirmatur quintò, quia Maria filiorum suorum salutis curam gerit, ut circa eosdem non matris solùm, sed patris etiam munus exerceat. Sicut enim illa est quodammodò respectu Christi mattipater; ita etiam respectu electorum, qui sunt fratres Christi: ut hi in omnibus Christi imaginem præferant. Idcirco fortasse dicitur Prov. 4. *mulierem fortem*, sive, ut alii, *mulierem masculam quis inveniet?* & Cant. 6. *pulchra ut Luna.* Nam, ut dicit Plato in convivio, *Luna utriusque sexus particeps*: eò quòd propter proximos influxus, quos Luna habet ad generationem, maris & fœminæ vices suppleat. In quo observandum, etiamsi Sol in ordine ad generationes principaliùs se habeat, quàm Luna: tamen hæc sublunaria agnoscere sua incrementa & decrementa à Luna magis quàm à Sole. Sive quia Luna proximior: sive quia influxus ipsi Solis ad nos transeunt attemperati per Lunam. Quod idem proportionaliter dici potest de Christo & Maria, in ordine ad generationes spirituales. Quamvis enim Christus principaliùs se habeat, nempe ut sol, Maria minùs principaliter, nempe ut Luna: tamen incrementa aut decrementa spiritualia magis sensibiliter apparent per influxus Mariæ, quàm Christi, Lunæ, quàm Solis. Sive quia Maria nobis proximior, tanquam pura creatura: sicut Luna orbi sublunari proximior est quàm Sol. Sive quia influxus & dona ipsiusmet Christi ad nos transeunt per Mariam. Siquidem, ut ait Bernardus sermone 3. de Nativitate Virginis, *Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret*: sicut nihil à Sole ad nos demittitur, nisi transeat per cœlum Lunæ. Sicut igitur effectus sublunares, quasi totaliter referuntur ad Lunam, tanquam ad causam

Bernard.

proximiorem ; mediante qua, communicatur virtus inferioribus : ita effectus supernaturales, qui *descendunt à Patre luminum*, Iacobi 1. quoad ultimum complementum, quasi totaliter referri possunt ad Mariam, tanquam ad causam proximiorem, mediante qua à Deo ad nos transeunt. Vnde fit ut signum prædestinationis valde proximum sumatur ex affectu & subordinatione ad Mariam, tanquam ad causam salutis minùs principalem quàm Christus, sed magis proximam, modo explicato. Et ideo dixi, quod Maria in ratione causæ proximæ, est veluti matripater respectu electorum : cùm ipsamet dona æterni Patris ad nos deveniant per Mariam.

Mariæ neque voluntas deest ad saluandos nos, neque potestas.

Confirmatur sextò hoc signum prædestinationis fundatum in filiatione Mariæ : quia matri huic nostræ, quæ simul mater est Dei, neque voluntas deest salvandi suos speciales filios, neque potestas. Quod perpendens Bernardus serm. 1. de Assumptione : *Nec facultas*, inquit, *illi deesse potest, nec voluntas ; nisi fortè aut non creditur Dei filius honorare matrem, aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera : in quibus ipsa, qua ex Deo est, charitas nouem mensibus corporaliter requievit.*

Quod ad voluntatem spectat, omnes affectu salvandi complectitur : & eo majori affectu misericordiæ, quo videt miseriores, & ab aliis omnibus derelictos. Ideo Bernardus apud Bonaventuram in spec. cap. 5. *Maria*, inquit, *Tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu amplecteris, foves nec deseris, quousque horrendo Iudici miserum reconcilies.* Hæc ex parte Mariæ. Ex parte verò peccatorum satis est Mariæ affectuosa invocatio. Nam, ut ipsam alloquens ait Bernardus sermone 4. de Assumptione: *Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui invocatam te necessitatibus suis sibi meminerit defuisse.* Eutychianus etiam in vita Theophili, *O domina*, inquit, *mea, defensio generis humani, portus & protectio eorum qui ad te confugiunt. Quis unquam tuam fideliter rogavit opem, & fuit deiectus; reverà nullus vnquam.* Ideo meritò concludit sanctus Bernardinus Senensis tomo 3. serm. 11. art. 14. quod *omnes, qui volunt, participes fiunt gratiæ eius.* E quibus patet non deesse ex parte Mariæ affectum salvandi.

Bernard. *Euthychia.* *Bernardin.*

Quod verò attinet ad potestatem, ut notat Petrus Dam. serm. 1. de Nat. *Data est illi* (Mariæ) *omnis potestas in cælo & in terra. Nihil illi impossibile, cui possibile est revelare in salutis spem desperantes.* Anselmus etiam libro de laudibus Virginis cap. 12. *Te*, inquit, *Deus sic exaltavit, ut omnia tibi secum possibilia esse donaverit. Tu velis, & nequaquam fieri non poterit.* Idem tradit Bonaventura in spec. cap. 5. ubi, *Quia Dominus*, inquit, *potentissimus tecum, ideo tu es potentissima secum* : potentissima per ipsum, potentissima apud ipsum. Quamobrem sancta Birgitta in revel. libro 4. cap. 74. *Quid*, inquit,

Anselmus. *Bonauent.*

est : quod poteris ? Quod enim tu vis , hoc factum est. Non dicit *fit* sed *factum est*. Satis quippe est quod Maria velit , vt id quod vult, non tam sit faciendum quàm factum. Vnde infert Anselmus libro de excellentia Virg. cap. 12. impossibile esse, eum esse reprobum, cuius Maria velit salutem. *Tantummodo* , inquit , *velis salutem nostram, & verè nequaquam salui esse non poterimus.* Quo in genere circumfertur effatum illud ex Damiano ; *Æternum væ non sentiet , pro quo semel orauerit Maria.* Quam ex hoc prædestinationis spem concipiet, qui affectum filialem habet circa Mariam ; cùm videat prædestinationem suam sitam esse in manu matris , cui ita est facile , vt vel
CCLXXXI. vnica eius petitio sufficiat ad salutem ? Affui cuidam Patri nostræ Societatis morti proximo , qui cùm in procuranda animarum salute fuisset valde sollicitus , ita Virginem moriens est alloquutus. Ego effeci pro meo modulo , vt tibi sæpius genua flecterent plurimi: Tu semel genu flecte pro me , & saluus ero. Ita igitur secum ratiocinari potest, Virginis studiosus. Maria mater mea est, etiam si ego peccator sim. Quippe , vt ipsamet reuelauit S. Birgittæ lib. 4. reu. cap. 138. *mater est omnium peccantium se emendare volentium.* Si igitur ab ea humiliter petiero vt pro mea salute oret , repulsam non patiar filius à matre. Nempe , vt loquar cum Episcopo Parisiensi , *hoc procul dubio peto , quod illi maxime gratum ac placitissimum certissimè scio.* Non poterit igitur mihi denegare quod peto. Si illa pro mea salute orabit, non poterit illi filius denegare quod petit : cum sit communis vox & sensus Ecclesiæ, nunquam Mariæ petitionem à filio passam, esse repulsam. Nempe , vt ait Arnoldus, *securum accessum homo habet ad Deum , vbi mediatorem suæ causæ filium habet ante Patrem , & ante filium matrem.* Christus Patri ostendit latus , & vulnera. Mater Christo pectus , & vbera. Non poterit esse repulsa , vbi concurrunt & orant omni lingua disertiùs hæc clementiæ monimenta , & charitatis insignia: quando videlicet petitur vt pro nostra causa loquantur sanguis Christi, & lac Mariæ. Hæc de ratione petita ex affectu filiali erga Mariam.

Birgitta.

Mariæ oratio nunquã passa est repulsam. *Arnold.*

Probatur idem quartò principaliter à posteriori, idque quadruplicitèr. Apparet enim id primò à posteriori, animaduertendo quanti fecerint sancti viri deuotionem erga Virginem: & quantum in ea constituerint præsidium salutis. De hoc plurima Spinellus lib de B Virg. toto cap. 35. & nos supra num. 273. & seq. Satis nunc sit repetere illud Bernardi ser. super missus est. *Hæc (Maria) est tota mea fiducia : hæc est tota ratio spei meæ.*

Bernardus.

Apparet secundò animaduertendo, quanti fecerit ipse Christus filiationem Mariæ. Sicut enim Maria ex dignitate maternitatis, vt notat S. Thomas 3. part. qu. 28. art. 3. ad 6. *in Euangelio non consueuit nominari nisi cum cognominatione huius dignitatis , quod sit mater Iesu :*

S. Thom. Maria ut mater Iesu in E-

ita

ta Christus non consuevit nominari nisi cum cognominatione huius dignitatis, quod sit filius Mariæ. Quippe Christus, ut notat Augustinus lib. 2. de cons. Evang. cap. 1. *filium hominis se ipse sæpissimè appellat, commendans nobis, quid misericorditer sit dignatus esse pro nobis.* Cum autem esset & Dei filius, & Dominus universorum, prætermissis sexcentis clarissimis titulis, quibus à propheticis oraculis insignitur, vix unquam alio se titulo appellat, quàm *filium hominis*, nempe filium Mariæ : ex qua adæquatè carnem atque humanitatem desumpsit.

uangelio semper cognominata. *Augustin.*

Observandum etiam est à protomartyre Stephano Christum appellatum esse filium hominis, cum dixit, *ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* Act. 7. cum potiùs visus ut *stans à dextris Dei* appellari debuisset filius Dei. Quod advertens S. Maximus hom. de S. Steph. *Considerate*, inquit, *attentiùs, cum Christum ad dexteram Dei Patris stare vidisset, cur se filium hominis videre testatus est, & non potiùs filium Dei.* Huius duplex ratio reddi potest, sive quia surrexerat Christus ad auxilium præstandum Stephano ut filius Mariæ : nempe motus eius precibus. Quæ ut habetur in monumentis terræ sanctæ apud Adricomium, Brochardum, & alios, genuflexa orabat, cum Stephanus lapidaretur : reseratis cælis non tam ad Stephani lapides, quàm ad preces Mariæ. Sive filium hominis appellavit, ut in hoc se Christi beneplacito conformaret : qui hoc maximè titulo gloriabatur, sæpissimè se filium hominis appellans, idest filium Mariæ. Idque tanti Christus fecit, ut quoniam hæretici insurrecturi erant asserentes Christum fuisse ex materia impassibili cælesti, & sic negantes desumpsisse carnem passibilem ex Maria : ex hoc motivo, inter cætera, passionem, & mortem subiit, ut ostenderet se filium Mariæ. Quod affirmans Ildefonsus serm. de Nat. Mariæ : *Vt Mariam*, inquit, *veram matrem ostenderet, verum se hominem patiendo tormenta monstravit.* Si tanti fecit filiationem Mariæ Christus caput & dux prædestinatorum, ut pro hac filiatione mortem subierit : hoc profectò prædestinatorum est proprium ut quodlibet patiantur, quo se ostendant veros filios Mariæ.

Apparet idem tertiò animadvertendo quanti idem Christus fecerit in aliis hanc filiationem Mariæ ; idque tum in justis, tum in peccatoribus. In justis quidem convinci potest ex eo, quod cum Petro post trinam negationem dederit primatum Ecclesiæ ; Ioanni, qui per antonomasiam dicebatur *discipulus ille, quem diligebat Iesus*, dedit filiationem Mariæ, cum in cruce pendens dixit, *Mulier ecce filius tuus : deinde discipulo, ecce mater tua.* Quamobrem majoris dilectionis fuit signum tradita discipulo dilecto filiatio Mariæ, quàm cõmissa Petro paternitas totius Ecclesiæ. Vnde patet quanti debeat ab vnoquoque æstimari hæc devotio erga Mariam : quod idem est, ac

CCLXXXII specialis eius filiatio: quæ à Christo antefertur ipsi primatui Ecclesiæ. Et signanter dicitur tradi *discipulo, quem diligebat Iesus:* vt ostendatur deuotio filialis erga Mariam esse signum dilectionis specialis Christi erga deuotum: & sic signum prædestinationis. Quamobrem idem Christus, cum aliquod gloriæ pignus exhibere vellet in monte Thabor, *assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem* Matth. 17. Petrum, cui daturus erat primatum Ecclesiæ: Iacobum, cui daturus erat inter Apostolos primatum martyrii: & Ioannem, cui daturus erat primatum filiationis Mariæ. Hanc rationem tangit Ambrosius in cap. 9. Lucæ, licèt discrepet in Iacobo. *Assumpsit*, inquit, *Petrum, &c. Petrus ascendit, qui claues cælorum accepit. Iacobus, qui primus solium sacerdotale conscendit.* (Hoc videtur competere potius Iacobo minori qui primus Hierosolymorum Episcopus creatus est) *Ioannes, cui committitur mater.* Filiatio igitur Mariæ destinata Ioanni ratio fuit, vt illi exhiberetur prædestinationis pignus in monte Thabor. Addit Origenes tom. 5. præf. in Ioan. ideo Ioanni reuelata esse specialiùs altissima diuinitatis Verbi mysteria, quia filius erat specialis Mariæ, *Nullus*, inquit, *adeo purè manifestauit Christi diuinitatem vt Ioannes. Audeamus dicere primitias Scripturarum omnium Euangelium esse: Euangeliorum verò primitias Euangelium à Ioanne traditum: cuius sensum percipere nemo potest nisi qui super pectus Iesu recubuerit, vel acceperit à Iesu Mariam: quæ etiam ipsius mater fiat.* E quibus liquet quanti fiat à Christo hæc filiatio specialis Mariæ: quam ipse iustis omnibus tradidit in Ioanne.

Ioannes propter Mariæ filiationem in monte Thabor pignus habuit gloriæ. *Ambrosius.*

Origenes.

Quanti etiam Deus faciat in peccatoribus deuotionem, seu affectũ filialem in Mariam, animaduerti potest recensendo quot peccatores vel perditissimi per hoc medium prædestinati, & saluati sint. De his innumerabilia suppetunt exempla, quibus integri referti sunt libri. Antiquitatem decorat Maria Ægyptiaca. Quæ, vt narrat Sophronius in eius vita, ex flagitiosissima meretrice ad fastigium euecta est sanctitatis. Quia diuinitùs reiecta ne cum cæteris intraret in templum, ad imaginem Mariæ conuersa eam enixè rogauit, vt pro se fideiuberet apud filium de nouitate vitæ, quam spondebat. Recentius est id, quod de Innocentio Tertio traditur à Thoma Cantipratensi in vita B. Lutgardis lib. 2. vbi dicitur is apparuisse Lutgardi testatum se *tres ob causas cruciari: quæ etiam æternis suppliciis iustissimè addixissent: nisi*, inquit, *per interceſſionem piissimæ matris, cui monasterium condidi, in extremis me pœnituisset: sed vsque ad diem iudicii pœnis atrocissimis cruciabor.*

Mariæ erga latronem quendam patrociniũ.

Non omittam recentissimum exemplum, quod mihi tanquam sibi compertum narrauit Episcopus spectatissimæ fidei, de quodam duce latronum. Cui, cum paucis ante annis prope vrbem Italiæ celeberrimam in ditione Pontificia grassaretur, adducta est à sodalibus egre-

giæ formæ adoleſcentula. Hæc ab illo ſupplex petiit, ne circa eam impurum aliquid attentaret, idque poſtulauit enixè propter amorem Mariæ. Vicit ardorem libidinis quidam in latrone erga Mariam religioſus igniculus : neque ſolùm intactam dimiſit, ſed etiam ne ab aliis vllam ſubiret injuriam, ad certos vſque fines duxit incolumem : illud, cùm dimitteret, rogans vt ſe illi commendaret Mariæ, cui tantopere eſſet addicta. Nocte proxima per quietem apparuit illi auguſtiſſimo vultu Regina; quæ benignis intuens eum oculis, & comiter alloquens, placuiſſe ſibi dicebat id quod ipſe pridie in ſui gratiam geſſerat : ſeque illius opportunè, & in loco recordaturam. Euanuit mox ſomnus ab oculis, ſomnium è mente : quod ille inane & fortuitum exiſtimauit. Paulò pòſt captus, atque in carcerem conjectus eſt. Nocte, quæ anteceſſit ſupplicium, iterum Regina eadem ſe in ſomnis exhibens interrogauit, an eam agnoſceret? Reſpondenti meminiſſe ſe aliquando eandem imaginem ſibi obſeruatam, reuocauit in mentem, quæ antea dixerat : apparuitque illi ſe Mariam eſſe cæli ac terræ Reginam : in cuius obſequium ab adoleſcentulæ ſui ſtudioſæ contactu religiosè abſtinuerat. Adueniſſe ſe vt operi præmium redderet, nempe poſt ſupplicium, æternam gloriam. Excuſſit rei magnitudo ſomnum ex oculis: & iam diuino ille inſtinctu factus certior; & Reginam ſibi cælorum apparuiſſe, & æternam ſalutem eſſe pollicitam præ lætitia exiliens vrgebat vt quamprimùm duceretur ad ſuſpendium ac trabem, quam nouerat euaſuram ſibi eſſe pontem ad vitam. Mirari omnes in eo mixtum ſummo dolori pat gaudium: cum & incredibilem pœnitudinem exhiberet de culpis, & non imparem alacritatem afferret ad pœnam. Duci ad necem crederes non latronem, ſed martyrem : commutato in triumphum ſupplicio. Detexit ille confeſſario cauſam inſoliti tum doloris, tum gaudii : poteſtate facta vt rem omnibus aperiret. Quod mox ille è ſcalis præſtitit, ſumma populi gratulatione effuſi in lætitiæ lachrymas, ac ſummam Deiparæ miſericordiam acclamantis : cum interea cadauer pendere conſpiceretur è trabe, vultu quodam auguſtiore ac beatitatem ſpirante. Hæc & his ſimilia ſæpiſſimè Virgo præſtitiſſe legitur peccatoribus, præſertim latronibus, qui eximio aliquo eam affectu ſint proſequuti: vt narrant Anſelmus in lib. mirac. Thomas Cantipr. lib. 2. Ap. cap. 29. part. 18. & Pelbartus in ſtellario Virginis lib. 2. part. 2. art 1. ex quo Spinellus lib. de B. Virg. cap. 34. num. 24. CCLXX XIII.

Neque id mirum. Hæreditaria enim eſt Mariæ miſericordia in latrones : ex quo Ieſus è Cruce Latronem vocauit ad Regnum. Quem etiam conuerſum fuiſſe ob beneficium Mariæ præſtitum, cùm fugeret in Ægyptum, refert Anſelmus libro ad ſororem, Landulphus de vita Chriſti part. 1. cap. 13. Dioniſius Richelius tom 2. in Reg. annot. 12. ſect. & alii. Nec deſunt, qui tradant eum ad lumen fidei veniſſe

ex vmbra Mariæ, dum cruci astaret, versùs eum proiecta, vt notatum est supra num. 266. Certè conuersionem boni Latronis Mariæ tribuit Epiphanius sermone de laudibus Mariæ, vbi, *Hæc*, inquit, *Paradisum clausum aperuit, & per Latronem rursum Adamum complantauit*: quia scilicet post Adamum eiectum è Paradiso, Latro primus audiuit, *Hodie mecum eris in Paradiso*: quod totum Mariæ operâ factum hîc asserit Epiphanius. Hæc pauca libasse satis de peccatoribus prædestinatis per pietatem, & studium in Mariam.

Contra prædicta argui potest sic. Si deuotio erga Virginem prædestinationis est signum, etiam in peccatoribus; nemo, aut ferè nemo inuenitur sceleſtis inter fideles, qui deuotionem aliquam non habeat erga Virginem. Ergo nemo, aut ferè nemo est inter fideles, qui non sit prædestinatus. Hoc autem est contra id quod docent Patres de paucitate prædestinatorum etiam inter fideles: quod nos quoque probaturi sumus tract. seq.

Respondeo primò, transeat antecedens; nego consequentiam. Aliud est enim habere signum aliquod prædestinationis: aliud est esse prædestinatum. Sumus enim in signis conjecturalibus: è quibus vnum vel alterum non satis est ad infallibilem veritatem rei. Sicut igitur in rebus medicis signa sunt multa recuperandæ sanitatis, quæ seorsim accepta sunt valde conjecturalia & fallibilia: si verò plura ex iis adunentur, faciunt certitudinem moralem, ita &c. Respondeo secundò. Nego quamlibet deuotionem erga Virginem, esse signum prædestinationis. Vt enim tale sit, requiritur aliqua ex his tribus conditionibus.

Deuotio erga Mariam ad hoc vt sit prædestinationis signum, quæ requirantur. Primò vt deuotio sit constans. CCLXXXIV.

Prima conditio, vt obsequiũ quod aliqua in re exhibetur Virgini, sit constans & perseuerans, etiam cùm adsunt circumstantiæ arduæ: v. g. vt recitetur illi Rosarium, vel Corona, vel Officium diebus singulis: ita vt obstante quotidie impedimento superabili talis deuotio non interrumpatur, sed fiat etiam à semisomni. Idem dicitur aut de ieiunio singulis Sabbatis: aut de ieiunio in solo pane & aqua in septem vigiliis septem festorum Virginis, & similibus abstinentiis: ita vt hæc nunquam neque occasione conuiuii, neque suasione amicorum violentur. Perseuerantia in his, & constantia etiam in circumstantiis difficultatẽ augentibus, non potest esse sine pugna & speciali Dei auxilio eiusdem Deiparæ precibus impetrato: ac proinde signum est specialis amoris, quo Virgo eam prosequitur, cui talem perseuerantiam in sui obsequium impetrat nonnisi largissimè remuneratura. Obsequia igitur erga Virginem, quæ fiunt interdum, & frigidè, ita vt facilè omittantur, non videntur pertingere ad signum prædestinationis, nisi continuationem & perseuerantiam inducant: cùm præsertim ex interruptione sensim dilabantur ad non gradum, & tandem totaliter omittantur: quod magnum reprobationis est signum. Paucis

ante diebus dum hæc scriberem, incidi in iuuenem mulierculæ amoribus implicatum, qui mihi pene cum lachrymis affirmauit se antea singulis Sabbatis ieiunare solitum, laudabilem hanc consuetudinem violasse post impura flagitia: vnde ipsemet inferebat à muliere illa se aperte duci ad perditionem. Contrà verò, cùm obsequium erga Virginem retinetur serio, & constanter, facilè eiusdem Virginis beneficio ex ipsismet sceleribus euaditur ad emendationem, ac veniam.

Secunda conditio, vt deuotio sit affectuosa, ideſt conjungit cum amore erga Deiparam. Quod fit, gaudendo sincerè de eius gloria: compatiendo ex corde eius doloribus: optando vehementer, & curando eius obsequium: dolendo acriter, & indignando de blasphemiis contra ipsam: confugiendo ad eam fiducialiter: sæpe de ea loquendo, atque eius affectum in aliarum animis inserendo. Hæc signa amoris erga Virginem, argumenta sunt quod quis amatur à Virgine. Quippe ipsa dicit Prou. 8. *Ego diligentes me diligo.* Ille autem æternum Dei odium non incurret, quem specialiter amat Maria. Plura de his exempla suppetunt. Carolus sanctæ Birgittæ filius ereptus est è dæmonum faucibus, quia gaudere solebat de bono Mariæ plusquam de suo, vt supra notatum est num. 177. Alius quoque Princeps, cùm totam vitam in flagitiis traduxisset, prope mortem ter à Sacerdote admonitus, tandem peccata magno animi dolore confessus, saluatus est: quia, vt Christus reuelauit sanctæ Birgittæ lib. 6. cap. 97. *Consuetudo illius fuit compati dolori matris Dei, quoties considerabat, & nominari audiebat: ideo compendium suæ salutis inuenit, & saluatus est.* Non desunt qui quotidie Mariam apud alios nominant, eiusque quoad possunt laudes prædicant, opportunè, importunè. Ideo, vt supra notatum est num. 273. dicitur à Germano sermone de zona, *Nomen Mariæ in ore seruorum eius versari assiduè in omni tempore, loco, & modo:* quemadmodum respiratio in corpore, vt signum viræ. Quamobrem diem integrum, immo horam aut momentum sine hoc sanctissimo nomine veluti sine respiratione transigere, mortiferum fere est, ac lethale. Sunt qui manè post excussum ex oculis somnum hos tres actus circa Dei matrem exercent: *Gaudeo de tuo bono plusquam de meo. Darem tibi, si haberem. Regni tui non sit finis.* Consueuerunt alii ter Salutationem Angelicam recitare in gratiarum actionem Patri, Filio & Spiritui sancto, pro beneficiis collatis in Virginem. Quod tradunt ab ipsamet Virgine beatæ Mechtildi reuelatum, tanquam obsequium sibi pergratum, & aptum ad impetrandum effectum bonæ mortis. Alii quotidie fiducialiter ad Virginem confugientes, vsurpant verba suprà citata ex Damiano, *Æternum va non sentiam si semel pro me oraueris, Maria.* Denique alii omnia sua bona opera, eorumque satisfactionem reponunt in manibus Mariæ, vt eam iis Purgatorii animabus impendat, quibus velit. Hi sunt actus

Secundò, vt deuotio sit affectuosa.

Birgittæ.

amoris circa Deiparam : qui sunt signa non vulgaria prædestinationis & salutis.

Tertio, vt deuotio sit emendatiua vitæ.

Tertia conditio, vt sit deuotio erga Virginem emendatiua vitæ. Hæc signum est prædestinationis potissimum : quia omnia circa Virginem obsequia, quæ fiunt extra statum gratiæ, sunt signa valde remota salutis : cùm sint ad summum dispositiones ad gratiam intermediam, quæ signum est magis proximum gratiæ finalis infallibiliter ducentis ad gloriam. Neque verò Virgo acceptare potest tanquam ab amico obsequia, quæ illi exhibentur à filii inimico. Quamobrem Gregorius VII. libro 1. epist. 47. *Pone*, inquit, *finem in voluntate peccandi : inuenies Mariam (indubitanter promitto) promptiorem carnali matre in tui dilectione.* Idcirco maximè illi placent obsequia, quæ sunt emendatiua & melioratiua vitæ. Talia sunt abstinere ab aliquo peccato in eius honorem, Confiteri, & Eucharistiam percipere in eius Festis, & prima ac tertia mensis Dominica, iuxta leges præscriptas in Rosario : adscribi in aliquo Sodalitio dicato Virgini, ibique seruare præscriptas sub tutela Virginis regulas. Præterea, offerre Virgini in holocaustum consolationem, quam quis culpabiliter capiebat ex illicito, aut nimio amore alicuius creaturæ. Elicere in eius obsequium varios actus mortificationis, humilitatis aut patientiæ, quos aliqui flores appellant, quotidie colligendos, & veluti in coronam ad texendos, offerendos Deiparæ vesperi ante cubitum.

Gregorius.

CCLXXXV

Denique si quis in peccato sit, respirare ad spem veniæ, & confugere sub eius tutela ad pœnitentiam. Talis fuit conuersio Theophili, qui cùm Satanæ operâ Christo ac Matri renunciasset, ad eam confugiens, non veniam modò post quadraginta dierum lachrymas impetrauit ; sed etiam chirographo, quo se diabolo deuouerat, Deiparæ opere restituto, publicè coram Episcopo & populo crimen confessus, percepta Eucharistica, facie instar Solis coram omnibus collucente ; paulò post inter Deiparæ laudes animam Deo reddidit. Cuius facti meminit Petrus Dam. sermone 1. de Natiuitate Virginis, sanctus Bernardus in deprec. ad Virginem, sanctus Antoninus 3. part. sum. tit. 31. cap. 4. §. vlt. & alii.

E quibus omnibus liquet, quod deuotio erga Virginem, vt sit signum prædestinationis eximium, debet esse constans, affectuosa, emendatiua : & saltem aliquam ex his conditionibus habere debet, vt habeat respectu prædestinationis aliquam rationem signi. Et quia sæpè in his conditionibus deficit, ideo sæpe est futilis & vana deuotio ; non solida & vera, non profecta ex aliquo sensu pietatis erga Virginem ; sed ex mero affectu peccandi, sub spe veniæ impetrandæ per Virginem. Quando autem talis deuotio neque constans est neque affectuosa, neque emendatiua ; tunc nullam habet respectu prædestinationis rationem signi. Consonant his, quæ eadem Virgo reue-

lavit sanctæ Birgittæ libro 1. revel. cap. 9. ubi, *Sicut*, inquit, *avis, quæ in prædam ungues & rostrum habet, si audierit sonum aliquem, relinquit prædam; & cùm nihil operis sequi videt, statim revertitur ad eandem : sic dæmones, audito nomine meo, statim relinquunt animam, quasi territi, sed iterum advolant, & revertuntur ad eam, quasi sagitta velocissima, nisi aliqua emendatio subsequatur.* Contrà verò cùm sequitur emendatio, nihil obstant ejus clementiæ peccata præterita. Quod animadvertens Gregorius VII. libro 1. epistola 47. ad Mechtildem, *Mater*, inquit, *Domini, quantò altior & sanctior est omni matre, tantò circa peccatores conversos clementior.* Atque hæc de devotione erga Virginem, secundùm quod prædestinationis est signum. *Birgitta.*

Ex his per modum corollarij collige indevotionem erga Virginem signum esse reprobationis: cùm contrariorum sit eadem disciplina, ut sæpiùs notatum est. *Indeuotio erga Virginem reprobationis est signum.*

Patet etiam id primò è Scripturis Prou. 8. *Qui me inveniet, inveniet vitam : & hauriet salutem à Domino.* (Ecce signum prædestinationis in devotione erga Virginem.) *Qui peccaverit in me, lædit animam suam : omnes qui oderunt me, diligunt mortem.* Ecce signum reprobationis in irreligione erga eandem.

Patet secundò ex Patribus. Ignatius martyr apud Celadam in Esther in Appendice cap. 10. *Impossibile*, inquit, *est aliquem salvari peccatorem, nisi per tuum Virgo auxilium & favorem : quia, quos non salvat Dei justitia, salvat sua intercessione Mariæ infinita misericordia.* Germanus sermone de zona, *Si tu*, inquit, *nos deserueris, quid de nobis fiet, ô spiritus & vita Christianorum?* Damascenus orat. de dormit. Virginis, *Nobis*, inquit, *quomodo erit vita vitalis, si Mariam non habemus, cum qua versemur.* Bernardus sermone de aquæductu, *Tolle*, inquit, *hoc corpus solare, ubi dies? Tolle Mariam hanc maris Stellam, quid nisi caligo involuens, umbra mortis, & densissimæ tenebræ relinquentur?* Anselmus apud sanctum Antoninum 4. part. tit. 15. cap. 14. §. 7. *Sicut impossibile est*, inquit, *quod illi à quibus Maria oculos suæ misericordiæ avertit, salventur : ita necessarium ut hi ad quos convertit oculos pro eis advocans, glorificentur.* Vide quæ supra diximus num. 277. de ave illa avertente oculos à morituris. Idiota libro contemplationum cap. 5. *Maria*, inquit, *spiraculum es hominis, quia peccator per te respirat.* Sublato igitur hoc vitæ spiraculo, signum evidens habetur mortis. Gulielmus Parisiensis apud Binettum in tessera num. 8. *Non præsumat*, inquit, *aliquis Deum se posse habere propitium, qui benedictam matrem offensam habuerit.* Claudam hæc omnia testimonia quod veritas extorsit ab hoste, nimirum ab Oecolampadio sermone de laudibus Virginis, ubi, *Nunquam*, inquit, *de me audiatur quasi averser Mariam : erga quam minus benè affici, re-*

Ignat. Martyr. *Damasc.* *Bernardus.* *Anselmus.* *Idiota.* *Gulielmus.*

probatæ mentis certum existimem indicium esse. Nollem è cultu Mariæ aliquid diminui. Discant vel ab hoc hæretici, tanquam ab uno ex eorum antesignanis, quid sentiendum sit de iis qui in imagines, in invocationem, in cultum & venerationem Mariæ tam impiè debacchantur.

Patet id tertiò, ratione: quia omnis recessus à medio adæquato ad finem, est recessus à fine. Sed recessus à Maria, est recessus à medio adæquato ad finem salutis: cùm per ipsam conferantur omnia dona gratiæ perducentia ad salutem. Ergo recessus à Maria, est recessus à fine salutis, & sic reprobationis est signum. Quemadmodum igitur, quando membra inferiora separantur à collo, evidens est signum interitus: ita &c. Quippe, ut ait sanctus Bernardinus Senensis serm. 5. de gloria Mariæ, *sicut per collum spiritus vitales è capite diffunduntur in corpus, sic per Virginem* &c.

Confirmatur primò, quia Maria dicitur Cant. 6. *suavis, & terribilis*: suavis amicis, terribilis hostibus. Ideo figurata fuit per columnam, quæ duxit populum ad terram promissionis per desertum, ut notatum est supra num. 258. Columna autem illa lucem & ductum præbebat Hebræis, fulmina & neces Ægyptiis, juxta id quod innuitur Habacuc 3. *In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ:* & nos supra probavimus num. 234. Hoc autem Maria præstitit etiam vivens. Nam in visitatione Elisabethæ, cum primam gratiam contulit Ioanni, primos ictus intulit contra Antichristum. Qui, ut notat Hieronymus in Dan. 11. *figet tentoria, ubi incipiunt surgere montana Iudææ.* Statim autem post Incarnationem Verbi *exurgens Maria abiit cum festinatione in montana.* Lucæ 1. quæ infra appellat *montana Iudææ.* Vbi igitur ultima tentoria fixurus est Antichristus, ibi prima tentoria fixit Maria propugnatura pro suis, pugnatura contra hostes.

Confirmatur secundò, quia sæpe Christus plus ulciscitur injurias Matris, quàm suas: quod maximè apparuit in excidio Hierosolymitano. Nam, cum Christus passus sit Hierosolymis die vigesimo quinto Martij; Maria verò octavo die Septembris (teste Damasceno or. 1. de dorm.) prope probaticam piscinam nata sit Hierosolymis: voluit Christus in supputatione temporum ostendere quanti faceret injurias illatas Matri. Siquidem, ut refert Iosephus de bello Iudaïco, *octavo die Septembris Hierosolyma capta est.* Quod non sine mysterio evenisse credendum est. Quippe, ut ostenderetur Hierosolymitanum excidium specialiter in ultionem fuisse ingratitudinis à Iudæis impensæ in Mariam, eo die Hierosolyma periit, quo nata est Maria. Præterea carnifices, qui injurii fuere in Christi corpus, non illico puniti sunt. Qui autem injurii fuere in corpus Virginis cum efferretur ad tumulum, repente manibus privati sunt, ut narrat Damasc. de dorm. Virg.

Hierosolymitanum excidium in ultionem ingratitudinis erga Mariã.

Virg.or.2. Constantinus Copronymus, cum in imagines tam Christi, quàm Mariæ, sanctorumque omnium desæuisset, sub noctem miserè vociferatus est se propter Deiparam inextinguibili igni traditum esse, vt notat Canisius lib.5. Deipara cap.17. Plures hæreticos, qui in Virginem Hallensem fuere blasphemi, statim pœnas dedisse testatur Lipsius opusc. de D. Virg. Hall. cap.7.

CCLX XXVII.

Claudam hæc memorali exemplo, quod nuperrimè hoc eodem anno contigit in hac vrbe. Quidam ex lusu aleæ actus in rabiem, in imaginem Virginis coniecerat pileum. Hic, cum fortè nostrum concionatorem audiret, qui hoc anno in ea vrbis regione missionibus, vt aiunt, vacabat; religione tactus ad confessorem accessit, crimen etiam sponte aperuit Inquisitori, detestatus est solutus est. Non multò post in prioris vitæ relapsus crimina, hoc anno septimo die Septembris, in priuigilio Natiuitatis Mariæ repertus est mortuus, triginta & ampliùs confossus vulneribus, amputata etiam dextera tanti sceleris rea, icti in Deiparam pilei administra. Præstitere hostes, quod præstare debuerat carnifex: neque vnquam resciri potuere homicidæ, impunitate iis data, fortasse in præmium, quod vltores extiterunt Mariæ In hoc planè ad litteram implètum est illud ex Mariæ persona Prou.8. *qui oderunt me, diligunt mortem.*

Similes exitus sortiuntur, qui sodalitia B.Virginis, quibus antea nomen dederunt, deserunt. Quorum non paucos experientia didici occisos infeliciter mori; alios in miserabiles ærumnas incidere, in pœnam desertæ matris. Cuius derelictio sicut reprobationis est signum, ita patrocinium prædestinationis. Ideo nos cum Damasceno orat. de dorm. *in Dei genitrice animas nostras tanquam ad firmissimam anchoram alligantes, mentem, corpus, totos nos denique illi dicamus, & consecramus.* Hæc de signo prædestinationis, aut reprobationis ex deuotione, aut indeuotione in Mariam. In cuius hæc dicta sint laudem, vt ego quoque in summa mea spirituali egestate, veluti illa vidua Euangelica, *mittam duo minuta in gazophilacium:* cùm Maria, vt ait Damianus serm.45. *gazophilacium sit thesauri, quo sumus de nefarii prædonis seruitio comparati.* Atque hæc etiam vniuersim de signis prædestinationis, & reprobationis. Quippe in hoc veluti zodiaco, inter hæc duodecim signa, solem vnusquisque poterit suæ prædestinationis agnoscere.

FINIS TRACTATVS PRIMI.

Ort

TRACTATVS II.

DE NVMERO PRÆDESTINATORVM ET REPROBORUM.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur sensus controversiæ. Statuitur utrorumque certum esse numerum tam materialem quàm formalem.

CIRCA hoc duplex est controversia. Prima est de certitudine numeri. Altera est de majoritate aut minoritate numeri prædestinatorum, respectu numeri reproborum. Numerus duplex, materialis & formalis.

Circa primum, duplex est numerus, alter numerus numerans, alter numerus numeratus. Prior dicitur numerus materialis, cùm habet se materialiter ad numerũ, quod hæc vel hæc sint numerata. Posterior dicitur numerus formalis, qui constituitur per tot, & non plures in quacunque materia, ut insinuat sanctus Thomas p. p. quæst. 27. art 7. in corp. Porro potest aliquis esse certus de numero formali, & incertus de materiali. Potest enim esse certus, quot sint; incertus, qui sint. Sicut è converso potest quis esse certus de numero materiali, & incertus de formali; cùm possit quis esse certus qui sint, v.g. in hoc consessu; incertus quot sint, ante numerationem. His terminis explicatis,

Dico primò. Certus est in intellectu divino numerus materialis prædestinatorum & reproborum. Videtur contra Massilienses; qui, ut refert Hilarius in epist. ad Augustinum, *Si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quò pertinet tanta extrinsecùs instantia correctionis*; Est tamen de fide, Ioan. 10. *Bonus Pastor proprias oues vocat nominatim.* Et infra: *Ego cognosco eas*, &c. Quæ explicans Augustinus tract. 45. in Ioan. Certus est numerus materialis prædestinatorũ, & reproborum. *Hilarius. Ioan. 10. Augustin.*

Quis, inquit, *alius vocat ouos nominatim, nisi qui nouit nomina prædestinatorum? Vnde ait, Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in calis.* Præterea 2. Tim. 2. *cognouit Dominus, qui sunt eius.* Ad quod
2. Tim. 2. *Augustin.* alludens Augustinus tract. 12. in Ioan. *Nouit*, inquit: *Dominus, qui sunt eius. Nouit, qui permaneant ad coronam; qui permaneant ad flammam. Nouit in area ista triticum, nouit & paleam. Nouit segetem, nouit & zizania.*

Exod. 32. Psal. 68. Contra hoc argui potest ex Exod. 32. *Dele me de libro, quem scripsisti*: & Psal. 68. *Deleantur de libro viuentium.* Ergo in libro prædestinationis non sunt personæ ita certò & determinatè conscriptæ, vt non possint aboleri.

Vasquez Respondeo primò cum Vasquez p. p q. 24. in expos. a. num. 17. loqui Moysen de catalogo virorum illustrium, qui erant apud Iudæos, per quem intelligit librum viuentium Hilarius in eum Psalmum. Respondeo secundò cum Augustino q. 247 in Exodum, Moysen locutum esse ex quodam affectu salutis populi, vt Deo ita exhiberet impossibilem populi ruinam: sicut impossibile erat ipsum deleri de libro vitæ. Quoad illud Dauidis, *Deleantur*, &c. respondet idem
Augustinus. Augustinus in eum Psalmum part. 2. *Non sic accipi debere, vt quempiam Deus scribat in libro vitæ, & deleat. Si enim homo dixit, Quod scripsi scripsi; Deus non scribit, & delet. Sed deleri secundùm spem ipsorum, quia ibi se scriptos putabant.*

II. Certus est numerus formalis prædestinatorum, & reproborum. Dico secundò. Certus est etiam intellectu diuino prædestinatorum, & reproborum numerus formalis. Est etiam de fide, quia posita infinitate diuinæ scientiæ, hoc ipso quod cognoscit Deus, qui sint, cognouit etiam quod sint. Quamobrem Augustinus tract. 48. in Ioan. *securus*, inquit, *est de numero eorum; qui pro iis nouit, quod dedit.*

Augustinus. Dico tertiò. Certus est apud Deum numerus prædestinatorum & reproborum ex vi decreti prædestinationis ante præuisa absolutè merita vel demerita. Est contra
Catharinus. Catharinum lib. 1. de prædestin. cap. vlt. vbi docet certum esse ex vi prædestinationis numerum prædestinatorum non esse certum numerum saluandorum; cùm ipse existimet aliquos prædestinari ante præuisa merita, qui propriè prædestinati dicuntur; alios post præuisa, qui dicuntur saluandi, iuxta ea quæ retulimus tom. 2. Theolog. lib. 3. q. 5. Est etiam contra omnes eos qui ponunt prædestinationem post præuisa merita: apud quos non est certus hic numerus, nisi post præuisa vniuscuiusque merita vel demerita.

Contra quos probatur ex fundamento oppositio, Quia tum prædestinatio, tum reprobatio, prout dicit exclusionem à decreto salutis; sunt ante præuisa absolutè merita, & demerita vt probatum est q. cit. Ergo tam numerus materialis quàm formalis prædestinatorum & reproborum certus est in intellectu diuino ante præuisa merita vel demerita.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Contra hoc argui potest ex Apoc. 3. *Tene quod habes; ne alius accipiat coronam tuam.* Ergo videtur esse incertus numerus materialis prædestinatorum; cùm unus subrogari possit loco alterius. Quamobrem Augustinus de correptione & gratia cap. 13. dicit *alium coronam hanc non esse accepturum, nisi iste perdiderit.* Respondeti potest juxta varias hujus loci expositiones. Prima expositio est, quod loquatur secundùm præsentem notitiam, nempe monendo ut unusquisque operetur salutem suam cum timore; & teneat quod habet, ne amittat coronam suam, ideſt, quam ipse putat se habere. Videtur colligi ex Augustino loco citato, ubi hæc verba explicans, *Quis*, inquit, *ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat: quia id occultari opus est in loco, ubi cavenda est elatio.* Secunda expositio est sancti Thomæ in 1. part. q. 23. art. 6. ad 1. ubi dicit hoc non intelligi *de corona ex prædestinatione divina, quam nullus amittit: sed de corona ex merito gratiæ. Quod enim meremur, quodammodo nostrum est, & sic suam coronam aliquis potest amittere per peccatum mortale sequens.* Tertia expositio esse potest, quod ex hoc loco colligatur certitudo numeri formalis comparata tanquam prior ad certitudinem numeri materialis. Ita ut, antequam decerneret hos & hos in particulari Deus, decreverit certum numerum prædestinatorum, quantum judicavit esse convenientem corpori triumphantis Ecclesiæ, cujus Christus est caput. Quod explicari potest exemplo Principis, qui priùs decernit tantum numerum Aulicorum, quantum se decere judicat: tum decernit hos & hos. Quo posito, monetur hoc loco Episcopus Philadelphiæ, *ut teneat quod habet, ne alius accipiat, &c.* quia in potestate ejus erat in ordine executionis Dei prædestinationi cooperari; & sic tenere eum locum, in quo alius collocatus fuisset, nisi ipse cum sua cooperatione in eo prædestinatus fuisset; posito numero prædestinatorum, antecedenter ad omnia stabilito. Hæc expositio colligitur apertè ex eodem Augustino loco citato, ubi in ea verba Matth. 3. *Potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: ut ostendat*, inquit, *sic istos esse amputandos, si non fecerint fructus, ut non desit ille numerus qui promissus est Abrahæ. Tamen apertiùs in Apoc. dicitur, Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Si enim alius accepturus non est, nisi iste perdiderit, jam certus est numerus.* Ergo supponit talem determinatum numerum fuisse decretum antecedenter ad hos, & hos; qui conflare debebant hunc numerum. Idem apertè colligitur ex Gregorio lib. 25. Moralium cap. 8. ex Beda, Ansberto, & aliis in hunc locum. Certus itaque est in intellectu divino prædestinatorum & reproborum tam numerus formalis quàm materialis. Sed priùs decretus est numerus formalis, posteriùs numerus materialis. Ex hac autem certitudine sequitur infallibilitas salutis prædestinatorum, & damnationis repro-

In prædestinatione antecedenter subrogetur unus loco alterius.

Apocal 3.

Augustin.

Augustin.

S. Thom.

Augustin.

Gregorius.

Beda.

Ansbertus.

borum. Ideo Fulgentius de fide ad Petrum cap. 35. *Firmissimè*, inquit, *tene neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit: nec quemquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, posse ulla ratione salvari.* Hæc autem *non intelligenda sunt secundùm impossibilitatem absolutam; sed secundùm impossibilitatem conditionatam*, ut docet sanctus Thomas p.p.q.23.art.4.ad 3.& nos tom.2.l.3.q.5.

Fulgentius.

CAPVT II.

Fundamenta affirmantium prædestinatorum numerum non excedi à numero reproborum.

III. Angelorum prædestinatorum numerus major est numero reprobatorum. *Apoc.12.*

IN hoc de more secernemus certa ab incertis. Certum videtur primò numerum Angelorum prædestinatorum majorem esse numero reprobatorum, quia eorum vel tertia pars cecidit, ut videtur significari Apocal.12. vel certè minor pars, ut est communis sensus Doctorum. Certum est secundò majorem hominum partem esse reproborum, si computantur omnes etiam infideles, idque per omnes mundi ætates. Quandoquidem per sex annorum millia, & ampliùs, usque ad adventum Christi, pauciſſimi iique ex solis Iudæis salvabantur. Et si nunc spectetur Ecclesia fidelium, extra quam non est salus, est minima hominum pars comparata ad multitudinem infidelium, nempe Mahometanorum, Ethnicorum, & hæreticorum quorum est certa damnatio. Tota igitur controversia reducitur ad fideles. Certum videtur tertiò, majorem inter fideles esse numerum electorum, si computetur inter eosdem numerus infantium decedentium intra septennium, ante usum rationis. Qui, ut experientia colligitur ex paræciis, & notat Ruiz.disp.44.sect.1.num.14. pœnè æqualis est numero morientium adultorum. Infantibus, si addas adultos, qui salvantur, jam numerus efficietur major numero eorum, qui inter fideles damnantur. Adde his infantes filios hæreticorum decedentes cum baptismo: qui etiam pertinent ad Ecclesiam fidelium, & sic additi infantibus filiis fidelium, & fidelibus adultis, qui salvantur, numerum efficiunt multò majorem numero adultorum fidelium, qui damnantur. Tota igitur controversia reducitur ad solos adultos fideles, an scilicet inter hos numerus prædestinatorum excedatur à numero reproborum.

Reproborũ hominum major est pars, infidelibus computatis.

Inter fideles major pars est prædestinatorum, parvulis computatis. *Ruiz.*

Prædestinatorum ex adultis fidelibus numerum, majorem numero

Circa hoc est opinio affirmantium numerum prædestinatorum nõ solùm non excedi à numero reproborum, sed etiam illum excedere. Ita Sylvester in rosa aurea tract.2. in Evang. Septuagesimæ. Carthagena discur.10. de prædestin. dub. pen. Granadus tomo 2. p. p.tract.

12.disp 4. num.10. Franciscus de Christo in 1.dist.41. quæst. vlt.de reprob. concl.3. Franciscus Suarius lib.5. de prædestinatione cap.3. Lorinus in Psalm.138. vers.14. Hi tamen duo, ut bene notat Ruiz expressè includunt fideles paruulos. reproborum opinantur aliqui. Sylvester. Carthag. Granadus. Franciscus de Christo. Suarius. Lorinus.

Probatur primò è Scripturis. Apocal.7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & linguis stantes ante thronum, &c.* ubi expressè loquitur de Beatis. Consonat Propheta Ps.138. *Nimis honorati sunt amici tui, Deus, &c. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* Quod de numero à solo Deo numerabili intelligit Augustinus in eum locum. Ieremiæ.33. *Sicut dinumerari non possunt stellæ cæli, & metiri arena maris, sic multiplicabo semen Dauid servi mei, & Levitas ministros meos.* Videtur figuratè loqui de electis, quorum vult esse numerum innumerabilem. Ideo Augustinus in Soliloquiis cap.18. loquens de electis, *horum*, inquit, *nomina, numerumque tu nosti: qui solus multitudinem stellarum numeras.* Denique videtur idem significari promissione illa facta Abrahæ Gen.15. *Suspice cælum, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum.* Et Genes.22. *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in littore maris.* Quæ verba expendens Augustinus lib.15. de ciu. cap.23. *illa* inquit, *repetita comparatione cælestium stellarum, mihi promissa videtur posteritas, cælesti felicitate sublimis.* Præterea Psal.39. *Annunciavi, & loquutus sum: multiplicati sunt super numerum.* Denique Apocal.7. Ioannes *Vidit turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, stantem ante thronum Dei, & palmæ in manibus eorum* Electorũ igitur promittitur in scripturis numerus innumerabilis; cùm nihil tale in iis habeatur de numero reproborum. Confirmatur primò ex Matth.21. ubi in convivio unus tantùm *repertus est non habens vestem nuptialem.* Et Matth.25. ubi exhibentur in figuram prædestinatorum & reproborum *decem Virgines, quinque prudentes, & quinque fatuæ.* Ergo saltem colligitur, electorum numerum à reproborum numero non excedi. Confirmatur secundò ex collecta Ecclesiæ, in qua rogat Deum, *ut omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber ascripta retineat.* Hoc autem non peteret Ecclesia, nisi peteret saltem plerosque fidelium prædestinari.

Apocal.7. Psalm.138. Ierem.33. Augustinus. Genes.15. Genes.22. Augustinus. Ps.39. Apocal.7.

IV. Prædestinatorum numerus innumerabilis. *Matth.21. Matth.25.*

Probari potest idem secundò ex Patribus. Primò Damascenus or. de his qui in fide migrarunt, dicit *salvari eos qui vel parũ de fermento virtutis possederint: & tempus non habuerunt, ut ex eo panem faciant: & voluerunt quidem, licèt sive ob desidiam, vel ob negligentiam, vel ob fragilitatem, vel ob quotidianam procrastinationem nequiverint.* Hæc est autem maxima pars fidelium. Secundò, citari possunt hac sententia Patres ii, qui docent numerum electorum subrogandum esse in locum eorum, qui ceciderunt, Angelorum.

Damasc.

S. Thom. Prædestinatos subrogari in locum Angelorum, qui cecederunt, doctrina aliquorũ.

Quorum sententias, suppresso nomine, recenset sanctus Thomas 1.p. qu. 23. artic. 7. in corp. Horum enim aliqui docent esse tot homines prædestinatos, quot ex Angelis ceciderunt, vt videtur sentire Bernardus serm. 68. in Cant. & Author libri de diligendo Deo cap 3. Quod videtur etiam indicari in Psal. 109. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.* Quod si Angelorum numerus est incomparabiliter maior numero omniũ hominum, vt docet sanctus Thomas 1. part. q. 50 art. 3. & Angelorum tertia pars cecidit ex illo Apoc. 12. de cauda Draconis, ideſt Luciferi *trahentis tertiam partem stellarum*, ideſt Angelorum: necessariò concluditur requiri maiorem partem hominum, vt suppleat tertiam partem Angelorum. Alii verò docent plures esse prædestinatos ex hominibus, quã sint reprobati ex Angelis, vt Anselmus lib. 1. cur Deus homo c 18. & inclinare videtur Augustinus in Ench. cap. 25. & 21. de Ciuitate Dei cap. 1. Alii denique putant tot esse prædestinatos, non quidem quot Angeli ceciderunt, sed quot remanserunt; vt Gregorius homilia 34 in Euang. vbi *Suprema*, inquit, *illa ciuitas & Angelis & hominibus constat, ad quam tantùm credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos Angelos remansisse.* Si igitur ex Gregorio, par est numerus electorum ex Angelis & ex hominibus; cùm duæ tertiæ partes Angelorum sint ex electis, multo plus quàm duæ tertiæ partes hominum erunt ex electis; cùm minor sit numerus hominum quàm Angelorum.

S. Thom. Apocal. 12. Anselmus. Augustinus. Gregorius.

Suarius.

Probatur tertiò ex Suario loco citato, quia maior pars fidelium, licet sæpe mortaliter peccet, tamen sæpe etiam resurgit: & ita cadendo, & resurgendo vitam transigit. Hi autem, cùm ante mortem communiter præparentur per Sacramenta, ad quæ sufficit attritio, videtur probabiliter ex vi illorum saluari. Confirmari potest, quia magna pars constat ex fœminis qui sexus ad pietatem pronus, ab Ecclesia *deuotus* dicitur. Hæ autem, à rixis, à rapinis, aliisque peccandi occasionibus immunes facile conseruantur in gratia: & sic videntur maiori ex parte saluari.

Peccatores subitò in sanctos transformati. V. Chrysostom.

Probatur quartò, quia multi etiam toto vitæ tempore scelestissimi, quando non repentinè decedunt, saltem in illo mortis articulo ex timore gehennæ vehementissimè atteruntur vsque ad lachrimas. Ergo etiam hi inter electos sunt collocandi; cùm intra quodlibet vitæ spatium pœnitendi sit tempus. Apparet hoc præcipuè in sancto Latrone, qui vnius vel alterius horulæ spatio, post tot scelera, momento sanctus, post tot furta rapuit Paradisum. Apparet etiam in aliis, quos Christus subitò ex peccatoribus transmutauit in sanctos. Quod expendens Chrisost. hom. 1. in Psal. 50. *Dum esset*, inquit, *paruulus ab extremis finibus vocauit Magos: post illos publicanum;* (Matthæum) *post hunc meretricem;* (Magdalenam) *post illam latronem: post hunc vocauit blasphemum*, nempe Paulum, vt ipse se appellat 1. ad Tim. 1.

Et

Et infrà: *Si impius es, cogita publicanum: si immundus es, attende meretricem: si homicida es, perspice latronem: si iniquus es, cogita blasphemum.*

Confirmatur primò, quia Deus prædestinavit ante præviſa quælibet merita vel demerita, ut oſtenſum eſt tomo 2. lib. 3. q. 5. Ergo paucitas prædeſtinatorum non poteſt pendere ſive à paucitate merentium, ſive à multitudine demerentium. Ergo totum prædeſtinationis opus pendet merè à divina voluntate, & hæc movetur à divina bonitate. Ergo non eſt credibile divinam bonitatem, quæ eſt maximè ſui communicativa, movere voluntatem divinam ad communicandam ſe paucis & non multis, nullo adhuc poſito ex parte eorum demerito. Ergo videtur potiùs pertinere ad divinam miſericordiam, quod ſalventur multi. Ideoque David Pſal. 35. *Homines & jumenta ſalvabis Domine: quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus.* Homines & jumenta, quaſi dicat, innocentes & peccatores: eos qui viuunt juxta dictamen rationis, ut homines; & præter rationem, ut jumenta. Hos etiam ſalvare, videtur proprium divinæ bonitatis: quæ non oſtenderetur ſui communicativa pluribus, ſi pauciores ſalvarentur, ut dictum eſt. Quod videtur argumentum Tertulliani contra Marcionem, ubi: *Pluribus*, inquit, *pereuntibus, quomodo perfecta defenditur bonitas maiore ex parte ceſſatrix, cedens perditioni, partiaria exitii?* Quod ſi plures ſalvi non erunt, erit jam non bonitas, ſed malitia perfectior.

Prædeſtinatorum paucitas videtur diuinæ bonitati præiudiciare. *Pſalm.* 35.

Confirmatur ſecundò à poſteriori ex locis ipſis, quæ Deus præparavit prædeſtinatis & reprobis. Nam his præparavit gehennam, carcerem anguſtiſſimum circa centrum terræ. Si verò accipiatur cæleſtis Hieruſalem electorum ſedes, ut viſa eſt à Joanne Apoc. 21. continet *longitudinis duodecim millia ſtadia*, ideſt mille quingenta milliaria, & totidem latitudinis. Quippe illa *ciuitas poſita eſt in quadro.* Totus autem urbis illius circuitus continet milliaria ſex mille, præter ſuburbia. Si verò dicitur civitas hæc viſa à Ioanne accipi tantùm ſymbolicè, ut volunt aliqui, utique Beatorum domicilium erit totus empyrei circulus; cui univerſus terræ ambitus comparatus, eſt inſtar puncti. Quippe Sol, minima cæli inferioris pars, centum ſexaginta ſex vicibus terræ magnitudinem continet. Cœlum verò firmamenti in circulo maximo ſuperficiei conuexæ continet milliaria 1017562500, ideſt mille milliones quingenta ſexaginta duo millia milliaria, & quingenta. Vnde infertur magnitudo multò major empyrei, tres ſupra firmamentum cælos ſuo ambitu complectentis. Ex magnitudine igitur domicilii Beatorum, eorumdem multitudo colligitur: ſicut ex anguſtiis loci reproborum eorum paucitas: Cùm præſertim reprobi nullo dono penetrationis prædíti, corpora ſint habituri exigentia æquale ſpatium, eum excluſione alterius corporis. Carcer autem ille ſubterraneus non videtur eſſe capax tantæ multitudinis reproborum, quanta ex colle-

Apocal. 21. Paradiſus ciuitas ampliſſima.

Paradiſus quantæ ſit magnitudinis.

Cœlum firmamenti quot milliaria efficiat.

Inferni locus anguſtior.

ctione omnium hominum qui fuerunt, qui sunt, qui erunt, superent multitudinem electorum.

Probatur idem vltimo principaliter ex efficacia sanguinis Christi: Nam, cùm quæstio præcipuè sit de adultis fidelibus post aduentum Christi, videtur pertinere ad efficaciam Passionis & Sanguinis Christi, vt plures ex fidelibus post eius aduentum saluentur quàm damnentur. Sicut ante eius aduentum, ex minori participatione Passionis rondum impletæ, plures damnabantur quàm saluabantur. Confirmatur primò, quia ex Angelis plures fuerunt prædestinati quàm reprobati, vt dictum est Apoc. 12. & tamen ii non fuerunt à Christo redempti. Ergo multò magis id dicendum videtur de hominibus, ad quos Christi redemptio pertinet: vt appareat magis virtus & efficacia Christi; ad cuius gloriam prædestinati sunt, quotquot sunt. Confirmatur secundò ex multitudine innumerabili Martyrum. Nam sub vno Diocletiano, vt notat Cornelius in Apoc. 7. vers. 9. singulis mensibus cæsa sunt septem & decem millia. Qui numerus multiplicatus per decem persecutionis annos, efficit duos milliones Martyrum. Ex quo fit verisimile, id quod notat Genebradus in Psal. 78. posse singulis annis diebus celebrati festa Martyrum triginta millium: immo, vt habetur ex vetusto codice reuelationum sanctæ Birgittæ, in sola vrbe Roma celebrari posse singulis diebus festa Martyrum septem millium. His adde sanctos Confessores, de quorum multitudine plura in iisdem reuelat. cap. 17. Confirmatur tertiò, quia prædestinati sunt Christi familia, & Aulici; cùm sit *in omnibus ipse primatum tenens*, ad Coloss. 1. Ergo pertinet ad maiorem gloriam Christi maior numerus prædestinatorum: Sicut ad maiorem gloriam Principis major numerus Aulicorum. Ergo hoc potiùs affirmandum est; cùm cedat in excellentiam Christi. Hæc ferme argumenta adduci possunt pro hac sententia: neque vlterius, vt arbitror, eius probabilitas potest excurrere, accommodata cupiditati magis quàm veritati, optando potiùs exitu, quàm sperando.

Martyrum multitudo numerabilis. *Cornelius.*

Genebrard. Martyrum singulis diebus triginta millium memoria. Reuelationes S. Birgittæ.

Ad Coloss. 1.

CAPVT III.

Prædestinatorum numerum inter adultos fideles excedi à numero reproborum, è Scripturis ostenditur.

Reproborum numerus ex fidelibus adultis maior, quàm prædestinatorum. *Lyranus.*

CONtraria sententia videtur verior. Quam tuetur Lyranus, Carthusianus, & Maldonatus in cap. 22. Matth. in illa verba, *Pauci verò electi*. Cajetanus in Matth. 25. Bellarminus in libello de gemitu columbæ lib. 1. cap. 6. Fasolus tom. 2. in p. p. quæst. 23. art. 7. in commen. art. num. 7. citans etiam pro hac sententia Aluarez, quem non

vidi. Ruiz. de prædestin. disput. 54. sect. 1. num. 16. Smising. tomo 1. tract. 3. disput. 6. de prouid. qu. 13. num 804. Drexellius in Zodiaco Christiano in coron. de paucitate, &c. Inclinat Molina in 1. p. qu. 23. num 7. conc. 3. Nec dissentiunt Suarius & Lorinus locis citatis, vbi comprehendunt etiam baptizatos paruulos. Denique idem sentit Abulensis quæst. 69. in 22. Matth. vbi dicit, *quod ista positio est communis, & satis verisimilis:* quorum sententiæ adhæreo. Licet enim res hæc soli Deo possit esse nota, *cui soli notus est numerus electorum,* vt in Oratione dicit Ecclesia: & ideo hanc vt omnino dubiam pronunciet Vasquez in 1. p. dis. 101. cap. 4. Non tamen ex hoc tollitur, quin ex principiis reuelatis possit de ea ferri iudicium aliquod, si minùs certum, saltem probabile; cum præsertim id quod dicitur de notitia numeri soli Deo reseruata, intelligi debeat de tali determinato numero, puta quòd sint tot vel tot milliones; non autem de magnitudine numeri accepta in generali, & comparatiuè ad numerum reproborum. Et ideo sanctus Thomas p. p. qu. 23. art. 7. in corp. dicit *Soli Deo cognitum esse numerum electorum:* & tamen in responsione ad 3. absolutè pronunciat *pauciores esse qui saluantur:* & ex ratione quam affert, id videtur sentire etiam inter adultos fideles, vt patebit infra. Hæc igitur sententia ita explicata.

Carthusian. Maldonatus. Caietanus. Bellarmin. Fasolus. Smising. Drexellius. Molina. Suarius. Lorinus. Abulensis. Vasquez.

S. Thomas.

Probatur primò è Scripturis. Primus locus est Isa. 24. *Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum, quomodo si pauca oliuæ, quæ remanserunt excutiantur ex olea: & racemi, cum fuerit finita vindemia. Hi leuabunt vocem suam, atque laudabunt: cum glorificatus fuerit Dominus.* Loquitur de saluandis in fine mundi, vt expressè Hieronymus, aliique interpretes in hunc locum; & vt egregiè explicat Bellarminus loco cit. dicit *numerum reproborum similem fore multitudini oliuarum, quæ cadunt in terram, cum primum excutitur olea: paucitatem autem electorum similem fore paucitati oliuarum, quæ manus excutientium fugerunt: & paucitati racemorum qui finita vindemia casu reperiuntur in vinea.* Ideo pauci illi electi *leuabunt vocem suam, atque laudabunt, &c.* Loquitur autem de paucitate fidelium electorum per comparationem ad alios etiam fideles. Loquitur enim de iis, tanquam de paucis oliuis remanentibus in eadem arbore: & de racemis vuæ residuis in eadem vinea: quod est dicere de fidelibus in eadem Ecclesia. Idem significatur Micheæ 7. *Væ mihi quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. Præcoquas ficus desiderauit anima mea.* Quia nimirum tam racemi collecti post vindemiam, quàm ficus præcoquæ, & ante tempus, pauciissimæ sunt; & his comparat iustos, atque electos. Ideo sequitur; *Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est.* Quia scilicet hi, vt explicat Ribera, sunt multò pauciores; ita vt cum multitudine malorum comparati, vix vlli dici queant. Ideo in prædicto loco Isaiæ

Isa. 24.

Hieronym. Bellarmin. Prædestinati velut racemi finita vindemia.

Micheæ 7.

Ribera.

Isaiæ 10. Prædestinati reliquiæ saltus succisi.

appellantur *Racemi finita vindemia.* Et Isaiæ 10. *Reliquiæ ligni saltus,* susceptа metaphora à paucitate lignorum, quæ remanent succisa sylua. *Et reliquiæ ligni saltus eius præ paucitate numerabuntur: & puer scribet eos.* Vbi Septuaginta: *Et relicti ex iis numerus erunt,* ideſt, vt explicat Eusebius l. 2. de demon. Euang. cap. 40. *Pauci, & facilè numerabiles. Et puer scribet eos.* Nempe, vt idem Eusebius, *ille puer, de quo dictum fuerat, ecce virgo concipiet, & pariet filium: & hi erunt scripti in libro vitæ.* Ideo vt notat Gregorius homil. 8. in Euangel. *Nascituro Domino mundus discribitur; quia ille apparebat in carne, qui electos suos ascriberet in æternitate.* Et hoc est quod dicit Isaias, *puer paruus scribet eos.* Siue quia Christi incarnatio & natiuitas medium fuit prædestinationis: siue quia designatio prædestinatorum fuit commissa Christo, vt ostendimus tomo 2. Theol. lib. 3. qu. 10. siue denique quia, fortasse magis iuxta litteram, prædestinati tam pauci sunt, vt dicatur per figuram hyperbolem eos etiam à puero vix paucas exarante notas scribi posse: *Et puer scribet eos.* Hi autem *præ paucitate numerabuntur:* & ideo vocat *reliquias ligni saltus.* Sicut etiam Isaiæ 28. appellat *residuum populi: Et erit,* inquit, *Dominus corona gloriæ, & sertum exultationis residua populi sui.* Quia scilicet, vt explicat Hugo Cardin. remuneraturus est sanctos suos. Sancti igitur, & electi Dei præ paucitate sunt residuum populi Dei, ideſt residuum inter fideles. Ideo in hunc locum Hieronymus: *Dominus,* inquit, *erit corona gloriæ his, qui in Ecclesia commemorantur: & ad multitudinem plurimorum errantium comparati parui sunt numero.* Electi igitur apud Isaiam modò vocantur *paucæ oliuæ, quæ remanserunt:* modò *reliquiæ ligni saltus:* modò *residuum populi Dei.* Quid ex his apertè paucitatem non exhibet eorum, qui saluantur intra ipsam vineam Ecclesiæ, & in ipso populo Dei? Consonat is Esdras lib. 4 qui liber, licèt non sit canonicus, tantæ tamen est auctoritatis, vt ab Ecclesia interseratur in Sacris Bibliis. Ibi autem cap. 8. introducitur Angelus ita dicens: *Hoc seculum fecit Altissimus propter multos; futurum autem, propter paucos.* Et infra: *Multi quidem creati sunt: pauci autem saluabuntur.* Hæc è veteri testamento: quæ omnia in vnum testimonium congessimus. Deueniendo autem ad nouum.

Euſebius. Christus puer electos scribit in libro vitæ.

Gregorius. Nativitas Christi prædestinationis medium.

Isaiæ 28.

Hug. Card. Prædestinati residuum populi Dei.

Hieronym.

Esdras l. 4. c. 4.

Matth. 22.

Secundus locus est Matth. 22. vbi dicitur *multi sunt vocati: pauci verò electi.* Loquitur autem non de iis, qui renuerunt venire ad nuptias, quos interpretari possumus infideles: sed de iis, qui ad eam venientes, & discumbentes, non sunt reperti à Rege *cum veste nuptiali:* quibus sine dubio significantur fideles iam in Ecclesia discumbentes. Licet autem dicatur, quod *Rex vidit hominem non vestitum veste nuptiali:* tamen sententia, quam Christus subdit, *multi sunt vocati,* &c. ostendit in illo vno repræsentari omnes reprobos: quos dicit esse multos, *paucos verò electos.* Est expositio Augustini l. contra

Auguſt.

Donatistas post collat. cap. 20. ubi: *Christus*, inquit, *in illo uno multam societatem malorum esse intelligendam, inter quos pauciores boni in convivio Dominico viuunt* (ecce paucitatem electorum intra Ecclesiam) *significare non distulit. Nam postquam dixit, ligatis manibus & pedibus proiicite, &c. continuò subiecit, multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Quomodo hoc verum est, nisi quia in illo uno grande corpus figurabatur omnium malorum, ante Domini iudicium convivio Dominico permixtorum?* Multitudo igitur, de qua Christus loquitur, est ex Augustino multitudo reproborum permixta cum electis in eadem Ecclesia: & sic respectiuè ad solos Christianos dicitur *multos esse vocatos, paucos verò electos.* Idem repetit lib. 18. de civit. cap. 48. ubi: *De illis*, inquit, *qui vocati sic venerunt, ut de convivio proiicerentur: qui nunc replent Ecclesias: quos tanquam in area ventilatio separabit.* Præterea Gregorius hom. 19. in Evang. *Terribile*, inquit, *est valde, quod sequitur, multi sunt vocati pauci verò electi, quia & ad fidem plures veniunt, & ad cæleste regnum pauci perducuntur.* Pauciores igitur in Ecclesia fidelium intersunt huic convivio vestiti veste nuptiali: plures non vestiti. Quippe, ut explicat Anselmus in eum locum *intrant ad nuptias non cum veste nuptiali, qui in sancta Ecclesia commorantes fidem habent; sed charitate carent.* Et infra: *Mirandum, quòd hunc amicum vocat (amice, quomodo huc intrasti, &c.)* subdit autem post hunc reprobatum; *Multi sunt vocati, pauci verò electi*: quia, ut expendit idem Anselmus, *repulso uno, in quo omne malorum corpus exprimitur, generalis protinus sententia subinfertur, cum dicitur, multi sunt vocati, &c. quasi dicat, quod de uno dixi, de multis intelligatis.* Idem expresse habet Origenes in cap 22. Marc. tract. 20. & Chrysostomus in Matth. quorum verba dabuntur infra. Idem sentit Abulensis quæst. 69. in hoc cap. Matth. ubi dicit quod *multi sunt vocati ad fidem, ideſt convertuntur ad eam, sed pauci electi: quia pauciores Christianorum sunt, qui salvantur, quàm qui damnatur.* Loquitur autem de adultis, quos dicit conversos ad fidem. Iuxta igitur communem expositionem Patrum multitudo vocatorum ad conviuium, respectu quorum Christus dixit paucos esse electos, est multitudo fidelium in eadem Ecclesia discumbentium: respectiuè ad quos à Christo electorum paucitas pronunciatur. Consonat Propheta dum dicit Psal. 16. *Domine à paucis de terra divide eos*, ubi legit Chaldæus; *A justis, & electis divide eos.* Adeo verum est quod *pauci sunt electi*, ut in Scripturis perinde sit dicere pauci, ac dicere *electi.* Contra verò idem est dicere multi, ac reprobi. Ideo Deus Psal. 54. quæritur, *quoniam inter multos erant mecum.* In quem locum Augustinus: *In multis*, inquit, *erant mecum. Qui se separaverunt à me mecum erant, non in paucis; sed in multis: etenim per totum orbem pauca sunt grana, multæ sunt*

Reprobi omnes illo uno significati non vestito veste nuptiali.

Gregorius.

Anselmus.

Origenes.

Chrysostom.

Abulensis.

Psalm. 16.

Electi dicuntur pauci de terra.

Psalm. 54.

Augustin.

Reprobi, & multi, idem sonant.

palea. Quod ergo ait inter multos mecum erant, id est ex Augustino, inter reprobos igni comburendos, ut paleas, non inter electos *congregandos ut triticum in horreum*, ex Matth. 13. Idem igitur est dicere multi, ac dicere reprobi: idem pauci, & electi; ut clariùs verificetur; *Multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Matt. 7. Angusta salutis porta arcta via.

Tertius locus est Matth. 7. *Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem: & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Expressè demonstrat paucitatem electorum, & multitudinem reproborum. Neque potest hoc explicari respectivè ad omnes homines, etiam infideles. Primò, quia arctitudo viæ, quæ ducit ad vitam, consistit maximè in observatione præceptorum. Quare dicitur Psal. 118. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum.* Semita idem est ac via arcta: *semita* autem *mandatorum* communis est etiam fidelibus adultis. Ergo arctitudo ista, quæ facit paucitatem respectivè ad multitudinem reproborum, accipienda est etiam inter fideles adultos. Secundò, quia hæc Christus dixit solis Discipulis in sermone habito in monte, ut patet ex Matth. 6. & 7. Ergo alloquebatur solos fideles: ergo dum eos monet ut intrent per angustam portam, non potest hoc intelligi de porta fidei, quam jam intraverant: ergo intelligi debet de angusta porta mandatorum, per quam intratur ab iis qui sunt intra portam fidei. Ergo expressè loquitur de paucitate eorum qui salvantur inter fideles.

Psal. 118.

Matth. 6.

Luca 13.

Quod etiam patet ex Luc. 13. ubi ait quidam, *Domine, si pauci sunt qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos, Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Loquitur autem non de infidelibus, sed de fidelibus iniquis: subdit enim, *& dicet vobis, Nescio vos: discedite à me, omnes operarii iniquitatis.* Tertiò, Patres id exponunt respectivè ad fideles. Chrysostomus lib. c. adverf. vitup. vitæ Monasticæ, *Angusta*, inquit, *est janua, & arcta est via quæ ducit ad vitam: & pauci inveniunt eam. Si verò pauci sunt, qui inveniunt, profectò longè pauciores erunt, qui ad summum eius pervenire possunt. Neque enim omnes, qui initio illam apprehenderunt* (utique Christiani) *ad finem etiam perducti sunt, sed alii in ipsis initiis: nonnulli in itineris medio; plurimi in ipsum fere portum invecti naufragium fecerunt.* nihil terribilius. Nazianz. or. 35. *Via*, inquit, *angusta est propter sudores: & quia non à multis teritur, si multitudinem eorum cogites, qui contrario itinere per vitium gradiuntur.* Non dicit per infidelitatem, sed *per vitam.* Augustinus in Psal 39. alloquens fideles: *ecce*, inquit, *turba viæ latæ, non frustra ipsa ducit ad amphitheatrum; non frustra ipsa ducit ad mortem. Via lata mortifera est. Latitudo eius delectat ad tempus: finis eius angustus in æternum.* Anselmus in eum locum, *intrate per angustam*

Chrysostom.

Nazianz.

Augustinus.

Anselmus.

portam, &c. Quasi dicat, inquit, *Dura vobis videntur quæ præcipio, & angusta* (ecce loquitur de angustia præceptorum) *quæ Christus discipulis tradidit, sed per hanc duritiam, & angustiam intrandum est vobis ad vitam. Per latam multi ambulant: angustam pauci inveniunt. Latam non quæramus: nec inuestigatione opus est sponte se offert erranti. Angustam verò nec omnes inueniunt; nec, qui inuenerint* (vtique fideles) *statim ingrediuntur per eam. Multi enim inuenta veritatis via, capti seculi voluptatibus de medio itinere reuertuntur.* Si igitur Christus alloquitur fideles, & loquitur *de angusta porta* ex difficultate obseruandi præcepta, mainfestè apparet loqui de paucitate fidelium, qui per hanc viam præceptorum gradiuntur, respectiuè ad multitudinem eorum, qui ambulant per *viam latam* voluptatum: quæ *ducit ad perditionem.* Et in hoc sensu accipi solet communiter à fidelibus *via arcta & via lata.* Credendum igitur est Christo de via; qui solus nobis Dux esse potest ad patriam. Et, cum manifestè appareat plerosque fidelium ambulare per viam latam, euidens debet esse consequentia plerosque duci ad perditionem. Quod animaduertens Augustinus in Psalm. 39. in ea verba. *Videbunt iusti, & timebunt, timebunt*, inquit, *angustam viam. Vident illac latam viam; vident hac angustam. Hac vident paucos, illac multos.* Loquitur autem Augustinus inter ipsos fideles. Subdit enim; *Noli numerare turbas hominum incedentes per vias latas, implentes crastinum circum, ciuitatis natalem clamando celebrantes, ciuitatem ipsam malè viuendo turpantes. Noli illos attendere, multi sunt: & quis numerat? pauci autem per viam angustam. Profer stateram: appende; vide contra pauca grana electorum, quantam paleam reproborum leues.* *Anselmus.*

Quartus locus est Matth. 26. *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Auditis autem his discipuli mirabantur valde, dicentes, Quis ergo poterit saluus esse?* Quæ illatio iure facta est à discipulis: *Quippe à minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ student*, Ier. 6. *Et omnes quæ sua sunt, quærunt*, ad Phil. 2. Si igitur etiam inter ipsos fideles ex ore Christi pene impossibile est diuitem intrare in regnum cœlorum; manifestè apparet etiam inter fideles paucitas saluandorum. Qui enim non sunt diuites re, sunt diuites spe & affectu: quod deterius est. Nam, *Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueos & tentationes diaboli*, 1. ad Tim. 6. Vnde sequitur etiam inter fideles paucos saluari; eos scilicet qui voluntariè facti pauperes spiritu, vel saltem affectu, diuitiis non inhærent. De quibus dici potest illud tritum Poëtæ, *Rara auis in terris*, seu potiùs illud Sapientis Eccl. 31. *Beatus vir qui post aurum non abiit. Quis est hic* &c. Confirmatur ex Matth. 6. vbi di- *Matt. 16.* Diuitibus difficultas salutis. *Ierem. 6.* *Ad Philip. 2.* *2. Ad Tim. 6.* *Eccles. 31.* *Matth. 6.*

citur, *Nemo potest duobus dominis seruire.* Quod Christus explicans
Augustinus. subdit, *Non potestis Deo seruire, & mammonæ*; ideſt, vt Auguſtinus & alii interpretantur, diuitiis, lucro, pecuniæ. Idcirco monet ibi Christus resecandam à Christianis sollicitudinem etiam victus & vestitus: *hæc enim omnia gentes inquirunt.* Quotus autem quisque est, qui pecuniis non inhiet, qui mammonæ non seruiat, qui pene totam sollicitudinem huic sæculo non impendat? Si igitur hi ex ore Christi non Domino seruiunt, sed mammonæ, non poterunt connumerari inter eos qui expectant mercedem à Domino, atque adeo nec inter electos. Hoc autem est maxime animaduertendum: quia in plerisque tota fiducia de felicitate salutis pendet ex hoc quod putent posse se & Deo seruire, & pecuniæ: cuius contrarium Christus definit, *Non potestis Deo seruire, & mammonæ*, exemplificans etiam in necessariis ad vestitum & victum. Si igitur etiam inter adultos fideles pauciſſimi sunt, qui pecuniæ saltem affectu non seruiunt, pauciſſimi etiam erunt qui Domino seruiunt; cùm nemo possit vtrique seruire. Ergo sic pauciſſimi sunt qui expectare possunt à Deo tanquam à Domino gloriam vt mercedem. Ergo pauciſſimi sunt qui saluantur; cùm salus adultis non obueniat, nisi vt merces seruitii impensi Deo.

VI. *Matth. 25.* Quintus locus est Matth. 25. vbi dicitur *regnum cælorum simile decem virginibus; & quinque ex eis fatuæ, & quinque prudentes*: id est, vt explicat Christus in fine parabolæ, quinque virgines reprobæ. quibus dicitur *Nescio vos*: quinque electæ, quæ admissæ à sponso *intrauerunt cum eo ad nuptias.* Ergo etiam in statu perfectiſſimæ virginitatis, totidem à Christo ponuntur virgines reprobæ, quot electæ. Ergo hinc manifestè arguitur in statu imperfecto, qualis est status communis adultorum fidelium, plures esse reprobos quàm electos; cùm valde recedat hic status communis à statu perfectiſſimo virginitatis. Quod expendens Gregorius homilia 12. in Euangelia, dicit *Redemptoris voce decem Virgines, omnes dici virgines: & tamen non omnes intra beatitudinis ianuam receptas.* Vnde infert *non solùm nos debere praua opera fugere, & mundi huius inquinamenta deuitare, sed etiam cum magna cautela tenenda bona, quæ agimus; ne appetitus laudis subrepat*, &c. Quod vanæ gloriæ peccatum inter leuiſſima computatum, ponitur tot virginibus causa fuisse reprobationis. Chrysostomus homilia 79. in Matth. dicit hanc parabolam à Christo positam, *vt ostenderet virginitatem, quamuis verè habeatur si misericordiæ bonis caruerit, cum fornicatoribus eiici.* Defectus autem in misericordia non solet grauiter æstimari. Status autem virginitatis, qui à Cypriano lib. de disciplina & habitu Virginum dicitur *flos Ecclesiastici germinis, & illustrior portio gregis Christi*, talem numerum efficit reproborum, vt à Christo dicantur quinque Virgines reprobæ, & quinque electæ. Hoc autem non dictum est ad dehortandum à

Gregorius. Virgines fatuæ ob vanam gloriam reprobatæ.

Chrysostom. Virgines fatuæ ob immisericordiam damnatæ.

Cyprianus.

statu

ſtatu virginitatis, qui proximus eſt ſtatui Angelico; ſed, vt aduertit Chryſoſtomus loco citato, *Ne quis ea perfecta ſe totum feciſſe exiſtimaret*: cùm dentur etiam virgines fatuæ & reprobæ. Quod expendens Caietanus in Matth. cap. 25. *Terribilis*, inquit, *ſententia, quia media tantùm pars fidelium, quorum lucent tam bona opera quàm ſtudia ad obuiandum ſponſo, prudens, ac per hoc ſaluanda deſcribitur.* *Chryſoſt.* *Caietanus.*

Sextus locus eſt 1. ad Cor. 10. *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt: & omnes mare tranſierunt: & omnes in Myſoe baptizati ſunt in nube, & in mari: & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt: ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri.* Et infra: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Duo dicit Apoſtolus. Primum eſt, patres Hebræorum, ideſt, eos qui deceſſerunt ex Ægypto, vt peruenirent ad terram promiſſionis, fuiſſe *omnes baptizatos in nube & in mari*; nempe præcedente columna nubis, in mari rubro, per figuram ſcilicet veri Baptiſmi: *& omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaſſe*; nempe manna, quod ſpiritualiter figura erat Euchariſtiæ: *& omnes eundem potum ſpiritualem bibiſſe de ſpirituali conſequente eos petra:* non quod petra, quæ ſcaturiuit aquas Num. 20. dimota ſit de ſuo loco miraculosè, & ſecuta per deſertum Hebræos, ad perpetuam aquarum ſcaturiginem, vt ſomniarunt Rabbini: ſed quia omnes eundem potum fidei bibebant *de ſpirituali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus*, per fidem ſcilicet in Chriſtum venturum, Abrahæ iampridem promiſſum. Et tamen *non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo. Nam proſtrati ſunt in deſerto.* Quippe egreſſi de Ægypto *cum ſexcentis ferè millibus peditum, abſque paruulis & mulieribus*, vt dicitur Exod. 12. non intrarunt terram promiſſam, præter Caleb & Ioſue, vt habetur Deut. 1. Alterum, quod dicit Apoſtolus eſt, *hæc omnia in figura contigiſſe illis*, quia ſcilicet terra promiſſa figura erat æternæ patriæ: deſertum, figura erat huius vitæ: Hebræi *baptizati in mari* rubro, & credentes in Chriſtum venturum, figura erant fidelium, qui ſunt in Eccleſia poſt Chriſtum. Pharao, & Ægyptii omnes demerſi, figura reproborum infidelium: Hebræi mortui in deſerto, & non intrantes terram promiſſionis, figura reproborum ex fidelibus: Ioſue & Caleb intrantes in terram promiſſam, figura electorum; vt expreſſe docet Gregorius in Pſalmos ſeptem pœnitentiales. Ergo ex hoc habetur intra fideles Eccleſiæ tanta paucitas ſaluandorum, eorum ſcilicet qui ingrediuntur terram promiſſam, vt deſignetur per ſolos Ioſue & Caleb, nempe per ſolos duos comparatos ad infinitam multitudinem ab eadem terra promiſſionis excluſam. Videtur argumentum Origenis hom. 21. in cap. 26. Num. vbi, *Terræ*, inquit, *huius* (terræ promiſſionis) *diui-* 1. Cor. 10. *Num.* 20. Petram ſcaturientem aquas, ſequacem fuiſſe populi per deſertum ſomniarunt Rabbini. Iſraëlitæ in deſerto fidelium Chriſtianorum figura, *Exod.* 12. *Deut.* 1. Ioſue & Caleb ſoli ingreſſi terram promiſſionis paucitatem ſaluandorū deſignant. *Gregorius.* *Origenes.*

sionem, hæreditatemque terrenam speciem dicimus tenere, & imaginem futurorum, ac formam cælestis illius hæreditatis ostendere. Requiro in illa, qui sint plures, & qui sint pauci; & inueni ibi beatiores paucos haberi, quàm plures, &c. prosequens hoc argumentum, quòd pauci sint qui saluantur. Disertè id ex hac figura collegit Augustinus. VII. *Augustin.* serm. 102. de tempore, vbi, *Non transitoriè*, inquit, *nec negligenter, sed cum ingenti tremore considerandum est, quia de sexcentis millibus duo tantùm terram repromissionis ingressi sunt. Hoc ergo audiant, qui ita Dominum misericordem esse volunt, ut iustum esse non credant.*

Confirmatur, quia si in Israëlitis qui ante aduentum Christi populus Dei erant, non figuram, sed rem ipsam inspiciamus, prædestinati ex iis numerantur Apoc. 7. duodecim millia è singulis tribubus, excepta tribu Dan, & substituta loco eius tribu Leui: qui conficiunt numerum centum quadraginta quatuor millium, & hos solos ex Hebræis prædestinatos esse affirmat Bellarminus libello citato, & alii in eum locum. Hic autem numerus, per tot sæcula ab Abrahamo vsque ad Christum, minimus omninò est comparatus ad totam Hebræorum multitudinem. Quippe Dauide regnante numerata sunt *ex Israel mille millia, & centum millia virorum educentium gladium: de Iuda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum*, Paralip. 1. cap. 21. & ex numero hostiarum, quas in Paschate recenset Iosephus lib. 2. bell. Iud. cap. 17 colligit eruditissimus Raynaudus in libello de sancto Latrone, tempore Paschatis conuenire solitos Hierosolymis, *quadragies centum, & centum hominum millia.* E tanto Hebræorum numero per tot sæcula toties replicato computantur solùm *centum quadraginta quatuor millia signati*, idest iuxta communem expositionem prædestinati & electi. Quod in his accipiatur numerus certus pro incerto, vt volunt Cornelius, & alii, saltem genericè verificatur: vt aduertit Viegas in eum locum, multò minorem esse numerum signatorum, idest electorum ex Iudæis, quàm sit reliqua multitudo ad eandem synagogam spectantium. Et sic colligere possumus numerum electorum inter fideles Ecclesiæ, quæ synagogæ successit, multò minorem numero reproborum; cùm hoc ipsum, quod *non in pluribus eorum beneplacitum sit Deo, in figura factum sit nostri*, vt dictum est Apostolo. Quamobrem Irenæus libro 4. aduersus hæres. cap. 46. citans hunc locum Pauli, *Quemadmodum*, inquit, *ibi* (in synagoga) *in pluribus eorum qui peccauerunt, non bene sensit Deus: ita & hic* (in Ecclesia) *sunt vocati multi, pauci verò electi.* Chrysostomus etiam in eum Pauli locum: *Ostendit*, inquit, *quemadmodum illis* (Hebræis) *non profuit tanti muneris fructus: ita neque his baptismatis munus & spiritualia mysteria proficere, nisi vitam tali gratia dignam exhibeant.*

Septimus locus est eiusdem ibidem: *Omnes quidem currunt; sed*

Apocal. 7. Prædestinati ex Hebræis centũ quadraginta quatuor millia.

Bellarmin. 1. *Paral.* 21. *Iosephus. Raynaudus.* Quatuor Hebræorum milliones conuenire soliti Hierosolymis die Paschatis.

Cornelius. Viegas.

Irenæus.

Chrysost.

1. *Cor.* 9.

vnus accipit brauium. Sic currite vt comprehendatis. Loquitur de brauio æternæ gloriæ, vt patet ex contextu. Sequitur enim: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Quod priùs appellauerat *brauium*, postea appellat *coronam incorruptam.* Dicit igitur, sicut ex omnibus qui currunt, non omnes, sed vnus accipit brauium: ita proportionaliter ex multis, qui ad æternam felicitatem currunt, vnum accipere coronam gloriæ. Loquitur autem non de quibuscumque, sed de iis qui iam fideles sunt, & gradiuntur per viam salutis: immo per eam non quomodocumque ambulant, sed *currunt*: & ex iis dicit *ab vno accipi brauium.* Et est plané id quod infra dicitur ex Patribus, inter ipsos fideles *è centum saluari vix vnum.* Non potuit expressiùs significari prædestinatorum paucitas, quàm à Christo per quinque Virgines, à Moyse per duos intrantes in terram promissionis; à Paulo per *vnum accipientem brauium.* Expendenda etiam sunt duo, quæ addit ad significandam hanc paucitatem. Primum est, *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*, &c. vt ostendat requiri ad accipiendam coronam in agone, vt quis *ab omnibus se abstineat.* Quotus autem quisque est, qui hoc faciat? Alterum quod subdit, est, *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne, cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Apostolus & Magister Gentium, qui de se dictum nouerat, *Vas electionis est mihi iste*, timet ne efficiatur reprobus, nisi *castiget corpus, & in seruitutem redigat*: idque postquam prædicauerat Christum gentibus, & in perpetua virginitate permansérat, vt ipse de se testatur 1. ad Corinth. 7. Apertè ex hoc colligitur mens Pauli de difficultate salutis, & paucitate electorum, à quibus timet excludi vas electionis. Quamobrem Chrysostomus in eum locum, *Quidnam*, inquit, *nos dicemus, si Paulus hoc timuit, cùm talis esset præceptor; cùm post prædicationem, & orbis terrarum susceptum patrimonium, formidauit?* Et infra: *Nam si prædicare, docere, innumeros ad salutem adducere, illi non sufficit ad salutem, nisi se irreprehensibilem exhibeat, longè minùs sufficiet nobis.*

Paucitas saluandorum à Paulo significatur per unum accipientem brauium.

Paulus timēs reprobari, difficultatem summam ostendit salutis.

1. Cor. 7.

Chrysost.

Octauus locus conflabitur ex plurimis tum figuris, tum similitudinibus sacræ Scripturæ, quibus electorum intra Ecclesiam paucitas designatur. Prima figura est arca Noë, in qua ex tota hominum multitudine pauciſſimi saluati sunt. Hæc figura ad hanc paucitatem saluandorum ostendendam in Ecclesia adhibetur, 1. Petri 3. *Quando expectabāt Dei patientiā in diebus Noë, cùm fabricaretur arca: in qua pauci, ideſt octo animæ salvæ factæ sunt per aquam: quod & vos similis formæ saluos facit Baptisma.* Dicit arcam, in qua Noë cum paucis saluus factus est per aquam, figuram fuisse Ecclesiæ, in qua fideles salui fiunt per Baptismum. Signanter autem dicit *in arca paucos, ideſt octo animas saluas factas esse*, vt ostendat paucitatem prædestinatorum

VIII.

1 Petr. 3. Arca Noë figura saluandorum.

in Ecclesia. Quamuis verò hìc non fiat comparatio fidelium inter se; tamen cùm dicitur paucos saluandos esse in Ecclesia, sicut pauci, ideſt octo animæ saluæ factæ sunt in arca, respectiuè ad reliquos omnes homines, qui tunc in diluuio perierunt, satis ostenditur tanta in Ecclesia paucitas saluandorum, vt comprehendere non possit præter paruulos maiorem partem adultorum: nulla enim daretur proportio cum iis, qui in arca octo tantùm, respectiuè ad reliquos omnes homines, saluati sunt. Diluuium autem illud vniuersale figuram fuisse extremi Iudicii, dicitur etiam à Dauide Psal. 33. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Ex hoc diluuio in Ecclesiæ arca pauci salui fiunt: licet multi sint intra hanc arcam. Ideo subdit ibidem Petrus, *quod & nos similis formæ saluos facit Baptisma: non carnis depositio sordium, sed bonæ conscientiæ interrogatio in Deum.* Quod perpendens Augustinus libro 5. de baptismate contra Donat. cap. 18. dicit *homines in vnitate Catholica baptizatos, qui sæculo solis verbis, non factis renunciant, non pertinere ad huius arcæ mysterium, in quibus non est conscientiæ bonæ interrogatio.* Hanc eandem arcæ figuram ad ostendendam paucitatem electorum affert Chrysostomus libro 1. aduers. vitup. vitæ Monasticæ, vbi: *Cùm Christus*, inquit, *ampliorem peccantium partem asseueret, atque in paucis salutem præfinitam dicat, Quid impugnas aduersum me? Prorsus enim idem facis, ac si de Noë & diluuio nobis verba facientibus admirareris: & an id fieri potuerit, duoque tantùm vel tres homines effugerint, interrogares.* In hoc etiam expendi oportet, quod arcæ cacumen, seu pars superna, erat arctissima; pars verò inferna erat latissima: vt significaretur in arca Ecclesiæ paucos ad superna deduci, plurimos ad inferna. Quod adnotauit Origenes hom. 21. in cap. 26. Num. vbi, *Quam pauci*, inquit, *sunt qui saluantur, Sed & in arca quæ à Noë constructa est, vbi mensura cælitus designatur, in inferioribus arcæ centum cubitorum ponitur longitudo, & quinquaginta latitudo: summitas in vnius cubiti spatium consumatur.*

Diluvium universale figura extremi judicii.

Augustinus.

Chrysostom.

Arcæ pars superior arcta, inferior lata paucitatem salvandorum designat.

Origenes.

Secunda figura reperitur Gen. 20. vbi Pentapolitanum incendium figura fuit extremi Iudicii; *cùm Dominus*: vt canit Ecclesia, *venerit indicare sæculum per ignem.* Loth autem, & tres aliæ animæ ex eo igne saluatæ, quo omnes quinque vrbium incolæ perierunt, incendio extendente se per septuaginta duo milliaria in longum, & novemdecim in latum, vt testatur Iosephus lib. de antiqu. Hebr. signa sunt paucorum electorum, qui in eo vniuersali incendio saluabuntur. Quod animaduertens Isidorus Hispalensis alleg. in Script. *Loth*, inquit, *typum habuit Sanctorum, qui in fine sæculi ab impiorum incendio liberabuntur.*

Incendium Sodomorum figura futuri judicii.

Tertia figura est ingressus paucorum in terram promissionis: de qua

dictum est supra occasione testimonii producti ex Paulo.

Quarta figura est eversio urbis Iericho, salva sola domuncula mulieris nomine Rahab, ut habetur in libro Iosue cap.7. Iericho enim, ut notat Gregorius hom.2. in Evang. *idem sonat ac Luna, & mundi hujus mutabilitatem designat.* Muri autem Iericho *clangentibus tubis illico corruentes*, Iosue 6. mundi figurabant excidium completum extremo die *in novissima tuba*, 1. ad Cor.15. Rahab autem, quæ sola salvata est cum paucis, figura fuit salvandorum. Dicitur enim ad Heb.11. *Rahab fide non periisse*: & Iac.2. *Rahab ex operibus justificata.* Ideo à Chrysostomo hom.5. de pœnit. dicitur *admirabilis illa Rahab per pœnitentiam salvata.* Et Iosue 2. dicitur salvata per *signum funiculi coccinei*: quia scilicet, ut notat Ambrosius libro 5. de fide cap.5. *vexilla Dominicæ Passionis attollens coccum in fenestra ligavit: ut species cruoris mystici, quæ foret mundum redemptura vernaret.* Nempe electi omnes, ut notat Rupertus in cap.13. *per unum salvantur funiculum coccineum, per Crucis & Passionis Christi signaculum.* Si igitur, ut notat Lyranus in eum locum, *Iericho significat civitatem culpæ, quam fecit amor sui, usque ad contemptum Dei*; in hac latissima ciuitate reproborum electa est ad salutem sola Rahab, quæ erat in medio illorum, ut ait Chrysostomus homilia 5. de pœnit. *velut in lotabro confusa margarita, aurum in luto abjectum, flos spinis confossus, religiosa anima inclusa in loco impietatis.* Hanc igitur comparationem habent electi ad reprobos, quam domus Rahab ad universam urbem Iericho.

Rahab figura prædestinatorum. *Iosue 7.* *Gregorius.* Iericho quid significet. *Iosue 2.* *1.Cor.15.* *Ad Heb.11.* *Iacob 2.* *Chrysostom.* *Iosue 2.* *Ambros.* *Rupertus.* Iericho civitas culpæ. *Lyranus.* *Chrysost.*

Quinta figura sumitur ex libro Iudicum cap.7. ubi ex triginta duobus millibus qui erant in exercitu, Gedeon elegit tantùm trecentos qui victoriam de hostibus reportarent, reliquos reprobavit. Gedeon autem apertissima est Christi figura, ut expressè Origenes hom.8. & 9. in lib. Iudicum, Augustinus serm.108. de tempore, & lib.7. quæst. in lib. Iud. Theodoretus q.14. & 15. in lib. Iud. & alii. Idque habetur Isaiæ 10. vbi dicitur de Christo *sceptrum exactoris superasse, sicut in die Madian*, idest, sicut Gedeon Madianitas. Trecenti igitur electi inter triginta duo mille rejectos, significant electos inter reprobos. Sicut enim fuerunt rejecti, *qui curuauerunt genua vt biberent*; & electi, qui hoc non fecerunt; ita, vt notat Origines hom.9. in l. Iud. *ille electus est, qui postquam ad aquam Baptismi ventum est, flecti ad terrenas necessitates nescit: qui vitiis non indulget: neque ob peccati sitim sternitur pronus.* Apertè loquitur de Christianis: ait enim, *postquam ventum est ad aquam Baptismi.* E quibus tota ferè multitudo rejecta dicitur, præter trecentos, qui electi sunt ex eo quod *lamberent aquam, sicut lambit canis.* Quippe, vt notat Augustinus in lib. Iud. quod *illi probati sunt, per quos vinceret, qui similes in bibendo canibus dicerentur, significat quod contemptibilia & ignobilia elegit*

Iud.7. Gedeon Christi figura, *Origenes.* *Augustinus.* *Theodor.* *Isaiæ 10.* Trecenti Gedeonis milites signa electorũ. *Origenes.* Coram Gedeone electi, qui lambebant aquã ut canes. *August.*

Dominus. Electi igitur à Domino ad vincendos Madianitas, ideſt dæmones, eam proportionem habent ad reprobos, quam ſoli trecenti ad triginta duo millia rejectorum. Simile quid habetur lib. 3. Reg. cap. 19. ubi dicitur *Deum dereliquiſſe ſibi in Iſraël ſeptem millia virorum, quorum non ſunt incurvata genua ante Baal.* Ex multitudine pene innumerabili Iſraëlitici populi, non plus quàm ſeptem millia ſibi à Deo reſervata paucitatem deſignant electorum inter fideles. Ideo in revel. ſanctæ Birgittæ lib. 1. cap. 56. Chriſtus ei ita dicit: *Sicut dicebatur ad Heliam, qui nullum ſupereſſe putabat amicum meum, habeo ſeptem millia, &c. Sic ego, licet multi ſint inimici, habeo tamen occultos amicos inter eos.*

3. Reg. 19.

Reuelationes S. Birgittæ.

Sexta figura habetur Ezech. 9. ubi jubetur Angelus *ſignare Tau ſuper frontem virorum gementium, & dolentium ſuper abominationibus quæ fiebant: & interficere omnes reliquos, incipiendo à ſanctuario.* Ex qua figura Auguſtinus lib. de unitate Eccleſiæ. cap. 13. colligens paucitatem ſalvandorum ex fidelibus, *De bonorum*, inquit, *paucitate propter malorum plurium comparationem pauca commemoro.* Et infra. *Vidit Ezechiel ſignatos quoſdam, ne cum malis pariter interirent, de quibus dicitur, qui gemunt, & mœrent peccata populi mei, quæ fiunt in medio eorum. Populum ſuum non diceret, quem paucis ſolis illæſis, perire mox jubet, niſi qui ejus ſacramenta geſtabant.* Apertè loquitur de paucis electis in comparatione plurium perditorum ex eodem populo Dei. Ex quo, ut notat Origenes homil. 8. in Ezech. *Illi ſolùm hoſpites reſervantur, quos Thau littera, ideſt crucis pictura, ſignabat.* Advertendum etiam in hac figura *ſex viros*: ideſt, ut explicat Theodoretus, & alij, ſex Angelos miſſos ad occidendum: unum verò ad ſignandum Thau; ſex ad reprobos, unum ad electos, illorum multitudinem, horum paucitatem deſignare. Idem habetur ex Apocalypſi cap. 7. ubi mittitur etiam unus Angelus ad ſignandos electos: & cap. 15. *Septem Angeli cum ſeptem phialis plenis iracundiæ Dei viventis:* & cap. 8. introducuntur *ſeptem Angeli cum ſeptem tubis*: quæ datæ erant ad intimanda ſupplicia. *Et primus Angelus tuba cecinit: & facta eſt grando, & ignis, &c. Et ſecundus Angelus tuba cecinit: & tanquam mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare:* & ſic in cæteris ſeptem tubis; quæ datæ ſunt ſeptem Angelis. *Vnus* vero *Angelus ſtetit ante altare habens thuribulum aureum de orationibus ſanctorum* &c. ſeptem Angeli deſignantur ad ſupplicia reproborum, unus ad orationes ſanctorum.

Ezechiel. 9.

Auguſtinus.

Signati Tau electos deſignant.

Origenes.

Angeli ſex ad perdendos reprobos vnus mittitur ad ſaluandos electos.

Apoc. 7.

Apoc. 15.

XI.

Huc etiam pertinet, quod dicitur in eadem Apocal. cap. 20. ubi Ioannes *vidit mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni: & libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ.* Contrà diſtinguit librum vitæ, in quo electio & opera eorum bona ſcripta ſunt, ab aliis libris, in quibus ſcripti ſunt reprobi, & opera eorum

Apoc. 20.

mala. Quæ expositio patet ex sequentibus. Subdit enim, *iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris : secundùm opera ipsorum*; ideſt, vt interpretatur Hugo; *lecti sunt libri*; *& mortui*, *ideſt mali*, *iudicati sunt à Sanctis secundùm opera eorum quæ scripta erant in libris.* Liber vitæ vnicus ponitur : libri mortis seu reproborum plures : vnus ille, quia paucos continet saluandos : multi hi, quia multos continent damnandos. Quod adnotans Viegas in hunc locum, *Multi*, inquit, *libri ad reprobos, vnicus libellus ad prædestinatos, spectabat : Cùm enim multi sunt reprobi, multos oportet esse libros in quibus describantur. Quia verò, electi pauci numero, si cum reprobis comparentur, vnus, isque perexiguus libellus iis omnibus notandis sufficiet.* *Hugo Card.* *Viegas.*

Septima figura est probatica piscina, quæ, vt habetur Ioan. 5. *erat quinque porticus habens. Ex his iacebat multitudo magna languentium cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum.* Ex tanta multitudine ad descensum Angeli saluabatur vnus; ille scilicet, *qui prior descendisset in piscinam, post motionem aquæ.* Hæc piscina symbolum erat baptismi, vt notat Tertullianus lib. de Bapt. c. 5. Ambrosius libro 1. de Spiritu sancto cap. 7. Chrysostomus in eum locum Ioannis, vbi, *cùm vellet*, inquit *Deus appropinquantis baptismi fidem nos erudire, morbos per aquam expulit.* Ideo lectio Syriaca pro *piscina* vertit *baptisterium.* Angelus descendens in piscinam est ipsemet Christus appellatus Isaiæ 9. iuxta lectionem Septuaginta, *magni consilii Angelus*, cuius virtute aqua baptismalis mouetur, seu eleuatur ad producendam gratiam. Mirabile tamen est, quod cùm per aquam baptismalem sanantur omnes, per aquam probaticæ piscinæ, vt ibi notat Augustinus, *saluabatur vnus*; *& postea quisquis veniret, non sanabatur.* Nimirum eo mysterio non aliud videtur posse significari, nisi Christianis post baptismum, perfectam & consummatam salutem, quæ in prædestinatione consistit, tam paucis obtingere, quasi è multis saluetur vnus. Quod fortasse significatur etiam Isaiæ. 27. *Congregabimini vnus, & vnus filii Israël.* Figuratum id etiam fuit in vna vidua, ad quam missus est Elias; & in vno leproso quem mundauit Elisæus. Quod expendens ipsemet Christus Luc. 4. *Multæ*, inquit, *viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cælum, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam, & multi Leprosi erant in Israël sub Elisæo Propheta : & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Præterea id etiam innuitur Cant. 6. vbi dicitur quod *Salomoni sexaginta erant Reginæ, octoginta concubinæ, & adolescentularum non erat numerus.* Ex his *vna columba, vna dilecta.* Ex omnibus vnus leprosus mundatus: è plurimis vna Salomoni dilecta: ex innumeris vnus ex probatica piscina sanatus. Certè cùm hæc mysterio non vacent, significant id quod infra dicetur è Sanctis, *è decem millibus saluari vix vnum.* Hæc quoad figuras. *Ioan. 5.* *Tertull.* *Ambrosius.* *Chrysostom.* Probatica piscina figura baptismatis. Angelus descendens in piscinam figura Christi. Vnus sanatus in piscina paucitatē saluandorū designat. *Isaiæ 27.* Prædestinatorum paucitas signatur per unitatem. *Lucæ 4.* *Cantic.*

Quod verò attinet ad similitudines. Prima similitudo sumitur ex Gen. 23. vbi Abrahæ dicitur, *Multiplicabo semẽ tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est in littore maris.* In hoc expende, quod Abraham dicitur ad Rom. 4. *pater omnium credentium*: & sic semen ipsi promissum, sunt omnes credentes. Præterea, assimilantur hi rebus valde dissimilibus, nempe *stellis cæli, & arenæ maris.* Nempe electi stellis cæli, vt dicitur Dan. 12. reprobi autem arenæ maris huius sæculi fluctibus agitatæ. Stellæ autem licet multæ sint, & ex artificiosa quadam dispositione innumerabiles videantur, non transcendunt ea quæ apparent, numerum mille & duarum supra viginti, vt Mathematici testantur. Hæc pauciſſimæ sunt respectu numeri arenarum, quæ per omnia littora non solùm superficie tenus, sed etiam vsque ad profundum in quantitate adeo minima coaceruata & conspissata cernuntur: & ideo dicitur loco citato specialiter de arena maris, *quæ præ multitudine numerari non potest.* Electi igitur in comparatione reproborum, sunt stellæ cæli in comparatione numeri arenæ maris.

Gen. 22.

ad Rom. 4. Prædestinati stellæ, reprobi, arena. Dan. 12.

Est animaduersio Augustini libro 3. contra Cresconium cap. 37. vbi probans *paucos saluari*, nempe *bonos Christianos, qui per seipsos multi sunt, in comparatione malorum, falsorumque itidem pauci sunt*, subdit infrà: *Sic etiam, vt de ipso Dei testamento dicam quod factum est ad Abraham de semine eius, quod est Christus, multæ sunt stellæ, quas numerare non possumus: quibus tam grande cælum vndique circumfulget, & paucas dicimus in comparatione arenæ maris. Fortè stellæ signauerunt spirituales Christianos: maris autem arena, carnales.* Hinc colligitur paucitas electorum etiam inter ipsosmet Christianos.

Augustinus.

Secunda similitudo sumitur ex 1. Reg. 25. vbi appellantur electi, *fasciculus viuentium. Erit anima Domini mei* (Dauidis) *custodia quasi in fasciculo viuentium. Inimicorum autem eius anima rotabitur*, &c. vbi Glossa; *Pulcherrima comparatione statum iustorum & reproborum discreuit*: quia scilicet, vt ibidem Lyranus, *sicut ramusculi fasciculo ligantur, & in aqua ponuntur, & postea transplantantur; sic iusti transplantantur in terra viuentium.* Sed, quod ad rem nostram facit, electi comparantur fasciculo, qui, vt notat Cornelius in Amos 6. *componitur ex floribus selectis & paucis*: isque aptè significat paucitatem electorum inter fideles. Quippe mundus totus constans ex fidelibus & infidelibus, veluti quidam ager est ex Luc. 6. iuxta expositionem Gregorii hom. 15. in Euang. Ecclesia fidelium est quasi hortus conclusus, ex Cant. 4. Electi in tota amplitudine & mundi totius & Ecclesiæ, sunt veluti collectus ex hoc horto fasciculus: quia, vt notat Eusebius libro 1. in 1. Reg. *Sicut fasciculus vinculis colligatur: ita omnis cœtus Sanctorum eadem fide, spe & charitate constringitur. Et sicut facillimum est fasciculum conseruare; ita electos omnes ab initio vsque ad finem sæculi, Deus sine vllo labore tuetur.* Electi ab

1. Reg. 25. Prædestinati fasciculo comparantur.

Mundus ager, Ecclesia hortus, electi fasciculus. Luc. 9. Gregorius. Cant. 4. Eusebius.

initio

initio vsque ad finem sæculi non sunt nisi fasciculus, ad significandum paucitatem electorum. Ideo etiam dicitur Amos 9. *Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit.* In quem locum Cornelius, *Fasciculus*, inquit, *hic est Sanctorum colligatus vinculo charitatis in terra, vinculo prædestinationis in mente Dei.* Quod autem hoc dicatur ad ostendendam electorum paucitatem, apertè Hieronymus in eum locum, *Ille*, inquit, *intelligitur, qui quotidie fasciculum suum fundauit super terram: de quo in Euangelio loquitur, Nolite timere, pusillus grex.* Idem est, ex Hieronymo, *pusillus grex*, & *fasciculus.* Sicut igitur, vt notat Beda lib. 4. cap. 54. in Lucam, *pusillum gregem electorum nominat ob comparationem majoris numeri reproborum*; ita etiam hic fasciculus ob selectionem & paucitatem electorum. Contrà verò reprobi sarmentis inutilibus comparantur, qui plurimi ex vitibus amputantur. Ideo dicit Ioan. 15. *Si quis in me non manserit mittetur foras, sicut palmes, & arescet; & in ignem mittent, & ardet.* Quod si aliquando reprobi assimilantur fasciculo, pluribus fasciculis, non vnico assimilantur, comburendis in gehenna, iuxta illud Matth. 13. *Colligite primùm zizania, & colligate ea in fasciculos ad comburendum.* Vnicus viuentium fasciculus custodiendus in manu Domini ex loco citato sarmentorum plurimi fasciculi colligendi ad comburendum, in quo etiam reproborum pluralitas demonstratur. Quod innuit Hugo Cardinalis in eum locum Matth. vbi, *Fasciculus:* inquit, *electorum animæ custoditæ in fasciculo: fasciculi reproborum, colligite ea in fasciculos fasciculi culpæ; solue fasciculos deprimentes*, cùm contrà electi sint tanquam vnus *viuentium fasciculus custodiendus in manu Domini.* Electi igitur fasciculus ex agro Ecclesiæ, satis demonstrat paucitatem eorum inter fideles.

Amos 9.

Cornelius. Electi fasciculus colligatus vinculo charitatis in terra, prædestinationis in mente Dei.

Hieronym. Beda.

Ioan. 15. Electi fasciculo, reprobi fasciculis exprimuntur.

Hug. Card.

Tertia similitudo sumitur ex Cant. 2. vbi electi assimilantur lilio, reprobi spinis. *Sicut lilium inter spinas ita amica mea inter mulieres*; siue, vt legit Augustinus, *inter filias.* Dicuntur electi esse inter reprobos, tanquam vnum lilium inter multas spinas. Non satis fuit comparari electos omnes florum fasciculo, nisi etiam, ad ostendendam paucitatem, assimilarentur vni lilio inter spinas quamplurimas. Vt autem appareat sermonem esse de electis in comparatione ad reprobos, non quoscunque, sed fideles, dicuntur esse sicut lilium inter spinas, sic ipsi inter filias, ideſt inter animas Christianas; quæ, quamuis reprobæ filiæ dici possunt per communicationem Sacramentorũ. Est expositio Augustini in libro de vnitate Ecclesiæ cap. 14. vbi loquens de bonorum paucitate per malorum plurium comparationem. *Est*, inquit, *in Canticis Canticorum, quod de sancta Ecclesia dictum, omnis Christianus agnoscit, sicut lilium in medio spinarum; ita proxima mea in medio filiarum. Vnde appellat spinas? propter malignitatem*

X.

Cant. 2. Electi vt vnum lilium inter multas spinas.

Augustin. Peccatores fideles sunt spinæ, & sunt filiæ.

morum. Vnde filias vocat ? propter communionem Sacramentorum. Dicit autem esse electos inter hos reprobos, tanquam vnum lilium inter plurimas spinas. Vnde infra colligit paucitatem Prædestinatorum inter fideles, vt patebit ex verbis quæ dabuntur infra.

Matt.3. Electi triticum, reprobi paleæ.

Quarta similitudo sumitur ex Matth.3.ubi electi comparantur tritico, reprobi paleis: *Permundabit Deus aream suam, & congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili.* Loquitur de reprobis, non quibuscumque, sed fidelibus: tum quia desumuntur ex eadem area, quæ est Ecclesia: tum quia palea habet eandem radicem cum tritico. Ideo Augustinus libro 9. in Euang. in Matth. cap. 11. *Illi*, inquit, *qui in eadem fide mali, sunt palea potiùs, quàm zizania reputantur: quia palea fundamentum ipsum habet cum frumento, radicemque communem.* Excludit autem etiam ipsos hæreticos, quos vult non venire nomine paleæ, sed zizania, *quia societate solius nominis Christiani in hoc mundo bonis permiscentur.* Inter fideles igitur Catholicos electi tritico assimilantur, reprobi paleis, quæ in comparatione frumenti sunt longè plures; ita vt in area vix grana appareant inter paleas. Est animaduersio Augustini in Psal 47. vbi in ea verba, *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio populi tui:* (ita enim ipse legit, vbi vulgata *templi tui*) *Populus*, inquit, *Dei censentur omnes, qui portant Sacramenta eius*: sed non omnes *pertinent ad misericordiam eius.* (non omnes pertinent ad misericordiam electorum) *Omnes quippe Sacramentum Baptismi accipientes Christiani vocantur: sed non omnes dignè illo Sacramento viuunt. Tamen, propter speciem pietatis, in populo Dei nominantur: quomodo ad aream, quando trituratur, non solùm grana, sed etiam palea pertinet. Numquid & ad horreum pertinebit?* Et infra: *Non possumus negare paleas esse malos, & tam plures, vt inter eos prorsus boni non appareant: quomodo non apparent grana in area. Nam quisquis aream videt, potest putare, quod sola sit palea.* Vnde patet, ex Augustino, reprobos fideles, de quibus expresse loquitur, esse respectu electorum veluti quamplurimas paleas respectu paucorum frumenti granorum: ita vt possit putari ferè omnes esse reprobos: sicut *quisquis aream videt, potest putare quod sola sit palea*

Hæretici nõ paleæ, sed zizania.

Augustinus.

Reprobi paleæ sunt ad aream Eccle. siæ pertinentes, non ad horreum gloriæ.

Matt.13. Semen verbi Dei in triplici terra sterilescit, fructum affert in unica.

Remigius.

S.Thomas.

Quinta similitudo sumitur ex Matth.13.vbi dicitur *verbi Dei semen aliud cecidisse secus viam, aliud in petram, aliud in spinas; aliud in terram bonam.* Quatuor ponuntur loca; in quæ semen verbi Dei cecidit. Tria dicuntur recipere semen frustra: & sic pertinent ad reprobos. Vna tantummodò ex his quatuor dicitur *terra bona.* Quæ, vt notat ex Remigio sanctus Thomas in catena, *est fidelis conscientia electorum: quæ verbum Dei cum gaudio, desiderio, & cordis deuotione suscipit: inter prospera, & aduersa similiter conseruat, & ad finem perducit.* Ecce prædestinationem ad finem perductam in vnica

terra bonorum inter plures malas. In quo obſervandum eſt ſermonem eſſe de terris, in quas jactum eſt ſemen Euangelii. Ex his inter quatuor terra bona non niſi una. Et hæc *quæ fructum affert in patientia*: ideſt, ut explicat Gregorius hom. 15. in Evang. per multas tribulationes, & paſſiones. *Terra bona*, inquit, *fructus per patientiam reddit: Cum calcibus truditur oliva, concuſſionibus expromitur. Per triturам grana ſeparantur à paleis: & ad horreum purgata perveniunt.* Hoc paucis inter infideles contingere experientia demonſtrat, ut jurè triplex à Chriſto aſſignetur terra mala, & reproba; unica terra bona, & electa.

Gregorius. Patientia ſola fructum reddit in terra bona.

Sexta ſimilitudo ſumitur ex 2. ad Tim. 2. ubi aſſimilãtur electi vaſis aureis, & argenteis; reprobi vaſis ligneis, & fictilibus. *Nonne*, inquit, *in magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea; ſed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam.* Quod apertè electis & reprobis applicat ad Romanos 9. appellans electos *vaſa miſericordiæ*, reprobos *vaſa iræ*. Sicut igitur ex eadem terra, quæ producit cretam, & aurum, fiunt vaſa cretacea, & vaſa aurea; ſed multò plura cretacea, quàm aurea; quæ in comparatione vaſorum fictilium perpauca ſunt, & ex ipſa paucitate habentur in pretio: ita ex eadem terra humanæ naturæ, quæ *de terra eſt, & terrena*. 1. ad Cor. 15. multa fiunt vaſa teſtacea, ideſt reprobi: & pauca vaſa aurea, ideſt electi. Quod, quia fit dependenter à propria cujuſque voluntate bona, vel mala, ideo in hunc locum Chryſoſtomus: *Non naturæ*, inquit, *carnaliſque neceſſitatis eſt aureum eſſe, vel fictile; ſed noſtræ tantummodo voluntatis.* Hæc eadem ſimilitudo affertur loco ſupra cit. 4. Eſdræ cap. 8. illius auctoritatis, de qua tunc diximus, ubi: *Dicam*, inquit Angelus, *coram te ſimilitudinem. Quomodo interregabis terram, & dicet tibi quoniam dubit terram multam, magis unde fiat fictile, parvam autem pulverem, unde aurum fit: ſic & ætas præſentis ſeculi: multi quidem creati ſunt: pauci autem ſalvabuntur.* Ex his apparet quocunque nos verterimus ad ſcripturas ſive novi, ſive veteris teſtamenti; ſive ad verba, ſive ad figuras, ſemper in iis terribile neſcio quid modò exprimi, modò adumbrari de paucitate electorum. Vt meritò de hac poſſit enunciari, quod in alia materia ſcriptum reliquit S. Leo ſerm. de Transfiguratione, *nihil eſſe hoc firmius, quod veteris, & novi teſtamenti concinit tuba: dum cum Evangelica doctrina antiquarum proteſtationum inſtrumenta concurrunt.*

2. ad Tim. 2. Electi vaſa aurea, & argentea, reprobi vaſa lignea & fictilia.

Ad Rom. 9.

1. ad Cor. 15.

Eſdræ 2.

S. Leo.

CAPVT IV.

Suadetur idem ex Patribus.

XI. PRobatur idem secundò ex Patribus, qui consonant Scripturis, Præter testimonia earum occasione adducta, & alia rationibus interserenda.

Origenes. Primum testimonium sit Origenis in cap. 22. Matth. tract. 20. ubi: *Si quis consideret*, inquit, *multitudinem hominum, qui in Ecclesiis congregantur: & discusserit quanti sunt, qui versantur disciplinatè, & reformantur novitate sensus, quanti autem negligentissimè conversantes conformantur huic seculo, videbit quod verus est sermo Domini, multi vocati, pauci autem electi.* Apertè loquitur de fidelibus adultis, qui congregantur in Ecclesiis; & ex his dicit paucos esse prædestinatos comparativè ad multitudinem aliorum, *qui negligentissimè conversantes, &c.*

Chrysostom. De paucitate saluandorum testimonium terribile. Antiochiæ priscæ magnitudo. Romæ antiquæ quatuor milliones ciuium, Ierosolymæ tres. *Eusebius.* Secundum testimonium sit Chrysostomi homil. 4. ad popul. Antioch. *Quot*, inquit, *esse putatis in civitate nostra, qui salui fiant? Infestum quidem est, quod dicturus sum; dicam tamen. Non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur, quin & de iis dubito.* Testimonium hoc est valde terribile, si expendatur, Antiochiam, ætate Chrysostomi, fuisse inter Asiæ urbes civibus frequentissimam. Tres enim ponuntur urbes totius Romani Imperii maximæ, Roma, Alexandria, Antiochia. At Romæ censa esse civium capita quadragies centena millia tradit Eusebius in Chronico. Qui etiam testatus tricies centena hominum millia fuisse Hierosolymis cum obsessa fuit à Tito. Vt ex hoc appareat Antiochiæ amplitudo, quæ tertia numerabatur post Romam. Vbi minimùm contineri oportebat, etiam post aliquod decrementum, quingenta, aut sexcenta hominum millia. Qui tunc temporis Christiani omnes erant, immo *primùm cognominati sunt Antiochiæ discipuli Christiani.* Act. 11. Hæc ab ipso Petro Apostolo, qui ibi primam sedem per aliquot annos posuit, ac postmodum à sancto Ignatio martyre religionis ac pietatis lac suxerat, fide usque ad Chrysostomi ætatem incorrupta. In hac ergo urbe affirmat Chrysostomus è quingentis aut sexcentis millibus hominum salvari vix centum homines; quod est dicere quingenta, aut sexcenta novem hominum millia, & nongena damnari; immo de illis centum, qui supersunt, an salventur addubitari. Quod admirabile, & tremendum omnino est: etiam si demus eam urbem non transcendisse capita civium centum millia: ita ut è singulis millibus salvetur vix unus: de quo dici possit juxta illud Cant. 5. *electus ex millibus.*

Act. 11.

Prædestinati vnus ex millibus. *Cant.* 3.

Respõdet Granadus, hæc à Chrysostomo dicta esse hyperbolicè ad deterrendos homines à peccatis. Sed contra est primo: quia hyperbolæ huiusmodi non debent fieri in doctrinalibus; qualis est sententia de paucitate, vel multitudine prædestinatorum; aliter multa alia à Patribus tradita reduci possent ad hyperbolas. Secundò, hæc hyperbole prolata per modum simplicis veritatis, si Chrysostomus aliter sensisset, aliter dixisset, continuisset mendacium: quod indignum est ore illo aureo non nisi aureæ veritatis magistro. Quippe non potest mendacium ex natura sua illicitum licitari ex quocunque bono fine: etiam si ex eo penderet salus totius orbis. Neque enim Deus ad conuertendos peccatores eget nostris mendaciis: neque debet præsumi in re tam graui errasse eos, quos dedit Deos Ecclesiæ suæ Doctores. Tertiò denique, etiam dato hoc fuisse à Chrysostomo exaggeratè dictum, quod sint centum electi præ quingentis millibus, aut minimùm, pro centum millibus reprobis: non potest tamen eò vsque excurrere exaggeratio, vt saltem diminuendo dictum Chrysostomi vsque ad partem decimam, non sit eius iudicio vnus pro centum. Quod ipsum esset admittere inter fideles minimam partem electorum respectu multi maioris numeri reproborum

Granadus.

Tertium testimonium est Ambrosii lib. 2. de pœnit. cap. 10. vbi, *Facilius*, inquit, *inueni, qui innocentiam seruauerit, quàm qui congruè pœnitentiam egerit.* Vndè arguo. Inter adultos fideles non saluantur, nisi aut innocentes, qui numquam mortaliter peccauerunt: aut pœnitentes, qui pœnitentiam congruè egerunt post peccatum. Sed certum est inter fideles pauciſſimos reperiri planè innocentes: ita vt dici possit, *Beatus vir, qui, inuentus est sine macula. Quis est hic, & laudabimus eum. Fecit enim mirabilia, &c.* Eccl. 31. ac si diceret, miraculo indigitari posset vnus inter mille. Sed, ex Ambrosio, pauciores reperiuntur congruè pœnitentes. Ergo inter adultos fideles, ex Ambrosio, collecto numero innocentium, qui sunt pauciſſimi, & congruè pœnitentium, qui sunt pauciores, non saluantur nisi perpauciſſimi. Confirmatur ex eodem ibidem, vbi explicans quid sit post peccatum pœnitentiam verè, & non fictè agere, *An*, inquit, *quisquam illam pœnitentiam putat, vbi acquirendæ ambitio dignitatis, vbi vini effusio, vbi ipsius copulæ coniugalis vsus? Renunciandum est seculo: somno ipsi minus indulgendum, quàm natura postulat: interpellandus est gemitibus, interrumpendus suspiriis, sequestrandus orationibus. Viuendum ita, vt vitali huic moriamur vsui: se ipsum sibi homo abneget, totusque mutetur.* Hæc Ambrosius. Cui consonant Patres alii, Ephrem. Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius supracitati tract. primo, capite quinto, vbi de pœnitentia vera & fructuosa: quæ relegi poterunt, vt videatur quid requirant Patres ad hoc, vt quis saluetur per pœnitentiam. Cum igitur inter adultos

Pœnitentia vera difficilior, quàm innocentia. Ambrosius.

Eccles. 31.

Ambros.

Ad pœnitentiam veram quid requiratur.

fideles innocentia reperiatur in pauciſſimis : & ſalus non ſit, niſi per innocentiam, aut per pœnitentiam : & vera pœnitentia, juxta Ambroſium, in paucioribus ſit quàm innocentia ; manifeſtè ſequitur inter adultos fideles ſalvari perpaucos.

Auguſtinus. Quartum teſtimonium ſit Auguſtini libro 3. contra Creſconium cap. 66. ubi, *Solve*, inquit, *quæſtionem, quomodo ipſe Dominus dicit, quia arcta & angusta eſt via quæ ducit ad vitam : & pauci ſunt qui inveniunt eam. Et idem ipſe alibi dicit, Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham*, &c. Et infrà : *Quomodo iidem ſunt pauci, qui multi ? Neque unum horum eſt verum, alterum falſum : cùm ſit utrumque divina veritate prolatum : niſi quia iidem ipſi boni verique Chriſtiani, qui per ſeipſos multi ſunt, in comparatione malorum, falſorumque* (Chriſtianorum) *iidem pauci ſunt.* Expreſsè fit comparatio non inter omnes homines, ſed inter Chriſtianos bonos & malos ; & dicitur bonos, qui ſalvantur, eſſe multos abſolutè : paucos comparativè, reſpectu malorum, qui non ſalvantur.

XII. Chriſti reſponſio de paucitate ſalvandorũ. Quintum teſtimonium ſit ejuſdem ſerm. 32. de verbis Domini, ubi explicans illa verba Luc. 3. *Domine, ſi pauci ſunt, qui ſalvantur ? Dominus*, inquit, *ad hoc quid ? Non ait, non pauci, ſed multi ſunt qui ſalvantur. Non hoc dixit : ſed quid dixit ? Contendite intrare per angustam portam. Quando audis ergo, Pauci ſunt qui ſalvantur, confirmavit Dominus, quod audivit, dicens, Per angustam portam pauci intrant. Alio loco ipſe ait, Arcta via eſt quæ ducit ad vitam : & pauci ſunt qui ingrediuntur per illam. Quid gaudemus ad multitudines ? Audit me : pauci : ſcio quia multi auditis, & pauci obauditis, ideſt obeditis.* Ecce comparationem facit inter eos ipſos fideles adultos, qui eum audiebant. Quare & ſubdit, *Aream video, grana non video : & vix videntur grana, quando area trituratur* ; (reſpectu ſcilicet multitudinis palearum quæ excernuntur ;) *ſed futurum eſt, ut ventiletur. Pauci ergo, qui ſalvantur, in comparatione multorum perituro-rum.* Nihil clarius, cùm loquatur de iis fidelibus, quos videbat in Eadem Eccleſia, tanquam in eadem area.

Auguſtinus. Cant. 2. Sextum teſtimonium ſit ejuſdem Auguſtini in Pſal. 48. ubi, cùm dixiſſet ex Cant. 2. *Sicut lilium in medio ſpinarum, ita amica in mediofiliarum*, ideſt inter illos qui Sacramenta habent, & bonos mores non habent, ut ex eodem explicavimus ſupra, movens hanc quæſtionem in terminis, utrum inter fideles plures ſint electi quàm reprobi : *Iam*, inquit, *hinc occurrit unicuique cogitanti. Iſte populus, qui in medio populi Dei ſuſcipit miſericordiam* (ideſt qui ſunt miſericorditer electi ex toto populo Chriſtiano) *quantum numerum habeat.* Ecce quæſitum : audi reſponſionem : *Quàm pauci ſunt ! vix invenitur aliquis.* Tum objicit ſibi ex ore id negantium, *Illis ne contentus Deus erit, & perdet tantam multitudinem ? Dicunt hoc, qui*

sibi promittunt hoc quod à Deo promittente non audierunt. Respondet objectioni, & probat quod dixerant, *vix inuenitur aliquis*, ex paucitate obseruantium præcepta Dei. *Quot sunt illi qui videntur obseruare præcepta Dei? Vix inuenitur vnus, vel duo, vel pauciſſimi. Ipſos ſolos Deus liberaturus eſt, & cæteros damnaturus?* (Ecce alia objectio) *Abſit inquiunt: cùm venerit, & videbit tantam multitudinem ad ſiniſtram, miſerebitur, & indulgentiam dabit.* (Refellit objectionem) *Hoc planè etiam ſerpens ille promiſit primo homini. Nam minatus Deus erat mortem, ſi guſtaret: ille autem abſit, inquit, non morte moriemini:* ac ſi diceret, ſimilis ſuggeſtio ſerpentis eſt, Non damnabimini. Hæc ad decipiendos homines ſerpentina vox eſt, ideoque infra concludit hæc argumenta, quæ multitudinem electorum ſuadent præ reprobis, tanquam ſuggeſtiones diaboli rejiciendas. *Ergo*, inquit, *non audiamus tales voces: nec putemus paucos eſſe iſtos:* (ideſt ita paucos, ſicut dixerat; *vnus vel duo*) *multi ſunt: ſed inter plures latent. Non poſſumus enim negare plures eſſe malos, vt inter eos prorſus boni non appareant.* Teſtimonium hoc Auguſtini alieno loco in Pſalmorum explicatione prolatum; non ſine ſpeciali Dei prouidentia vltro in oculos meos incurrit, dum hæc ſcriberem. Neque vllam patitur ſolutionem; expreſsè quæſtionem mouerat de paucitate ſaluandorum inter fideles: & eandem probet non ex infidelitate multorum, ſed ex paucitate eorum qui præcepta non ſeruant inter eoſdem. Vnde concludit ita, *Malos plures eſſe, vt inter eos boni prorſus non appareant.* Malos autem & bonos intelligit finaliter inuentos malos vel bonos; cùm quæſtionem mouerit de iis, quos *Deus liberaturus eſt, & damnaturus.*

Permultos ſaluari, cauendum ne ſit ſerpentina ſuggeſtio.

Septimum teſtimonium eſt Gregorii homilia 19. in Euang. in ea verba, *Multi vocati pauci electi. Ad fidem*, inquit, *plures veniunt; & ad Regnum cœleſte pauci perducuntur: Ecce enim ad hodiernam feſtiuitatem quàm multi conuenimus, & Eccleſiæ parietes implemus. Et tamen quis ſcit, quàm pauci ſint qui in illorum electorum grege numerentur.* Loquitur apertè inter fideles Catholicos, qui conueniebant ad Eccleſiam: neque dubitat de paucitate, cùm priùs abſolutè dixiſſet, *ad fidem plures veniunt: pauci perducuntur ad regnum:* ſed tantùm dubitat hæc paucitas quanta ſit.

Gregorius.

Octauum teſtimonium ſit ſancti Nili Abbatis, complectens teſtimonia plurium. Hic, vt refert Baronius tomo 10. Annal. ad annum Chriſti 976. cùm à Theophilacto Calabriæ Metropolita argueretur quod probaret reuelationem factam ſancto Simeoni Stylitæ, quod *ex decem millibus vix reperitur vna anima hoc tempore, quæ ad manum Sanctorum Angelorum perueniat*, ideſt quæ ſaluetur; reſpondit: *Si demonſtrauero vobis magnum Baſilium, & Chryſoſtomum, & Ephrem beatiſſimum, & Theodorum Studitam, ſed & Apoſtolum ipſum, ſed*

S. Nilus. Baronius. XIII. Ex decem millib. vix vnum ſalvari doctrina videtur communis Patrũ Græcorum,

sanctum Euangelium eadem sentientes, & dicentes; Quid patiemini, vos qui inconsultè aperientes ora loquimini, & Spiritui sancto adversamini; Supponit hanc esse sententiam apud antiquos Patres, præsertim Græcos, communem, eamque & Apostolo & Evangelio tribuit. Advertendum in his non fuisse controversiam de multitudine damnandorum, comprehendendo infideles: ad quod satis erat computare numerum infidelium: sed quæstionem fuisse de adultis fidelibus, quorum salus vel damnatio incerta gignere poterat controversiam de numero salvandorum & damnandorum. Patrum testimoniis, quorum plura interseruimus locis allatis è Sacra Scriptura, addere possumus testimonia sanctorum virorum sibi aliquid ad hoc pertinens revelatum esse testantium: ac præter revelationem allatam sancti Simeonis Stilitæ.

Tritem. Nonum testimonium sit cujusdam Lingonensis Episcopi, cui, ut refert Trithemius in Chronic. ad annum 1160. Eremita quidam illi antea notus apparuit, qui de statu suo ab Episcopo interrogatus, *Eadem* inquit, *hora in qua ego migravi de corpore, triginta hominum millia ex hac luce transierunt: è quibus Bernardus Claravallensis Abbas unà mecum evolavit ad cœlos: tres alii ad Purgatorium missi sunt: cæteri omnes per sententiam justi Iudicis condemnati, ad inferos cruciandi perpetuò descenderunt.*

E triginta millib. eodē momento expirantibus saluati quinque.

Chro. S. Fr. S. Anton. Decimum testimonium sit cujusdam piæ fœminæ, quæ, ut habetur in Chronicis sancti Francisci 2. part. lib. 1. cap. 30. & refert etiam sanctus Antoninus in Chron. 3. part. hist. tit. 24. cap. 9. §. 2. inter concionatoris verba ex contritione mortua, paulò post reviviscens affirmavit, cum ipsâ ante tribunal Dei adducta esse sexaginta animarum millia, quæ in variis mundi partibus simul è vita excesserant: ex iis tres tantùm Purgatorio addictos, reliquos omnes ad ignem æternum damnatos. Unde infert Cornelius in num. 14. vers. 30. quod *quam densi hyeme flocci nivis cadunt ex aëre, tam densa hominum turba quotidie descendit ad tartara.* Animadvertendum est in supradictis, tum ætate Bernardi, tum Francisci in Europa tota, Septentrione vix paucis hæreticis veluti aspersо, Religionem Catholicam floruisse: in Græcia Imperatoribus Christianis nondum schismate infectis: & tamen in tanta amplitudine fidelium, è tot millibus animarum vix salvatæ sunt una vice quinque, alia tres. Vt non immeritò dici possit ad hanc paucitatem salvandorum alludi Ieremiæ cap. 3. *Assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione: & introducam vos in Sion,* ideſt in cælestem illam Sion, de qua dicitur Apocal. 14. *Vidi, ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo,* &c. In hanc Sion Deus dicit è multis introducturum se *unum & duos.* Idcirco jure dicitur à Christo Matth. 7. *angusta porta.* Angusta dicitur, quæ paucos capit: per quam simul non intrant nisi duo, vel tres: cùm contra in infernum

E sexaginta millibus saluati tres.

Ierem. 3.

Apocal. 14.

Matth. 7.

simul

simul intrent, juxta priorem revelationem, triginta millia; juxta posteriorem, sexaginta. Ideo dicitur Isaiæ 5. *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum sine ullo termino.* Et Prou. 30. inter *tria insaturabilia*, primum ponit *infernum*: quia, ut ait Hugo Victorinus libro 4. de an. *Infernus est locus sine mensura, profundus sine fundo*: & ideo mirum non est quod *aperiat os suum sine termino.* Quapropter cuidam viro sancto revelatum traditur, inter paucos salvatos, eos qui intra vnius horæ spatium ad inferos depluerant, *fuisse sine numero.* Quidam præterea Magister Parisiensis, ut refert Diez ser. 2. in festo sanctæ Mariæ ad Nives num. 3. cùm apparuisset post obitum Parisiensi Episcopo, seque damnatum proclamasset irrevocabiliter in inferno, addidit *tot animas iis diebus detrusas esse ad inferos, ut vix crederet tot homines in mundo esse posse.* Denique in hoc verificatur quod dixit Angelus Esdræ lib. 4. cap. 8. *Hoc seculum fecit Altissimus propter multos: futurum autem propter paucos. Multi quidem creati sunt: pauci autem salvabuntur.* De huius libri authoritate supra.

Isaiæ 5. *Prouerb. 30.* *Hugo Vict.* Inferni magnitudo. *Diez.* *Esdr. 4. c. 8.*

CAPVT V.

Ostenditur idem ex difficultate mediorum ad finem salutis.

AD authoritates Scripturarum & Patrum accedunt argumenta ex rationibus ducta.

Prima ratio sumitur ex difficultate salutis sic. Omnis assequutio finis habens magnam difficultatem in mediis, deficit in pluribus, contingit in paucioribus. Sed talis est assequutio gloriæ respectu quorumcumque adultorum etiam fidelium. Ergo respectu quorumcumque adultorum etiam fidelium deficit in pluribus, contingit in paucioribus. Maior probatur, quia quò res difficilior, eò magis accedit ad impotentiam: ergo magis recedit ab actu secundo, qui prodit à potentia. Vnde fit, ut assequutio impossibilis contingat in nemine: assequutio rei valde difficilis contingat in paucis. Minor probatur, tum quia media ad finem salutis sunt contra inclinationem naturalem creaturæ ex se magis propensæ ad amorem sui quàm ad amorem Dei, ut ostensum est tomo 2. Theolog. libro 2. q. 14. Tum quia media ad salutem regulantur à lumine fidei obscurè proponente bonum absens, & abstractum à sensibus: media autem contraria proponuntur à causa naturali clarè proponente bonũ præsens sensibile. Ex se autem magis inclinatur voluntas ad bonum sensibile præsens, & clarè cognitum, quàm ad bonum abstractum, futurum, & obscurè cognitum. Est ratio sancti Thomæ p. p. qu. 23. art. 2. ad 3. ubi dicit, quod *bonum proportionatum communi statui naturæ accidit ut in plu-* XIV. *S. Thom.*

ribus, deficit vt in paucioribus: sed bonum, quod excedit communem statum naturæ, invenitur in paucioribus, & deficit in pluribus. Vnde infert infrà: *Cùm beatitudo æterna in visione Dei consistens excedat communem statum naturæ; & præcipuè secundùm quod est gratia (originali) destituta, per corruptionem originalis peccati, pauciores esse qui salvantur.* Hæc ibi in generali, quæ militant etiam in adultis fidelibus inter se comparatis.

Matth. 11. Violentum contingit in paucis. *Aristot.*

Confirmatur primò ex Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Violentia autem contingit ut in paucis: quia *violentia contra naturam est*, ut notat Aristoteles in probl. sect. 1. probl. 6. & ideo *si quid violentum est, etiam acerbum erit: & si quid molestum, idem etiam violentum*, 2. Moral. Eodem. cap. 8. Unde fit, vt perpetuam naturæ violentiam inferre contingat in paucis: idque etiam inter fideles; cùm gratia Euangelica non ordinetur ad tollendam difficultatem, sed ad vincendam: & ideo ipsis fidelibus dicitur, quod *violenti rapiunt illud.* Sicut igitur cymbulæ contra fluuii cursum impulsus non fit nisi violenter, nautis in id contentiosè adnitentibus: &, si processu temporis paululum nautæ de contentione remiserunt, continuò à destinata ripa cymba repellitur: ita prorsus euenit, dum violenter ad cœlum tendimus, contra naturæ cursum, tanquam contra impetum fluuii. Ideoque Christus dixit Lucæ 13. *Contendite intrare*, &c. Quippe, ut expendit Gregorius libro 11. Moral. cap. 26. *Dixit, Contendite: quia nisi mentis contentio ferveat, vitæ mundi non vincitur: per quam anima semper ad ima revocatur.* Animadvertat Lector, quod reperiuntur inter adultos fideles, qui connumerari verè possint inter eos, qui *violenti rapiunt cœlum:* & ex hoc deducat paucitatem electorum comparatiuè ad reprobos.

Violentia requisita ad salutem est obniti remis aduerso flumine. *Luc.* 13. *Gregorius.*

Difficultas salutis ex habitibus vitiosis.

Confirmatur secundò ex difficultate orta è variis impedimentis salutis occurrentibus in hac vita. Nam in humano conuictu occurrunt graues occasiones, aut nimii amoris, aut odii: quæ dum diuturnitate temporis adhærescunt, ita radicantur in anima, vt fere impossibile sit ea semel fixa reuellere, vt ostendimus tract. præced. cap. 4. vbi satis probatum est, ex Patribus, pœnitentiæ dilationem ex peccandi consuetudine signum esse reprobationis pene infallibile. Adde his occasiones peccandi innumerabiles ortas, vel ex affectu comparandi diuitias, vel retinendi. Quippe *radix omnium malorum est cupiditas*, 1. ad Tim. 6. Adde appetitum propriæ excellentiæ stimulantem semper ad maiora, cùm fere nemo sit sua sorte contentus. Adde illecebras voluptatum, fraudes, perjuria, ipsasmet sollicitudines huius vitæ, quæ suffocant semen verbi Dei. Hoc apertè significauit Christus Lucæ 8. sub parabola seminis, dum dicit, *Aliud cecidisse secus viam: aliud inter spinas: aliud supra petram: aliud in terram bonam. Semen est verbum Dei*, vt ipsemet Christus explicat: quod propter

1. *Tim.* 6.

Luca 8. Verbum Dei in triplici terra infructuosum,

varia impedimenta in triplici terra fructum non fecit. Nempe, ut loquitur Paulus ad Hebr.6. *In terra reproba, & maledicto proxima.* In unica verò *fructum attulit in patientia*, ideſt per patientiam *in animis electorum*, ut explicat Gloſſa, & alii. Impedimenta igitur ſunt cauſa ut triplex ſit *terra reproba*: quibus una opponitur *terra bona* & fructificans. Idque in terris, in quibus ſeminatum eſt verbum Dei, nempe inter fideles. Quod colligit Chriſtus ex variis impedimentis ſalutis, nempe ex *voluptatibus, divitiis & ſollicitudinibus*; quæ ſunt impedimenta difficultantia ſalutem etiam inter fideles.

in unica fructum affert. *Ad Hebr.6. Gloſſ.*

Confirmatur tertiò ex difficultate orta non ſolum ab intrinſeco ex vi naturæ corruptæ, & propenſione ad delectabile oppoſitum honeſto, ſed etiam ab extrinſeco ex vi dæmonum, quorum innumerabiles exercitus obſidentes hunc aërem, toti ad animarum damnationem incumbunt. Quod expendens Apoſtolus ad Epheſ.6. *Non eſt*, inquit, *nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem: ſed adverſus principatus, & poteſtates: adverſus huius mundi rectores, tenebrarum harum: adverſus ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Nempè tales hoſtes, qui dum nos aut ſomno, aut aliis neceſſariis vacamus, ipſi ſemper vigiles, diù, noctuque, nihil niſi hominum perniciem meditantur. Vt, quemadmodum notat Iſidorus lib.1. de ſum. bono, *Qui ſe continuò damnandos conſpiciunt, ſocios ſibi multiplicent: cum quibus gehennæ ignibus addicantur.* Adde, ut notat idem Iſidorus, *dæmones triplici acumine ſcientiæ vigere, ſcilicet ſubtilitate naturæ, experientia temporum, revelatione ſuperiorum poteſtatum.* Quia dæmones natura ſuperiores adjuvant alios inferiores. Adde dæmonum odium incredibile contra hominem: contra quem, odium Dei detorquent, tanquam contra imaginem Dei. Quod explicat Baſilius hom. in aliquot ſcripturæ loca, ſimilitudine Pardalis. Nam *ſicut hæc furibunda hominis imaginem concerpit, atque dilacerat, hoc argumento ſatis oſtendens, quanta ſit eius contra hominem inimicitia: ſic diabolus in Dei imagine, quo ſit erga Deum odio, oſtendit, quando Deum ipſum nequit attingere.* Adde occultas diaboli fraudes; &, ut ait Cyprianus tract.3. de Prælat. ſimpl. *circumveniendi homines tectam, latebroſamque fallaciam: ut aſſerere videatur noctem pro die, venenum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti: ut dum veriſimilia mentitur, veritatem ſubtilitate fruſtretur.* Adde apertam ejuſdem audaciam; qua, ut notat Auguſtinus ſerm.4. inter communes, *poſuit in cælo bellum, in Paradiſo fraudem, inter paucos homines odium, & in omni opere noſtro Zizaniam ſeminavit. Nam in comeſtione poſuit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignaviam, in converſatione invidiam, in gubernatione avaritiam, in correctione iram, in dominatione ſuperbiam. In corde poſuit cogitationes malas, in ore locutiones*

XV. Difficultas ſalutis orta à tentationibus dæmonum. *Ad Epheſ.6.*

Dæmonum in homines odium. *Iſidorus.*

Dæmonum acumen.

Pardalis ex hominis odio furit in imaginem. *Baſilius.*

Dæmonum fraudes. *Cyprianus.*

Dæmon poſuit in cælo bellum, in Paradiſo fraudem. *Auguſtinus.*

falsas, in membris operationes iniquas. In vigilando movet ad prava opera, in dormiendo ad turpia somnia: lætos ad dissolutionem, tristes movet ad desperationem. Denique mundus universus diaboli laqueis plenus magno Antonio ostensus est, teste Athanasio in eius vita: ita ut vir ille sanctissimus pœne desperaret posse aliquem ab iis evadere. Quod alia similitudine expressit Salvianus de Provident. lib. 6. ubi *Sicut*, inquit, *exercitus pugnaturi ea loca, per quæ venturas hostium turmas sciunt, aut foveis intercludere aut subdibus præfigere, aut tribulis infestare dicuntur; ut etiamsi non in omnia quispiam incidat, nullus tamen omnia evadat: ita etiam dæmones tam multas in vita ista prætendunt humano generi illecebrarum insidias, ut etiamsi earum plurimas aliquis effugiat, tamen ab aliqua capiatur.* Non potuit exprimi clariùs difficultas evadendi è tot laqueis ad salutem. Quod manifestiùs apparebit in singulis, si dicatur cum Nysseno in vita Moysis, & aliis, singulis hominibus assignatos esse à Lucifero singulos dæmones: qui oppositi custodibus Angelis toti sint ad procurandam ejus ruinam, cui trahendo secum ad inferos sint addicti. Contra tot, tamque potentes hostes, tot nostris passionibus, tot mundi & carnis illecebris ad nostram perniciem fœderatos tota vita pugnare, ac tandem victoriam reportare paucorum est: sicut paucorum est cum tyrannis pugnando in persecutionibus fidei martyrio coronari. Immo, si Ambrosio credimus in Psalm. 118. lit. XX. vers. 5. difficultatem hæc cum dæmonibus pugna continere videtur majorem quàm pugna martyrii. Quippe *hi, sine gladii terrore, mentem hominis frequenter elidunt: & illecebris magis quàm terroribus animos expugnant fidelium. Hi hostes cavendi: hi graviores tyranni, per quos Adam captus est: & multi in persecutione publica coronati, occulta hac persecutione ceciderunt:* Hæc de diabolo victoria tam paucorum est, ut affirmet Ambrosius, *multos martyrio coronatos*, idest sub tyrannis fortiter gravia pro Christi fide perpessos, *occulta hac persecutione* (Dæmonum) *cecidisse*: quasi erepta illis è capite corona martyrii, quam tot tormentorum perpessione pœne perceperant. Hæc de difficultate salutis orta ab extrinseco ex impugnatione Dæmonum.

Dæmonũ laqueis mũdus vndique irretitus Antonio ostensus. *Athanas.*

Dæmonum stratagemata bellica. *Salvianus.*

Dæmones singuli singulis assignati. *Nyssenus.*

Ambros. Dæmonum persecutio gravior, quàm tyrannorum.

XIV I. Difficultas salutis ex districtione divini iudicij. *Ad Hebr. 4.*

Iob. 4.

Confirmatur quartò hæc eadem difficultas salutis ex districtione divini iudicii, in quo examinantur non solùm opera externa; sed etiam cogitationes, & intentiones cordium: cum ex Paulo ad Hebr. 4. *Dei sermo* (idest sententia) *pertingat usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Hæc districtio divini judicii declaratur Iob. cap. 4. *Numquid homo Dei comparatione iustificabitur? Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles: & in Angelis suis reperit prauitatem. Quantò magis hi, qui domos habitant luteas, & terrenum habent fundamentum?* Quod si Deus propter vilicum, ac momentaneum

peccatum, tantam Angelorum multitudinem, nullo dato spatio pœnitentiæ, irremissibiliter detrusit ad inferos; satis in hoc ostendit, quàm strictè discussurus tantam multitudinem peccatorum in homunculis, non vnico momento, vt Angeli, sed per annos integros contra Deum superbientibus. Ideo Bernardus serm. 2. de verbis Isaiæ vidi Dominum: *Quid*, inquit, *putas indifferenter admittet homines ad illud tantæ beatitudinis templum, qui ne ipsos quidem Angelos in eo indifferenter reliquit? An non discernet inter glebas, qui discreuit inter stellas? Qualem ergo putas necesse est hominem inueniri, qui repudiati locum Angeli sortiatur?* Ideo etiam dicitur Iob 25. *Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius*; idest ii ipsi, quorum virtus ita micat in Ecclesia, vt eluceant tanquam stellæ. Quamobrem Gregorius lib. 27. moral cap. 10. *Stellæ*, inquit, *non sunt mundæ: ac si apertè diceretur: si ipsi quoque esse sine contagio non valent, qui inter præsentis vitæ tenebras virtutibus lucent: quanto reatu iniquitatis obstricti sunt, qui adhuc carnaliter viuunt? si à peccato esse liberi nequeunt, qui in cœlestibus desideriis conuersantur: quæ peccatorum pondera tolerant, qui carnis suæ voluptatibus dediti, adhuc putredinis iugum portant?* Idem argumentum fieri potest ex eo quod dicitur Sophon. 1. *Scrutabor Ierusalem in lucernis*: sicut fieri solet dum minutissima quæque quæruntur. Si peccata eorum, qui pertinent ad Hierusalem, nempe, iustorum, scrutabitur in lucernis; quomodo scrutabitur peccata eorum qui pertinent ad Babylonem? Præterea dicitur Psal. 74. *ego iustitias iudicabo*. Neque mirum, cùm pronunciet Isaias cap. 64. *Omnes iustitiæ vestræ tanquam pannus menstruatæ*. Quod si iustitiæ in conspectu Dei ita sordidæ; quid iniquitates & injustitiæ? Denique, vt infertur 1. Petri. 4. *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Aduerte hoc nomen iusti tribui à Scriptura viris sanctissimis, nempe Noë. Gen. cap. 6. *Noë vir iustus*. Simeoni, *cùm esset iustus*, &c. Lucæ 2. & Iosepho sponso Deiparæ. *Ioseph autem vir, cùm esset iustus*, &c. Matth. 1. Si iustus vix saluatur, quod iudicium ferendum de impiis? Ideo sanctus Ephrem serm. de patient. & compunct. *Quis*, inquit, *horrendum audiens verbum, ad Deum singulis horis clamare cessabit? Ait enim Scriptura, Si iustus vix saluabitur, impius*, &c. Hieronymus etiam libro 2. contra Pelag. quærens quomodo iustus vix saluetur, cùm certissimum sit eos qui verè iusti sunt, in iudicio saluari, refundit hoc ad districtionem diuini iudicii, quod formidant etiam iusti. *Iustus*, inquit, *vix saluatur in eo quod in quibusdam Dei indiget misericordia. Nam, licet nihil praui sibi conscius sit, tamen sciens quod non in hoc iustificatur, donec eum Iudex iustificet, formidat & decertat.*

Bernardus. Iob. 25. Gregorius. Soph. 1. 1. Pet. 4. Iusti nomen in scripturis vix tribuitur viris sanctissimis. Genes. 6. Luca 2. Matth. 1. Hieronym.

Comprobatur hoc memorabili exemplo, quod narrat Climacus gradu 7. de quodam solitario, qui, cùm in loco ab omni humana XVII.

Iudicii particularis in morte seueritas.

conuersatione remoto, pœnitentiam per annos plurimos egisset, in extremum morbum incidens, cœpit coram discipulis, qui postea id narrarunt, circumspicere modò dexteram partem lecti, modò sinistram. Et quasi rationem ab eo quidam exigerent, cunctis qui astabant audientibus, aiebat: *Ita sanè: sic revera est: sed pro hoc* (peccato) *tot annis jejunavi. Aliquando verò: non certè; mentiris: hoc non feci. Deinde rursùs, ita verè est: sed flevi, sed ministravi. In quibusdam aliquando aiebat, ita sanè: quid ad hæc dicam non habeo: ideo misericordia est. Erat profectò spectaculum horrendum ac terrificum, invisibile illud sævissimumque Iudicium, in quo etiam quietis ac solitudinis sectator in nonnullis peccatorum, quid ad ea respondere posset, se non habere dicebat: qui jam fere quadraginta annos monachus fuerat: & lachrymarum gratiam habuerat.* Et infra: *Hic, cum adeo infesta ab eo ratio exigeretur, carne solutus est. Quod judicium, quis terminus, quæ sententia, quis rationis finis fuerit, incertum penitus relinquens,* Hæc, quam *tristitiam miserabilem* appellat Climacus, apertè demonstrat, quid de paucitate prædestinatorum dicendum sit. Si enim Anachoretæ huius alioquin sanctissimi à Sanctis illi Eremi patribus incertus penitùs iudicatus est exitus; quia pro singulis peccatis, quorum ab eo ratio exigebatur, quamuis ad misericordiam Dei confugeret speciales assignare non potuit pœnitentias: manifestè apparet districtio diuini iudicii, & quàm pauci diuini examinis seueritatem evadant, juxta id, quod superiùs dictum est, *si justus vix salvatur* &c. Et ideo sancti viri hoc iudicium pertimescentes, peccata in se seueriſſimè puniunt, assiduis lachrymis, & afflictationibus corporis, iuxta superiùs dicta tractatu 1. cap. 5. Quamobrem, vt benè advertit Salvianus lib. 4. de Eccles. Cathol. *Si quis vult scire quàm graviter censenda à Deo sint magna crimina, discat qualiter in semetipsis puniant Sancti etiam levia peccata: conscij ex ipsius, Dei dictis futuri examinis.*

Salvianus.

S. Michaël librat lancibus omnium opera.

Ambrosius.

Ad significandam huius examinis districtionem, sanctus Michaël, cuius est repræsentare animas in Dei iudicio, ex vsu antiquo Ecclesiæ, depingi solet cum statera, in qua gemino lance librantur pondera operum tum bonorum, tum malorum, vtraque expendenda adamussim ad trutinam. Quamobrem Ambrosius lib. de Apol. Dauidis, cap. 6. *Habet*, inquit, *quis bona merita: habet vitia, atque peccata. Omnia itaque nostra quasi in trutina ponderantur. Si bonis igitur factis peccata præponderant, procedunt ad judicium: Vergunt enim peccata quasi in profundum: & vergunt, vel pondere & acerbitate, vel multitudine.* Expendatur in communitate hominum etiam fidelium, quàm pauca sint opera bona (quandoquidem bonum ex integra causa) & bona non quæcumque, sed supernaturalia, ac meritoria vitæ æternæ: quàm multa sint opera mala, cùm malum sit ex singulis de-

fectibus : & quantum bonis mala præponderant, vel grauitate vel multitudine ; cùm plures sint libri mortis assignati operibus malis, vnus liber vitæ continens omnia opera bona, vt ex Apoc. 20. notatum est supra.

Ex his ita breuiter formo argumentum. Vbicumque bonis peccata præponderant, ibi præsumitur reprobatio. Sed in communi statu adultorum, vt in pluribus, peccata bonis præponderant. Ergo in communi statu fidelium, vt in pluribus, præsumitur reprobatio. Maior desumpta est ex Ambrosio. Minor patet experientia, testibus Origene, Chrysostomo, & Augustino mox adducendis. Consequentia tenet ex forma. Hæc de paucitate electorum ex districtione diuini Iudicii.

Confirmatur quintò ex aliis quæ in Scripturis statuuntur tanquam necessaria ad assequutionem salutis, quibus mensurare debemus paucitatem aut pluralitatam electorum præ reprobis. Paucitas electorum ex requisitis ad salutem.

Primò, Dauid Psal. 14. quærens *quis habitabit in tabernaculo tuo*, &c. respondet, *qui inuenitur sine macula, & operatur iustitiam.* Item Psalm. 23. mouens idem quæsitum, *quis ascendet ad montem Domini*, &c. respondet, *innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam.* Hæc quàm paucis conueniant, definit Sapiens Prou. 20. *Quis potest dicere, Mundum est cor meum?* *Psalm. 14.* *Psalm. 23.* *Prouerb. 20.*

Secundò, dicitur Matth. 10. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Quisquis autem Christo dignus non est, inter prædestinatos non est Quotus autem quisque fidelium est, de quo verificari possit, quod *accipit crucem suam, & sequitur Christum.* Crucem enim mortificationem Christus intelligit, vt exponit Gregorius hom. 33. in Euang. &, vt notat Euthymius in hunc locum, *crucem vocat Christus mortem ad ea, quæ mundi sunt : quia mortis instrumentum crux erat : oportet enim eum qui Christum sequitur, mortuum esse ad voluptates mundanas.* Quàm pauci dici possunt ad has mortui! *Matth. 10.* *Gregorius.*

Tertiò, dicitur ibidem : *Qui inuenit animam suam, perdet eam : & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam :* siue, vt Ioan. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam : & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ii igitur qui amant animam suam, idest vitam suam, ii sunt reprobi : qui odio habent, prædestinati. Animaduertatur, quàm rari sint inter fideles, de quibus verificari possit, quod propter Christum *odio habeant vitam suam.* Audiant Apostolum ad Philipp. 2. *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* Certè affectus, qui fiunt per causas contrarias, recẽsentur inter miracula. *Magna autem*, vt notat Augustinus tract. 51. in Ioan. *& mira sententia, quod hominis sit in animam suam amor vt pereat, odium ne pereat.* Quippe, vt ait Tertullianus in scorpiaco c. 5. *Ioan. 12.* Amor sui reprobationis signum, odium sui prædestinationis. *Philip. 2.* *Tertull.*

voluit Deus vitam auferendo conferre : carnem lædendo iuuare : animam eripiendo seruare. Hæc gratiæ miracula non contingunt, nisi in paucis : sicut miracula in cursu naturæ.

Matth.18. Simplicitas puerilis necessaria regno Dei.

Quartò, dicitur Matth.18. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* In quem locum Hilarius : *Non nisi reuersos in naturam puerorum introire in regnum cœlorum Dominus docet ; id est, per simplicitatem puerilem vitia corporum nostrorum, animarumque reuocanda.* Expendat humana superbia, quàm pauci inter fideles reuersi sint ad simplicitatem & humilitatem puerorum.

Luc. 9. Inconstans in bono opere ineptus Regno Dei. *Basilius.*

Quintò. dicitur Luc. 9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Quàm multi deficiunt à cœptis operibus gratiæ, & recidiui respiciunt retro ad priora peccata : quos Christus pronũciat prorsus ineptos regno Dei! Quis nosse velit, quid sit retro respicere, audiat Basilium ser. 1. de Bapt. vbi : *Respicit retro* : inquit, *qui vel breuem moram interponit obedientiæ, quæ Domino sine prætextu vel excusatione, velociter & sine suspensione, præstanda est.* Adstipulatur Euthymius in eum locum, vbi, *Oportet*, inquit, *eum qui sequitur Christum, confestim omnia despicere, & sequi, ne oculos quidem ab eo diuertendo : ne fortè & habitu & specie eorum quæ à tergo sunt, retineantur.* Hoc est respicere retro : cum quo, ex Christi oracolo, nemo est aptus regno Dei.

Euthym.

Sextò, dicitur ad Romanos 8. *quos præscinit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filii sui.* Quod explicans ibidem vers. 17. *si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Quàm pauci sunt in quibus Christi imaginem recognoscas : tales de quibus meritò dici possit; esse passos cum Christo ; vt de iis pronunciari possit, glorificandos esse cum Christo ! Quis gloriari potest *adimplere se, quæ desunt passionum Christi*, ad Coloss. 1. siue, vt loquitur Cyprianus epist. 12. *collegam passionis factum esse Christo.*

XVIII. *Coloss.1.* Prædestinati collegæ sunt passionum Christi.

Septimò. Gloria vocatur à Paulo *corona iustitiæ, quam reddet in illa die iustus Iudex.* 2. Tim. 4. Expendatur quot sunt qui ita se gerunt, ut exigere possint gloriam tanquam *coronam iustitiæ*, id est suis operibus debitam ex iustitia à Domino ; qui, vt notat Augustinus de gratia & libero arbitrio cap. 6. iis, *quibus donauit gratiam misericors Pater, reddit coronam iustus Iudex.* Quia scilicet in hac vita dat gratiam, vt donum ex misericordia : in altera reddit coronam, vt mercedem non nisi ex iustitia. Discutiant : an multi possint dicere, vt notat idem Augustinus serm. 16. de verbis Apostoli : *Deum ita esse sibi debitorem, vt possint illi dicere, Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti.*

2. Tim 4. Gloria corona est non misericordiæ, sed iustitiæ. *Augustinus.*

Octauò, dicitur 2. ad Tim. 2. *Qui certat in agone, non coronatur, nisi qui legitimè certauerit*, id est iuxta leges in agone præscriptas.

Quàm

Quàm pauci autem sunt, de quibus verè dici possit in hac vita certasse, & vicisse: vt his possit præsagium fieri de corona danda victoribus, iuxta illud Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum*, &c. Ideo Chrysostomus serm. de Mart. qui habetur tom. 3. *Delicatus*, inquit, *es miles, si putas posse te sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exere vires: fortiter dimica: atrociter in prælio isto concerta: considera pactum, conditionem attende: militiam nosce: pactum, quod spopondisti; conditionem, qua accessisti; militiam, cui nomen dedisti.* Alludit ad Baptismum, in quo quis Christianæ militiæ ascribitur, sponsione baptizati nomine facta, quod *renunciaturus sit diabolo, & pompis eius.* Hoc est esse Christianum, pro Christo militare contra diabolum, & pompam eius. Quàm pauci stant huic promisso! quàm multi à Christi militia transfugæ diabolum sequuntur, & pompam eius! Ideo Augustinus in tract. de symbolo ad Catech. libro 4 cap. 1. *Deprehenderis*, inquit, *& detegeris, Christiane, quando aliud agis, & aliud profiteris: fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tuæ fidem. Modò ingrediens Ecclesiam orationes fundens, post modicum in spectaculis cum histrionibus clamans.* Expendatur quàm leuis noxa nunc habeatur, interesse spectaculis, acclamare in comœdiis: quod per violationem Christianitatis habetur ab Augustino. Neque mirum, cùm hæc inter pompas diaboli numerentur: ideo subdit, *Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renunciasti?* Profectò, nisi nobis blandiri velimus, pauciores sunt qui abrenunciant pompis diaboli, quàm qui non. Ergo pauciores qui seruant pactum & conditionem Baptismi, cùm nomen dederunt Christianæ militiæ, quàm qui non seruant. Ergo pauciores sunt inter Christianos, qui sunt vt boni milites coronandi, quàm qui non.

Apocalyp. 2.

Chrysostom.

In baptismo conscribimur Christi milites.

Augustinus.

Spectacula histrionum pompæ diaboli.

Nonò, dicitur Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et Iacobi 2. *Quicunque totam legem seruauit, offendit autem in vno, factus est omnium reus*: quia scilicet vnica vnius mandati transgressio satis est ad reprobandum. Hoc inter postrema colloco, quia obseruantia omnium mandatorum est certissimum requisitum, sine quo ex adultis saluari neminem in confesso est apud omnes. Examinemus nunc quot sunt qui plenè seruãt mãdata, vt ex hoc inferri possit quot sint qui saluentur. Est argumentum quod fit passim à Patribus, ad inferendam inter fideles paucitatem electorum. Origenes loco supra citato, *Si quis*, inquit, *consideret multitudinem quæ in Ecclesiis congregatur, & discusserit quanti conuersentur disciplinatè, &c. videbit quod verus est sermo Domini: Multi vocati, pauci electi.* Chrysostomus hom. 40. ad populum Antiochenum, cùm dixisset, *in tot millibus non posse inueniri centum qui saluentur*, subdit ad id probandum, *quanta enim in iuuenibus malitia? quantus torpor in senibus?* &c. Idem lib. 1. aduers. vitup. vitæ Monasticæ, cùm dixisset, *ampliorem esse peccan-*

Matth. 19.

Iacob. 2.

XIX.

Chrysost.

tium partem, & salutem præfinitam in paucis, id statim probat ex communi transgressione mandatorum. *Quis*, inquit, *non fatuum appellat fratrem: cave: id namque igni sempiterno facit obnoxium. Quis non intendit impudicis oculis in mulierem? hoc autem consummatum adulterium pleniſſimumque flagitium deputatur. Adulter autem, quod sit proiiciendus in gehennam, omnibus profectò constat. Quis non deieravit? quis nunquam omnino amicis invidit? Hoc vitio publicanis ipsis & ethnicis deteriores facti. Quod autem huiusmodi effugere supplicia æterna non possint, ita liquet, vt non possit clarius. Quis furorem omnem atque iracundiam abiecit; peccataque omnium in se delinquentium remisit? At is qui non dimiserit, quod æternis suppliciis adiiciendus sit, nemo qui Christum audierit, refragabitur. Quis non servit mammonæ? sed qui huiusmodi servit, Christi servitutem abiecit: qui verò Christo servire abnuit, salutem suam penitus abnegavit. Quis oculiè nulla in aliquem maledicta coniecit? Eos autem qui sunt huiusmodi, vetus quoque Lex iubet interfici.* Et infra ita concludit: *Omnes veluti ex signo quodam per vitiorum ac flagitiorum omnium abrupta feruntur.* Hæc ætate Chrysostomi; in qua pene ubique terrarum florebat Christiana pietas, ac religio.

Non prætermittam alium insignem locum eiusdem Chrysostomi hom. 4. in Matt. ubi ex communi transgressione mandatorum, ostendit paucitatem Christianorum, qui verè Christiani sint: & ex operibus discerni possint ab infidelibus: & per consequens ostendit paucitatem electorum: cum in adultis necessarium requisitum prædestinationis sit fides probata per opera. Locus est prolixior: exscindam aliqua. *Fidelis*, inquit, *non modò à communione mysterii, sed etiam ex nouitate vitæ debet agnosci. Fidelem enim sal esse convenit, & luminaria mundi. Sin verò ne tibi quidem ipse luceas, & ne propriam quidem putredinem, fœtoremque detergas, quibus indiciis possem te fidelem agnoscere? Si ex loco te scire curavero, in circo te, theatroque conspiciam, totos dies in vanissimis illis cœtibus exigentem; vel in foro corruptis honoribus, pestiferisque coniunctum. Si ex motibus, corporis notitiam tui habere quæsiero, videbo te horrentibus cachinnis, & fœdissima iucunditate resolutum. Si te à veste considerem, nihil te à scenico habitu distare cognoscam. Si à sermone, in his te audiam omnino nihil sanum, nihil serium, quodque ad disciplinam nostram spectet, loquentem. Si à cibo, maior hinc profectò accusationis materia orietur. Vnde igitur, responde mihi, potero fidelem te esse cognoscere, cum omnia ista, quæ diximus, apertissimè infidelem te esse convincant? & quid dicam, vtrum fidelis? nec si homo verè sis, possum evidenter agnoscere. Interdum enim vt asinus calcitras, vt taurus superbis, vt equus libidine incensus, sic hinnis. Interdum in epulis ursorum imitaris voratum, & pinguedine corpus mulorum more di-*

Christianus dignosci debet ex moribus. *Chrysost.*

Peccator non habet Christianitatis indicium.

Peccator nec fidelis agnosci potest, nec homo, numerandus in feris.

stendis. Cum in excercenda simultate camelum, lupum imiteris rapina: cum iraſcaris vt ſerpens, & atrocitate ſcorpionum percutias: cum ſub dolo inſidieris vt vulpes: cum veneno malignitatis armeris vt vipera: cum quaſi diabolus ipſe aduerſùs fratres crudelia bella ſuſcipias: quonam modo, qua ratione in hominum te poſſum numero collocare, nulla in te cernens humanæ ſigna naturæ? Quid appellare te debeo? feram? ſed illæ vno aliquorum vitio tenentur: tu verò ſimul omnia colligendo, longè ferarum irrationale, ſtultumque tranſgrederis. An te potiùs appellem diabolum? Sed ille nec pecunias concupiſcit, nec tyrannidi ventris obſequitur. Cum igitur in te plura vitia ſint, quàm in beſtiis, atque dæmonibus, reſponde obſecro vnde te poſſum iure hominem nuncupare? Si verò te hominem appellare nequeo, quo tandem modo potero te fidelem vocare? Hæc ille. Quæ utinam etiam nunc non quadrarent in commune vulgus fidelium, qui Chriſtiani vocantur; & quoad viuendi licentiam, non diſcernuntur ab infidelibus. Si ergo ex ipſis fidelibus multò plures per hanc viam latam gradiuntur, quàm per viam arctam mandatorum, manifeſta eſt conſequentia multo plures ad perditionem duci, quàm ad ſalutem.

Peccator ferâ peior. Peccator diabolo deterior.

Eandem illationē facit Auguſtinus enar. in Pſalm. 47. proſequens hoc idem argumentum. Nam, cum dixiſſet de ſaluandis, *quàm pauci ſunt, vix inuenitur aliquis*: ſubijcit ad id probandum, *quot enim ſunt illi qui videntur ſeruare præcepta? Vix inuenitur vnus, vel duo, vel pauciſſimi.* Valet igitur apud Patres hæc illatio; Pauciores ſunt, qui ſeruant præcepta, quàm qui non ſeruant. Ergo pauciores ſunt qui ſaluantur, quàm qui non ſaluantur.

Auguſt.

Adde debere ſeruari præcepta vſque ad mortem: cum ſcriptum ſit Matt. 10. & 24. *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Donum autem perſeuerentiæ continet ſpecialem, & maximā difficultatem: vt docent Theologi in materia de gratia. Denique de vniuerſali tranſgreſſione præceptorum dicitur Pſal. 13. *Omnes declinauerunt: ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonum: non eſt vſque ad vnum.* Non quod ſiue ætate Dauidis, ſiue noſtra, non ſint aliqui iuſti: ſed quia tam pauci ſunt boni, vt non appareant inter malos. *Sicut*, inquit Auguſtinus enarr. in Pſalm. 47. *quiſquis aream videt, poteſt putare, quod ſola ſit palea. Plures autem ſunt mali: vt inter eos boni non appareant.*

Matth. 10. & 24. *Pſalm. 13.* *Auguſtinus.*

Decimo denique præcepta omnia illis duobus innituntur: quæ ex lege veteri repetiit Chriſtus Matth. 22. nempe *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet.* Quotuſquiſque fidelium diligit Deum ex toto corde ſuo, & proximum ſicut ſe ipſum? Certum eſt autem, ſine obſeruantia huius duplicis præcepti dilectionis, adultorum prædeſti-

Matth. 22.

XX. Prædestinati ad Hierosolymam pertinēt, reprobi ad Babylonem. *Augustinus.*

nari neminem. Declarat hoc egregiè Augustinus enarr. in Psal. 64. vbi dicit, prædestinatos omnes pertinere ad Hierusalem, reprobos ad Babylonem. *Quas ciuitates*, inquit, *nunc permixtas, in fine separandas ostendit Dominus: cum alios ponet ad dexteram, alios ad sinistram. Hierusalem ad dexteram erit, Babylon ad sinistram. Hierusalem auditura est, venite benedicti: Babylon, ite in ignem æternum. Duas istas ciuitates faciunt duo amores. Hierusalem facit amor Dei: Babylonem facit amor sæculi. Interroget se quisque, quid amet: & inueniet unde sit ciuis.* Quod magis declarans lib. 11. in Genes. cap. 15. *Hi*, inquit, *duo amores, quorum alter sanctus est, alter immundus; alter socialis, alter priuatur; alter acceptus Deo, alter æmulus; alter tranquillus, alter turbulentus; alter veritatem laudibus præferens, alter gloriæ auidus; alter amicabilis, alter inuidus; alter hoc volens proximo, quod sibi; alter volens proximum subiicere sibi; alter propter proximi vtilitatem regens proximum, alter propter suam; alter in bonis, alter in malis. Et distinxerunt conditas in genere humano ciuitates duas, alteram iustorum, alteram impiorum. Quarum etiam quadam temporali commixtione peragitur sæculum, donec vltimo iudicio separentur. De altera coniuncta Angelis bonis cum rege vitam consequetur æternam: altera coniuncta Angelis malis in supplicium mittetur æternum.* Non potuit clariùs explicari collectio electorum, & collectio reproborum. Vt videatur alterutrius apud fideles sit maior numerus, debet videri an plures inter fideles pertineant ad amorem Dei, & proximi, cum circumstantiis ab Augustino explicatis, quàm ad amorem sui, & mundi. Sed de facto inter fideles adultos reperiuntur amatores sui, & mundi, quàm amatores Dei in toto corde suo, & proximi sicut sui ipsius: quod nemo cordatus negabit. Ergo etiam inter fideles adultos plures reperiuntur reprobi, quàm electi. Alioquin non valeret argumentum Augustini ex hoc duplici amore dignoscētis *cuius quisque ciuitatis sit ciuis*, ideſt an pertineat ad Hierusalem cum electis, an ad Babylonem cum reprobis. Ideo ipsemet Augustinus enarr. in Psal. 61. ex hoc colligit paucitatem electorum præ reprobis. Nam, cum quæreret cur Matt. 22. vno eiecto sine veste nuptiali, tamen, vt ibidem concludit Christus, *multi sunt vocati, pauci electi, quomodo*, inquit, *proiecto vno de multis pauci electi, nisi quia in illo vno multi? omnes, qui terrena sapiunt; omnes, qui felicitatem terrenam Deo præferunt; omnes, qui sua quærunt, non quæ Iesu Christi, ad vnam illam ciuitatem pertinent, quæ dicitur Babylonia mistice: & habet regem diabolum. Omnes autem, qui ea, quæ sursum sunt, sapiunt: qui cœlestia meditantur: qui cum sollicitudine in seculo viuunt, ne Deum offendant: qui cauent peccare: quos peccantes non pudet confiteri, humiles, mites, sancti, iusti, pii, boni omnes ad vnam ciuitatem pertinent, quæ Re-*

Inter amorē Dei, & amorem sui discrimina.

Amor Dei, & amor sæculi discernit electos, & reprobos.

Augustinus.

Babylon Regem habet diabolum, Hierosolima Christum.

gem habet Christum. Et infra : *Istæ duæ ciuitates permixtæ interim in fine sunt separandæ.* Paucitatem electorum in hac vita permixtorum cũ reprobis colligit ex diuersis vtrorumque moribus. Quod non benè colligeret, nisi pro certo assumeret, plures reperiri qui terrena sapiunt, quàm qui cœlestia: plures amatores sui, quàm Dei. Ex quo infert illos *pertinere ad Babylonem*, ideſt ad reprobos: hos *ad Hierusalem*, ideſt ad electos.

Demum quàm strictè sentiendum sit de paucitate electorum patebit clariùs, si expendatur quid sit ex eodem Augustino *diligere Deum ex toto corde:* quod ad prædestinationem in adultis requiritur. Quippe ille in Manuali cap. 10. Deum alloquens; *Accende me*, inquit, *toto igne tuo, vt diligam te Deum meum ex toto corde meo, & ex tota anima mea, ex tota intentione mea, totius dulcedinis amoris tui plenus, totius charitatis flamma succensus.* Quàm multis amor hic præcipitur! quàm pauci sunt qui sic ardent! Origenes tract. 23. in Matth. dicit, *Toto corde Deum diligere*, nihil aliud esse *quàm amare secundùm totam recordationem, operationem, & cogitationem. Ex tota anima, vt eam pro Deo ponere parati simus. Ex tota mente, nihil aliud proferre, quàm quæ sunt Dei.* Bernardus de diligendo Deo, *Toto*, inquit, *corde diligemus, ideſt sapienter contra suggestiones diaboli, ne subducamur; tota anima dulciter, contra delectationes carnis, ne alliciamur; tota mente fortiter, contra pressuras mundi, ne opprimamur,* Pauci vtique sunt: qui sic Deum amant. Ergo etiam pauci sunt qui saluantur; cùm ab hoc amore fieri debeat prædestinationis iudicium, ex August. Ideo reuelauit Deipara S. Birgittæ, vt habetur lib. 6. reuel. cap 7. quod *sicut pauci fuerunt qui habuerunt fidem rectam, quando Christus ascendit in cælum; sic nunc pauci sunt qui præceptum illud impleant, Diliges Deum super omnia.* Animaduertatur quàm pauci fuerint qui *habuerunt fidem rectam, quando Christus ascendit in cælum:* cùm non habetur ex Act. 1. nisi *turba hominum fere simul centum viginti.*

Augustin.

Dilectio Dei ex toto corde quid sit. *Origenes.*

S. Birgitt.

Postremò arguendo à fortiori. Plures præsumuntur boni, & seruatores mandatorum Dei à Sacerdotibus, quàm ex aliis inter fideles. Sed inter Sacerdotes sunt pauciores boni quàm mali. Ergo multò magis inter fideles reliquos. Maior patet ex terminis, quia status Sacerdotalis est sanctior. Minor probatur ex Hieronymo apud Eusebium in epist. ad Damascum, vbi: *Ecce*, inquit, *mundus vndique feruet Sacerdotibus: & tamen tam sunt rarissimi Sacerdotes, quod vix è centum bonus reperiatur vnus.* Adstipulatur his id, quod refert Ioannes Broniardus in summa prædicantium, reuelatum cuidam fuisse *tot Sacerdotes in infernum descendere, vt non possit existimari plures in mundo esse.* Quibus consonat Chrysostomus homilia 3. in Act. vbi: *Non arbitror*, inquit, *inter Sacerdotes multos esse qui salui fiant: sed*

Inter Sacerdotes boni pauciſſimi. *Hieronym. Broniard.* E Sacerdotib. plures pereunt, quàm saluantur. *Chrysostom.*

multò plures qui pereant. Multo igitur magis de reliqua fidelium turba affirmandum est, inter eos *rarissimos esse bonos; ita vt vix è centum reperiatur vnus*: & sic *multò plures esse qui pereant.*

CAPVT VI.

Probatur paucitas electorum ex multitudine recidiuorum.

XXI. VIdimus cap. præcedenti ex pluralitate malorum, & paucitate bonorum inter adultos, pluralitatem reproborum præ electis. Sed quoniam apud fideles multi sunt qui aliquando mali, aliquando boni sunt: & sic modò pertinent ad Babylonem cum reprobis, modò ad Hierusalem cum electis: De his ferendum est iudicium, ad quos finaliter, & absolutè pertineant. Quia verò præcipuum aduersariorum argumentum ab his desumitur apud Suarium loco citato num. 6. *quod ex adultis* (loquitur expressè inter Catholicos) *licet maior pars hominum sæpiùs mortaliter peccet, tamen sæpiùs resurgunt: & ita cadendo & resurgendo vitam transigunt*: hoc telum contra aduersarios retorquebimus: assumendo quod dant, & sic formando argumentum.

Recidiui communiter pertinent ad reprobos.

Omnes ii qui ita mortaliter peccant, vt cadendo & resurgendo vitam transigant, regulariter, & iuxta leges communes, pertinent ad reprobos. Sed ex adultis maior pars ita mortaliter peccat, vt cadendo & resurgendo vitam transigat: Ergo regulariter, & iuxta leges communes, adultorum maior pars pertinet ad reprobos. Consequentia tenet ex forma. Minor à nobis admittitur vt vera, & assumitur ab aduersariis vt certa, etiam inter fideles; quorum est cadere: & per Sacramentum Pœnitentiæ resurgere. Maior probatur ex multis.

Prou. 26. Recidiuus similis cani vomitum reforbenti. *Bernardus.*

Primò ex Prou. 26. *sicut canis, qui reuertitur ad vomitum: ita imprudens iterans stultitiam suam.* Vbi Septuaginta: *Sicut canis ad vomitum suum regressus* (ideſt, reforbens id, quod vomuerat (*fit perosus, & execrabilis: ita stultus, qui ad suum redit peccatum.* Quod explicans Bernard. serm. 3. de Assumptione: *Canis*, inquit, *reuersus ad vomitum fit odibilis multò plus quàm antea: & fiet filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum in easdem denuò sortes inciderit.* Quid est *fieri filium gehennæ*, nisi fieri reprobum?

Pœnitentia recidiuorum ficta.

Secundò, omnis pœnitentia ficta reprobationis est signum. Sed recidiuatio reducitur ad pœnitentiam fictam. Ergo recidiuatio reprobationis est signum: & sic recidiui recensendi sunt inter reprobos. Maior patet ex allatis tract. præced. cap. 5. Minor probatur ex Patribus. Ambrosius in 2. ad Cor. 2. *Pœnitentia vera, est cessare à peccato: sic enim probat dolere se, si de cætero desinet.* Ergo à contrario pœnitentiæ falsæ signum est, & ficti doloris, *si de cætero non desinat.*

Ambrosius. Pœnitentia vera, est cessare à peccato.

Augustinus ser. 1. de pœnit. & iciun. *Irrisor*, inquit, *est, non pœnitens qui adhuc agit quod pœnituit: & peccata non minuit, sed multiplicat.* Hoc autem de iis etiam, qui pœnitentiam agunt cum lactymis, sed iterando peccata, pronunciat Fulgentius lib. 1. de remiss. peccat. c. 12. vbi, *Nonnulli*, inquit, *scelerum suorum consideratione perterriti pro iniquitatibus suis in oratione gemunt: nec tamen ab iniqua operatione discedunt. Fatentur se malè fecisse; nec vllum finem volunt malis suis factis imponere. Accusant humiliter in conspectu Dei peccata, quibus tenentur oppressi: & eadem peccata, quæ humilitate sermonis accusant, corde peruerso continuant, & cumulant. Indulgentiam, quam suis lachrymosis gemitibus poscunt, ipsi sibi prauis operibus adimunt. Medelam poscunt à Medico, & in perniciem suam subrogant adjutorium morbi. Tales nunquam diluunt gemendo peccata: quia non desinunt peccare post gemitum.* Ex hoc argue, quod dicendum de iis qui sunt sine lachrymis recidiui. Gregorius lib. 3. in 1. Reg. cap. 6. loquens de vrbibus Philistiim, quæ post peccatum *obtulerunt singulæ singulos anos, & singulos mures aureos. Anum*, inquit, *vnum, & murem vnum Deo pro delicto non offert, qui etsi pœnitendo compungitur, fœditates multiplicat; quas Deo ei confessus repræsentat. Perfectè enim conuertitur, qui cùm semel quod praue egerat, plangit; quod denuo plangat, vltra non repetit.* De horum pœnitentia Tertullianus libro de pœnit. cap. 5. pronunciat esse *pœnitentiam hypocritarum; quorum pœnitentia nunquam fidelis.* Ergo signum hi reprobationis habent ex pœnitentia ficta: quia tam citus & tam facilis post pœnitentiam in eadem grauia peccata relapsus, signum est quod accedunt cum ficto dolore, & ficto proposito, & quod volunt palliare quodammodo conscientiam. Quod est potissimum reprobationis indicium: sicut prædestinationis est signum conscientiæ ingenuitas. Ideo dicitur Psal. 14. *Quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* & respondet, *qui loquitur veritatem in corde suo.* Cùm veritas & mendacium sint relatiua ad alterum, tamen reponitur inter prædestinationis signa, si quis *loquitur veritatem in corde suo*: quia reproborum est mentiri in corde suo: dum conantur sibi ipsis persuadere verum se habere dolorem, & verum propositum non peccandi: quod ipsimet tacitè cognoscunt vt fictum. De his dicitur Psal. 35. *Dolosè egit in conspectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium*: siue *vt inueniret iniquitatem suam, & odisset*, iuxta lectionem Augustini enarr. in eum Psalmum, vbi inquit, *Homines, qui quasi conantur quærere iniquitatem suam, & timent illam inuenire: quia, si illam inueniunt, dicitur illis, Recedite ab illa.* Qui ergo recidiuantes in idem peccatum, ita palliantes conscientiam ad pœnitentiam accedunt, vt ab iniquitate non recedant; hi loquuntur mendacium in corde suo. Quod est supremum reprobationis signum: sicut signum habet præ-

Augustin.

Fulgent. Lachrymæ recidiuorum fictæ.

XXII. *Gregorius.*

Tertull. Recidiuorum pœnitentia hypochrisis.

Conscientiæ palliatio reprobationis indicium.

Psal. 14.

Psalm. 35.

Augustin.

destinationis is, *qui loquitur veritatem in corde suo.*

Recidiuorũ pœnitentia inutilis. *Eccles.34.*

Tertiò, esto pœnitentia recidiuorum fuerit vera, adhuc tamen recidiuitas propria est reproborum, quia per relapsum in idem peccatum redditur planè inutilis pœnitentia. Patet hoc ex Eccles.34. *Qui baptizatur à mortuo* (ideſt lauatur, postquam tetigerit mortuum, iuxta legem præscriptam Hebræis Num. 19. *& iterum tangit illum; quid proficit lauatio eius? sic homo qui ieiunat pro peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem eius quis exaudiet?* In quem locum Hugo Victorinus: *Qui baptizatur*, inquit, *à mortuo, ideſt qui mundatur à peccato aqua compunctionis, si rursus illud tangit, nihil ei prodest: quia sequens culpa pœnitentiam perdit.*

Augustinus. Augustinus etiam serm. 181. de tempore: *Corrumpitur*, inquit, *pœnitentia si eisdem quis, pro quibus confitetur, rursus inuoluatur malis. Vnus enim*, inquit, *ædificans, & alius destruens, quid consequentur nisi laborem? & qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit in lauacro suo? & iterum dicit, qui redit à iustitia ad peccatum præcipitat eum in gladium.* Locus hic habetur Eccles.26. vbi vulgata, *qui transgreditur à iustitia ad peccatum, Deus parauit eum ad rhomphæam.* Quid est *parauit eum ad rhomphæam*, nisi ad damnationem animæ & corporis, per *gladium vtraque parte acutum, qui exibit de ore eius.* Apocal. cap. 1. nempe per sententiam illam, *Ite maledicti*, quæ rhomphæa est *vtraque parte acuta* afferentis & animæ & corporis æternam mortem. Præterea, Gregorius 3. p. pastor. admon. 31. *Baptizatur*, inquit, *à mortuo, qui mundatur fletibus à peccato: sed post baptisma mortuum tangit, qui culpas post lachrymas repetit.* Rabbanus in eundem locum, *post Baptismum*, inquit, *mundus esse negligit, quisquis post lacrymas vitæ innocentiam non custodit: & lauantur ergo, & nequaquam mundi sunt, qui commissa non desinunt, sed rursus flenda committunt.* Idcirco Tertullianus libro de pœnit. cap. 2. *Vbi*, inquit, *emendatio nulla, pœnitentia est sine fructu.* Et infra: *Quid te cognouisse interest* (nempe fœditatem peccati) *cùm ijsdem incubes, quibus retro ignorans.* Quod agnouit ipsemet Seneca epist. 2. vbi, *Non prodest*, inquit, *cibus, qui statim sumptus emittitur: Non conualescet planta, quæ sæpe transfertur. Nihil tam vtile est, quod prosit in transitu.*

Ecclesi.26. Damnatio animæ, & corporis rhomphæa vtraque parte acuta. *Apoc.1.* *Gregor.* *Tertullian.*

XXIII. Recidiui peccatum ex ingratitudine grauius.

Quartò recidiui recensendi sunt inter reprobos: quia nouum peccatum post acceptam remissionem prioris ex circumstantia ingratitudinis grauius est quàm prius. Ergo, sicut prædestinatorum est semper proficere in melius: sic reproborum est semper labi in deterius. Antecedens patet tum ex terminis, tum è scripturis Ioan. 5. *Noli amplius peccare: ne deterius aliquid tibi contingat.* Quia scilicet peccatum deterius sequi debebat pœna deterior. Quem locum expendens Cyprianus lib. de disciplina, & habitu virginum. *Ecce*, inquit,

Cyprianus.

sanus

sanus factus es, &c. *Dat vivendi morem : dat innocentiæ legem, postquam contulit sanitatem. Nec habenis solutis vagari postmodum patitur, sed gravius comminatur : quod sit scilicet minor culpa deliquisse antè, cum nec dum nosses disciplinam Dei : nulla sit venia ultrà delinquere, postquam Deum nosse cœpisti.* Expendenda sunt illa verba *nulla sit venia ultrà delinquere*: quia scilicet ita est difficilis venia post relapsum, ut Cyprianus pronunciet esse nullam. Difficilior venia post relapsum.

Probat id Bernardus serm. 59. in Cant. similitudine morbi; in quem periculosius est recidere, quàm incidere. *Si*, inquit, *gratia propitiata redierit, multò magis tunc timendum, ne contingat recidivum pati; iuxta illud, iam ampliùs noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Audis recidere, quàm incidere esse deterius.* Colligitur idem etiam ex Matth. 12. *fiunt novissima hominis illius peiora prioribus* : Et ex Ieremiæ 2. *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas.* Præterea idem probatur ex Paulo ad Hebræos 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt spiritus sancti*, &c. *& prolapsi sunt : rursus renovari ad pœnitentiam.* Ex quo loco Tertull. lib. 1. dè pudicitia sumpsit occasionem hæresis, quod recidivi non essent admittendi ad pœnitentiam. Sed germanus sensus est, quod hoc sit impossibile, id est ratione tantæ ingratitudinis valde difficile, ut explicant Anselmus, Hugo, Lyranus, & alii. Tanta est difficultas, ut appelletur ab Apostolo impossibilitas. *Bernard.* *Matth. 12.* *Ad Heb. 6.*

Porrò quàm gravem Deo injuriam inferat recidivitas, explicat idem Apostolus his verbis, *rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Quod verò id sit reprobationis signum monstratur etiam ex sequentibus : *Terra proferens spinas, ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima : cuius consummatio in combustionem.* Hæc è scripturis. Recidivus injuriam grauissimam infert Deo.

Patet idem præterea ex Patribus. Chrysostomus serm. de lapsu primi hominis, qui habetur tom. 1. probat id similitudine vulneris recenter obducti; quod vel minimo ictu, quando non plenè convaluit, recrudescit, ac ducit ad mortem. *Noli*, inquit, *peccare post veniam : noli vulnerari post curam : noli sordidari post gratiam. Cogita graviorem culpam esse post veniam : renovatum vulnus peius dolere post curam : molestiùs hominem sordidari post gratiam.* Et infra : *Indulgentiæ*, inquit, *ingratus est, qui peccat post veniam. Sanitate indignus est, qui semetipsum, postquam curatus est, vulnerat : nec mundari meretur, qui seipsum post gratiam sordidat.* Tum concludit : *Grave est, hominem instructum delinquere : gravius, absolutum peccare. Peior est, qui Dominum post datam libertatem offendit.* Tertull. lib. 1. de pœnit. cap. 5. probans *gratiam semel cognitam, atque susceptam nunquam posthac iteratione delicti resignari oportere*, perpen- *Chrysost.* *Tertullian.* Recidivus gaudium præbet diabolo.

dit grauitatem peccati iterati post pœnitentiam. Quippe peccator redeundo ad peccatum, gaudium facit diabolo: sicut priùs pœnitendo gaudium fecerat Angelis Dei, *Non leuiter*, inquit, *in Dominum peccat, qui cum æmulo eius diabolo per pœnitentiam renunciasset, rursus eundem regressu suo erigit : & exultationem eius se ipsum facit : vt demum malus recuperata sua præda aduersus Dominum gaudeat.* S. Ephrem serm. de compunct. & salute animæ, perpendit idem ex materia doloris, quam recidiuus præbet Deo, & Angelis Dei. *O quantum*, inquit, *gaudium est in cœlis, simul ac peccator in terra fundit lachrymas. O quantus rursus dolor erit in cælo; quando homo : qui abrenunciauit Sathanæ, & operibus eius, coniunctus Christo, iterum conuersus fuerit retrorsum oblitus pactorum : & inhæserit antiquis, quibus se rectè abdicauerat.* Tertullianus expendit in hoc, recidiuum expertum semel Christi regnum, & diaboli, quando ad huncvoluntariè redit, præponere Christo diabolum. *Nonne*, inquit, *hic diabolum Domino præponit ? Comparationem videtur egisse, qui vtrumque cognouerit : & iudicatò pronunciasse eum meliorem, cuius se rursum esse maluerit.* Addit in hoc, recidiuum facere pœnitentiam suæ pœnitentiæ : & sic fieri Deo exosissimum. Sicut enim subditus, qui post acceptam rebellationis ueniam iterum rebellaret ad hostem: *ita, qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam satisfaciet : eritque tantò magis perosus Deo, quantò æmulo eius acceptus.* Si igitur recidiuus Deo exosus est, acceptus Diabolo, mœrorem in cælo facit, gaudium in inferno: ad eam vtique sortem pertinere censendus est, cui adhæret. Dumque alia, & alia iteratione peccati semper peccat grauius, & grauiùs, vt ostensum est : vtique semper labitur in deterius, ac deterius : quod planè proprium est reproborum: & sic non possunt rationabiliter hi recenseri inter electos.

Ephrem. Recidiuus mœrorem præbet Angelis Dei.

XXIV. Recidiuum pœnitentiæ.

Postremò, & fortiùs. Quotiescumque aliqui ex adultis sunt prædestinati, omnia iis cooperantur in bonum, etiam peccata. Sed habitualiter recidiuis peccata non cooperantur in bonum. Ergo habitualiter recidiui non sunt numerandi inter prædestinatos. Maior patet ex Paulo ad Rom. 6. vt ostensum est tom. 2. lib. 3. quæst. 4. num. 15. Minor probatur. Quia intantùm peccata cooperantur in bonum, inquantùm cooperantur ad pœnitentiam fructuosam post peccatum, vt in eadem tomo ostensum est, & hîc tractatu primo. cap. 5. Sed habitualiter recidiuis peccata non cooperantur ad pœnitentiam peccatorum. Tum quia primus pœnitentiæ fructus est non relabi, vt supra probatum est. Tum quia in tantùm pœnitentia cooperatur in bonum, inquantùm affert non solùm emendationem sed etiam meliorationem vitæ, vt probatum est locis cit. adeò vt *non solùm nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis*

Prædestinatis peccata cooperantur ad bonum pœnitentiæ.

incentiva cumulasse : ut docet Ambrosius lib. de Apolog. Davidis, cap. 2. qui etiam ibi addit *semel, aut iterum lapsos, gratia maiore vicisse* : ut appareat, qui lapsi connumerari possunt inter electos. In iis autem, qui non semel, aut iterum lapsi sunt; sed sunt habitualiter recidivi, non solùm nulla est post pœnitentiam melioratio vitæ: sed semper relapsus in pejus, ut paulò antè ostensum est. Ergo hi recidivi non sunt ex numero prædestinatorum, quibus peccata per pœnitentiam cooperantur in bonum. Relinquitur ergo ut sint ex numero reproborum. Quamobrem Chrysostomus epistola ad Theodorum lapsum, *tantùm*, inquit, *ne relabaris*; *nec exscindas spes ampliores*, quia scilicet spes gloriæ maximè consistit in hac negatione relapsus, quasi supponendo exscindi spem gloriæ per relapsum.

Confirmatur primò ratione à priori, quia peccatum sæpiùs iteratum gignit consuetudinem peccandi. Hæc autem coniuncta cum pronitate naturæ corruptæ ad peius pene irreparabiliter ducit ad barathrum, ut ostensum est tract. præced. cap. 4. Quamobrem Glossa in Iob. 31. *opus*, inquit, *sequitur consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.* Ergo hi qui sæpiùs relabendo accrescunt peccata peccatis, numerari non debent inter electos.

XXV. Peccata per pœnitentiam quotidie flenda. *Augustinus.*

Confirmatur secundò ex iis quæ requirunt Patres ad hoc, ut pœnitentia post peccatum prædestinationis sit signum, nempe quotidianum peccatorum dolorem, ieiunia, eleemosynas, lachrymas, ut fusè ostendimus tract. 1. cap. 5. Quippe, ut monet Augustinus, *gravia peccata grævissimis lamentis indigent* : & ideo ibidem dicit patrata peccata esse *quotidie flenda.* Ergo, ex Patribus, nullum prædestinationis signum in eis possumus recognoscere, qui non solùm non quotidie flent peccata, sed pene quotidie iterant.

Satisfactio pœnitentiæ, est causas peccatorum abscindere.

Confirmatur tertiò, quia ad prædestinationis signum post peccata requiritur satisfactio pro peccatis. Ex Augustino autem libro de dogmat. Eccles. cap. 54. *Satisfactio pœnitentiæ, est causas peccatorum abscindere, nec eorum suggestionibus aditum indulgere.*

Confirmatur quartò ex iis, quæ Deus requirit in Scripturis à peccatore pœnitente, ut illum reponat inter prædestinatos.

Ezechiel. 18.

Et quoniã citari solet ad præbendam spem peccatoribus Ezechiel sub iis verbis, *In quacumque hora ingemuerit peccator*, &c. quæ verba ibi non sunt, dabimus duplicem eiusdem Ezechielis locum, in quo de hoc agit. Primus est cap. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est : & custodierit omnia præcepta mea: & fecerit iudicium, & iustitiam; vità vivet, & non morietur.* Secundus locus est cap. 38. *Si dixero impio, Morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo : feceritque iudicium & iustitiam, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit : & in mandatis vitæ ambulaverit,*

Ezech. 38. Quæ pœnitentia requiratur ad salutem.

nec fecerit quidquam iniustum ; vitâ viuet , & non morietur. Ecce , ex diuino oraculo,post peccatum qualis pœnitentia requiratur ad salutem. Non dicit tantummodo , *si egerit pœnitentiam* ; sed addit , *si omnia præcepta custodierit : si in mandatis vitæ ambulauerit :* quod dicit continuatam quandam obseruantiam mandatorũ. *Si non fecerit quidquam iniustum*;idest peccaminosum;ex quo quilibet peccator iniustus dicitur. Ergo expressè requiritur negatio recidentiæ in peccatum. Apparet ex his Scripturæ locis,quæ spes esse possit in his qui nõ quomodocunque , sed sunt habitualiter ad peccata eadem recidiui.

Confirmatur denique vltimò , quia si collocandi sunt in numero prædestinatorum , vt volunt aduersarii , ii *qui vitam transigunt cadendo & resurgendo*,quod est dicere, qui habitualiter per totam vitam sunt recidiui , sequeretur quod hæc ipsa recidiuitas habitualis esset vnum è prædestinationis signis;quia ex hoc,qui tales sunt,arguantur esse inter prædestinatos. Sed hoc est absurdum ex terminis,& aduersatur Patribus, qui in eius oppositoagnoscunt signum prædestinationis vt fusè ostensum est. Ergo , &c. Denique an recidiui , & præsertim habitualiter recidiui , qui cadendo & resurgendo vitam transigunt , adnumerandi sint inter electos an inter reprobos, stetur testimonio Pauli ad Heb.10.qui prohibendo hunc relapsum:*Non h. beãt*, inquit , *vltra conscientiam peccati , cultores semel mundati.* Ex cuius contrario quid sequatur infra subdit:*Voluntariè peccantibus nobis p st acceptam notitiam veritatis , iam non relinquitur pro peccatis hostia : terribilis autem quædam expectatio iudicii , & ignis æmulatio,quæ consumptura est aduersarios.* Magna comminatio recidiuantibus in peccata post acceptam veritatis notitiam per fidem, & multò magis post perspectam , & odio habitam fœditatem peccati per pœnitentiam. Grauior fit hæc comminatio ex iis, quæ subjicit : *Irritam quis faciens legem Moysi , sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur ? Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia : qui Filium Dei conculcauerit , (* quod fit per quodlibet mortale) *& sanguine testamenti pollutum duxerit , in quo sanctificatus est*(in Sacramentis tum Baptismatis , tum Pœnitentiæ)*& spiritui gratiæ* (toties accepto , & toties rejecto) *contumeliam fecerit.* Vnde infra concludit : *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Videatur ex hoc quale fiat ab Apostolo de recidiuantium salute iudicium. Quod si ex aduersariis etiam inter fideles adultos maior pars hominum cadendo & resurgendo transigit,quod est esse non quomodocunque , sed habitualiter,& per totam vitam recidiuum,manifestè sequitur maiorem adultorum partem pertinere ad reprobos , & *ad filios gehennæ*, vt recidiuos appellat Bernardus verbis citatis num. 21.& sic ex ipsomet aduersariorum argumento videtur concludi contrarium.

*Ad Heb.*10. Recidiuis comminatio damnationis.

CAPVT VII.

Idem ostenditur ex multitudine malè morientium.

DVo erant fundamenta aduersariorum præcipua. Primum, multitudo cadentium & resurgentium. Alterum, multitudo bene morientium. Vtrumque contra aduersarios retortum pro nobis militat. Primum agitauimus capite præcedenti. Alterum hîc agitabitur. Ita igitur formo argumentum. Omnis qui malè viuit, iuxta leges communes, vt in pluribus, malè moritur. Sed maior pars fidelium adultorum malè viuit. Ergo maior pars fidelium adultorum, iuxta leges communes, vt in pluribus, malè moritur. Consequentia tenet ex forma. Minor satis comprobata ab experientia, patet ex dictis Patrum, quæ attulimus suprà num. 20. & admittitur ab aduersariis, fatentibus quod inter fideles maior pars cadendo & resurgendo vitã transigit. Quod est recidendo in grauia peccata, de quibus est sermo, vitam ducere; & sic malè viuere. Maior sumitur ex axiomate vulgato, & admisso apud fideles, *Qui malè viuit, malè moritur: qui bene viuit, bene moritur.* Et videtur id desumptum ex Augustino serm. 24. de verbis Domini: vbi *Viuite*, inquit, *bene, ne moriamini malè.* Et tomo 3. in Sent. ait, *Mala mors fatenda non est, quam bona vita præcessit.* XXVI. *August.*

Patet id primò è Scripturis Psal. 33. *Mors peccatorum pessima.* Quod non solùm in sensu composito, sed etiam in sensu diuiso intelligitur ab Augustino: idest mors eorum, qui peccatores vixerunt, pessima. Quare redarguens eos, qui dicebant multos peccatores bene mori, sic habet: *Hoc ergo*, inquit, *quod miror, quia noui peccata & scelera ipsius, & bene mortuus est in domo sua, intra limina sua, nulla peregrinationis iniuria fuit illi, nulla vel in matura ætate. Audi Deum, Mors peccatorum pessima. Qua tibi videtur bona, pessima est, si intus videas. Vides foris iacentem in lecto, sed numquid vides intus raptum ad gehennam?* Contrà verò dicitur Psal 51. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*: idest, rara. Quippe, vt notat Hieronymus in Is. 13. *Pretiosum dicitur omne quod rarum est*: quia scilicet rariores sunt qui in Domino moriuntur. Insuper Psal. 133. *Virum iniustum mala capient in interitu.* Quilibet autem peccator dicitur injustus; sicut quilibet bonus dicitur iustus. Augustinus legit, *mala venabuntur*, scilicet tanquam feram quam dæmones tota vita insectati, & tot laqueis irretitam, ne fugeret, tandem venantur in interitu. Quamobrem Augustinus: *Ideo*, inquit, *venabuntur; quia vnusquisque* Mors eorũ qui malè vixerunt, pessima. *Psalm. 51.* *Hieronym.* *Psalm. 133.* *Augustinus.*

abundare se vult à malo. Sed cùm inuenitur à malo, factus est in venationem: ac si diceret, ita deprehenditur, vt non possit effugere.

Prouerb. 29. Præterea Prou. 29. *Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus.* Qui autem male viuit, vtique corripientes contemnit. Denique Eccl. 3. *Cor durum habebit malè in nouissimo* siue, vt Syrus, *cor durans malus fiet finis eius.* Cor autem durum habet is qui malè viuit? cùm resistat gratiæ toties eum incitanti ad vitam bonam. Quippe, vt notat Lyranus, *sicut durum in corporalibus dicitur, quod resistit frangenti; sic in spiritualibus, quod resistit instinctui ad bonum.* Portò ex veteri prouerbio, *gutta cauat lapidem:* cor autem, plusquam lapideum, tot veluti guttæ diuinarum

Inspirationibus diuinis qui resistit, mortem fortietur malam.

Lyranus.

inspirationum quotidie instillatæ nequaquam emollierunt. Ideo

Vit. Patrum.

Abbas Pastor, vt habetur in vitis Patrum l. 6. libell. 18. num. 16. dixit, quod *sicut assiduè stillans gutta cadit in lapidem, & eum perforat: ita sermo Dei leuis cor nostrum durum aperit ad timendum Deum.* Cor autem, quod diuinis monitis toties in vita restitit, planè cor durum est, *& habebit malè in nouissimo:* quia: vt in eum locum notat Palacius, *dignus non est, vt is sentiat Deum mollem in morte, qui ei se toties præbuit durum in vita.* Sequitur, *Qui amat periculum, peribit in illo.* Nullum autem maius periculum, quàm malè uiuendo pœnitentiam differre ad mortis articulum. Eius igitur qui malè vixit, præsumi non potest bona mors, quando Deus ipse protestatur malè morituros eos, qui malè vixerint.

Cyprianus.

Patet idem secundò ex Patribus. Cyprianus lib. 4. epist. 2. ad Antonian. *Non est dignus*, inquit, *in morte accipere solatium, qui se non cogitauit esse moriturum.*

Hieronymus.

Hieronymus, vt refert Eusebius in epist. ad Damasum, cum decumberet moriturus, *vix*, inquit, *de centum millibus hominum, quorum mala fuit semper vita, meretur à Deo habere indulgentiam vnus.* Terribilis planè sententia quæ confirmat adamussim id, quod diximus, eos qui malè vixerint, vt in pluribus malè mori. Quare vniuersaliter concludit: *Hoc teneo, hoc multiplici experientia didici, quod ei non bonus est finis cui mala fuit semper vita.* Ambrosius adhortatione ad pœnitentiam: *Qui*, inquit, *positus in vltima necessitate ægritudinis suæ accipit pœnitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & vadit* (ideſt exit ex hoc corpore) *fateor vobis, non negamus illi quod petit,* (ideſt non negamus illi absolutionem), *sed non præsumo dicere, quod benè hinc exit.* Augustinus lib. de vera & falsa pœnit. cap. 17. *Si conuersio*, inquit, *contigerit in fine, non est de eius remissione desperandum: sed quoniam vix, vel rarò est tam iusta conuersio, timendum est de pœnitente serò.* Ecce quod diximus, id contingere vix, & in paucis. Quod magis ipse explicat his, quæ suprà dixit, *Illi, qui cum potuerunt, numquam conuerti voluerunt, confitentes cum iam peccare nequeunt, non sic facilè acquirunt quod*

XXVII. Qui in vltimo vitæ tempore Deo reconciliantur, non bene moriuntur, ex Ambrosio *Augustin.*

volunt. Gregorius lib. 25. moral. cap. 2. in ea verba Iob 24. *subitò morientur*, &c. *Quamuis*, inquit, *serò de hac vita tollantur iniqui, subitò & repente tolluntur : quia finem suum cogitando præuidere nesciunt : subitum est homini, quod antè cogitare non potuit.* Affirmat quamlibet mortem esse peccatoribus subitaneam, quia quælibet est illis antea improuisa : iusto autem Dei iudicio eos subito mori; quia, vt addit. cap. 3. *subitò tollitur, qui diu toleratur.* Isidorus lib. 2. de off. Eccl. cap. 22. *Non dubitamus*, inquit, *circa finem iustificari hominem, per pœnitentiæ compunctionem : sed quia rarò id fieri solet, timendum est, ne dum ad finem differtur conuersio, incerta mors occupet.* Expressè dicit non iustificari hominem per pœnitentiam circa finem. Plura testimonia rationibus interseremus. Quatuor autem S. Ecclesiæ Doctores allati facilè ostendunt quid sit de hac re sentiendum. *Gregorius.*

Patet idem tertiò ratione à priori. Quotiescunque introducuntur, in Physicis, dispositiones ad vnam formam, non contingit sine miraculo haberi formam oppositam. Vt si materia fuerit summè calida & sicca, atque adeo disposita ad formam ignis; Deus nunquam introducit in illam formam aquæ. Et è cõtra si fuerit frigida & humida, non introducitur in illam forma ignis, Ergo similiter, in moralibus, si introducuntur dispositiones in malam mortem, quales sunt actiones prauæ; non contingit sine miraculo gratiæ haberi bonam mortem, quæ est forma opposita. Hæc autem, quæ miracula censentur, in cursu ordinario gratiæ non contingunt nisi in pauciſſimis.

Confirmatur, quia non contingit sine miraculo, vt quis ambulans per viam, quæ ducit deorsum, reperiatur in fine viæ prope terminum oppositum, puta prope fastigium montis sursum. Sed *via lata ducit ad perditionem, via arcta ducit ad vitam*, ex Matth. 7. Ergo non contingit sine miraculo, vt ambulans toto fere vitæ tempore per viam latam, quæ ducit ad perditionem deorsum, reperiatur in fine viæ, & vitæ, propè terminum sursum : nempe per bonam mortem, propè illam, *quæ sursum est Hierusalem* ad Galatas 4. Sicut igitur ex via, in Physicis infallibiliter arguimus terminum: ita ex via, in moralibus, infallibilitate morali argui debet terminus. Nempe iis, qui ambulauerunt per viam latam, terminus mala mors & perditio: iis, qui per viam arctam, bona mors & salus. *Matth. 7.* *Ad Galat. 4.*

Idem argumentum fieri potest similitudine seminis. Neque enim, qui seminat lolium, metit triticum. Ergo neque qui seminat carnem, metit spiritum. Et qui per totum vitæ tempus seminat opera damnationis, in fine postea non metit salutem. Ideo signanter monet Paulus ad Galat. 6. *Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet : quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem ; qui autem seminat in spiritu, de spi-* *Ad Gal. 6.*

ritu metet vitam æternam. Ex hoc infert; *Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.* His apertè docet debere non defici in bonorum operum semine ab his, qui cupiunt metere sine deficientia: ac proinde ostendit ad hoc requiri quādam indeficientiam in bonis operibus, quæ non reperiuntur in iis, qui deficiunt per totam vitam, & expectant à Deo præmium indeficiens in morte: quæ videtur quædam delusio, immo etiam quædam Dei irrisio. Quod innuit Apostolus dicens, *Deus non irridetur. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet.* Ideo absolutè pronunciat Augustinus serm. 45. de SS. *qui defecerit in semine, non gaudebit in messe.*

Augustin.

Illustratur hoc idem exemplo militis. Qui inter duos Reges, si vni ætatem, ac militiam impenderit: non præstolatur in fine vitæ mercedem ab altero, sed ab eo, cui militauit: ita non expectet præmium à Christo, qui ætatem impendit Diabolo. Quippe: *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Matth. 6. Ideo Chrysostomus epist. 6. ad Theodorum: *Si huius*, inquit, *telluris imperatorem vix aliquem post multa discrimina, post frequentium trophæa bellorum cum dignitate promerita videre contingit: quomodo cælestem omnium Regem videre poterit ille, qui per totum suæ tempus ætatis alii vixerit, alii militarit?*

Chrysost.

Patet id quartò principaliter ex difficultate pœnitentiæ homine habituato in impœnitentia. Quæ difficultas, si quando erat minor superata non est; multò minùs superabitur, quando ex vsu tam diuturno euasit maior.

XXVIII. Ad veram pœnitentiam, quæ requirantur.

Confirmatur, quia ad veram pœnitentiam tria requiruntur. Primum vt sit detestatio omnium peccatorum ex motiuo supernaturali. Secundum est, vt sit detestatio super omnia mala, & saltem in laxiore opinione, super omnia mala temporalia, etiam supra ipsam mortem: ita vt verè plùs pœnitens doleat de peccato, quàm de quolibet alio malo. Tertium vt sit coniuncta cum proposito firmo nunquam peccandi de cætero: quod propositum debet esse tale, vt se extendat, saltem virtualiter, & confusè, ad quamcunque occasionem, quæ offertur peccandi: ita vt sit firma voluntas nolendi peccare, etiam proposito periculo, aut damno propriæ existimationis, & vitæ: ad quæ omnia, saltem implicitè tale propositum se debet extendere. Vnum ex his si desit, vera pœnitentia non est, neque talis vt etiam coniuncta cum sacramento iustificet: cum illi desint essentialia.

Hæc tria difficultatem maximam continent, quia voluntas refugere debet à quocunque delectabili, etiam sensibili, & intuitiuè cognito, propter honestum, quod est quid abstractum à sensibus, & creditum obscurè per fidem. Hoc si difficile est etiam illi, qui his actibus assueuit, multò magis illi, qui his dissueuit, immo assueuit contrariis.

Quantam

Quantam porrò difficultatem habet ſummè deteſtari id, quod maximè quis in tota vita appetiit; & ſùmè appetere id à quo maximè in tota vita abhorruit? Vnde fit vt dolor quem in morte exhibent peccatores, ortus ex formidine mortis imminentis, difficilè pertingat ad actum deteſtationis peccati ex motiuo ſupernaturali, & ad tale propoſitum non peccandi, quod ſe extendat ad quodcumque tempus & circumſtantiam; ita verè proponat ſe non peccaturum, etiam ſi vita ſupereſſet, & mors abeſſet. Sed eſt propoſitum ita infirmum, ut tacitè & virtualiter contineat, quòd in tantùm fuga à peccato proponitur, in quantùm mors imminet: & ſic tale propoſitum non eſt ſufficiens, cùm non radicetur in vera deteſtatione ſuper omnia mala, ſaltem temporalia, ex qua oritur propoſitum non peccandi, neque ex metu cujuſcunque mali temporalis, neque ex amore cujuſcunque boni.

Difficultas maxima deteſtandi peccata iis, qui peccatis aſſueverunt.

Experientia oſtendit tale propoſitum in hujuſmodi pœnitentibus eſſe fictum: qui, ſi periculum mortis ceſſaverit, immò ſi meliùs habere cœperint, aut ſpem aliquam concipiant vitæ: ſtatim ad priora deſideria redeunt, ac ſi nunquam eos pœnituiſſet. Hoc animaduertit Hieronymus: *Quæ eſt*, inquit, *pœnitentia, quàm ſolùm quis accipit, quia ſe viuere non poſſe amplius cernit? qui ſi ex infirmitate conualeſceret, peior quàm antea fieret. Scio non modicos pecunioſorum, accepta mortis tempore pœnitentia, conualuiſſe corpore, & peioraſſe vitam.* Hanc fictionem pœnitentiæ in morte agnoſcit Cyprianus lib. 4 ep. 2. ad Anton. vbi: *Pœnitentiam*, inquit, *non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus à ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate atque periculo cœperint deprecari: quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis vrgentis admonitio compellit.* Præterea, Auguſtinus libro de vera & falſa pœnitentia cap. 17. vbi dicit, *Qui priùs à peccatis relinquitur, quàm ipſe relinquat; ea non liberè, ſed quaſi ex neceſſitate condemnat.* Hugo etiam Victorinus libro 2. de Sacramentis p. 14. cap. 5. *Valde*, inquit, *ſuſpecta debet eſſe pœnitentia, quæ videtur eſſe coacta. Facile eſt vt homo ſe velle putet, quod poſſe non datur: ſi non facis dum potes, manifeſtè oſtendis quod non vis.* Quod probans Concilium Neoceſarienſe c. 57. *Si quis*, inquit, *in agritudine conſtitutus fuerit baptizatus, Preſbyter ordinari non debet: non enim fides illius voluntaria, ſed ex neceſſitate eſt.* Si baptiſmus timore mortis ſuſceptus Concilio videtur coactus, quantò magis Pœnitentia, ad cuius voluntariam ſuſceptionem plura requiruntur quàm ad Baptiſmum? Et rationem reddit Ambroſius verbis ſupra citatis, *Quia ſi vis agere pœnitentiam, quando peccare non potes; peccata te dimittunt, non tu illa*: quaſi cum virtuali quadam voluntate peccandi, ſi vitæ non inſtaret finis. Quod proprium eſſe reprobrorum docet Gre-

Pœnitentia in extremo vitæ fine, ut in plurimis, ficta.

Hieronym.

Cyprianus.

Auguſtinus.

Hugo Vict.

Conc. Neoc.

Gregorius

gorius dialog lib.4. cap'44. vbi : *Iniqui*, inquit, *voluissent vtique, si potuissent, sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare : ostendunt enim quia in peccato semper viuere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum viuunt.* Quod præcipuè ad eos pertinet, qui non faciunt finem peccandi, nisi cùm instat finis viuendi.

XXIX. Pœnitentia ficta, Regis Antiochi exemplo, ostenditur. 2. *Mach.* 9.

Confirmatur hoc, quod dicimus pœnitentia ficta ex metu mortis, exemplo Antiochi Regis, 2. Machab. cap. 9. Hic enim, cùm extremo morbo premeretur, signa maximæ edidit pœnitentiæ quæ reducuntur ad octo. Primum signum fuit cognitio sui : *cœpit diuina admonitus plaga, ad cognitionem sui venire.* Secundum, cognitio Dei, & humiliatio sui sub manu Dei, dum ait, *Iustum est esse subditum Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Tertium oratio & deprecatio ad Deum : *orabat hic sceleſtus ad Dominum.* Quartum signum, propositum resarciendi damna illata, idque promissione firmatum. Quippe, *Iudæos, quos se cum paruulis exterminaturum dixerat, æquales Atheniensibus facturum pollicetur : Templum etiam sanctum, quod priùs expoliauerat, optimis donis ornaturum : & sancta vasa multiplicaturum*, nempe redditurum plura quàm abstulerat. Quintum propositum, faciendi alia opera bona supererogationis, *pollicitus pertinentes ad sacrificia sumptus de suis reditibus præstiturum.* Sextum, humiliatio sui cum subditis : & epistola deprecatoria suis hostibus, quos in vita fuerat ad internecionem insectatus : *non cessantibus doloribus, scripsit ad Iudæos in modum deprecationis epistolam.* Septimum, abnegatio ethnicismi, & totalis conuersio ad veram Religionem, quam fuerat antea persequutus, *Pollicitus super hæc & Iudæum se futurum.* Octauum signum pœnitentiæ, votum vitæ in posterum traducendæ relicto Regno, assiduis peregrinationibus ad Dei laudem & gloriam ordinis : *Pollicitus se omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem.* Non possent in Christiano homine plura pœnitentiæ signa desiderari : & vix quis ea sperare se potest exhibiturum in sua morte : & tamen pœnitentia tot indiciis exhibita veniam non meruit apud Deum. Dicitur enim ibidem, *orabat hic sceleſtus ad Dominum, à quo non esset misericordiam consequuturus.* Quippe, vt notat Lyranus, *eius pœnitentia non fuit vera, quia non fuit propter offensam Dei, sed tantùm propter euasionem corporalis flagelli : & sic non fuit misericordiam consequuturus quantùm ad remissionem nec culpæ, nec pœnæ.* Hæc de difficultate veræ pœnitentiæ in morte, ex difficultate veri doloris spectati secundùm se.

Lyranus.

Patet idem quintò ex difficultate orta à circumstantiis. Mors enim imminens non modò non facilitat pœnitentiam, sed etiam maximè difficultat : Quia actus pœnitentiæ exerceri non potest nisi à voluntate, cuius est detestari peccatum : voluntas verò fertur in cognitum,

& sic ad obiectum non mouetur, nisi præuio actu intellectus. Hic indiget magna attentione, vt consideret obiectum spirituale, & maximè abstractum à sensibus: neque potest ad hoc manuduci, nisi præuia & concomitante phantasia, circa idem objectum phantasiante. Phantasia, cùm sit affixa organo corporeo, ex debilitate & læsione organi, in suis operationibus debilitatur, ac læditur. Vnde fit, vt ex connexione cum illa intellectus etiam debilitatur ac lædatur in suis. Cùm igitur in graui morbo lædantur præcipuè partes principes, & sic maximè caput, cui affixa est phantasia; hinc oritur summa difficultas aduertendi, & attendendi ad ea motiua quę necessariò ad actum pœnitentiæ debent præconcipi. Si enim ad hæc attendere perdifficile est integris corporis viribus homini beneualenti; quid erit in ægrotante, inter morbi & mortis angores?

Mors imminens difficultat doloris actus ad penitentiam necessarios.

Affui cuidam viro religioso extremo morbo laboranti. Quem cum ad nescio quos eliciendos pietatis actus hortaret, affirmans his se debilitate capitis prohiberi: *Nisi*, inquit, *hac opportuno tempore anteuertissem, actum omnino nunc esset de mea æterna salute.* Sic ille. Quod equidem experientia didiceram. Quippe cum vigesimum quartum ætatis annum agerem, ad extrema deductus, ac certior à medicis factus me ea nocte obiturum; cum totus, vt par erat, in animæ salutem incumberem: ea debilitate capitis oppressum me sensi, vt patrum astantium, qui mihi de more varios pietatis actus suggerebant, sonum tantùm vocis audirem, sensum verborum, etiamsi in id maximè intenderem, aliquando vix, sæpissime ne vix quidem perciperem: eorum, qui animæ commendationi vacabant, labore penè irrito.

XXX.

Huc accedit quod etiam ante extremos angores, in ipso cursu morbi, sæpe adest parosismus febris; in quo vix æger est sui compos: sæpe parosismus parosismo succedit Quando vis morbi remittitur, ægroto à medico imperatur somnus. Si quid supereſt temporis, absorbent illud curæ domesticæ hominis, tam longum iter facturi: testamenta, codicilli, extrema cum amicis & consanguineis colloquia non vlteriùs reuisendis. Hæc omnia & singula maximum, & speciale præbent, in eo statu pœnitentiæ impedimentum. Quod egregiè prosequens Augustinus ad fratres de eremo serm. 48. *Agite*, inquit, *pœnitentiam antequam vos inimica naturæ mors aggrediatur. Nam, cum in extrema ægritudine fueritis, ò quam forte, quàm durum, quàm pœnosum, quàm lachrymabile erit dolere de malis commissis, & de bonis omissis. Quia illuc rapitur tota intentio mentis, vbi tota est vis doloris. Multa enim occurrunt impedimenta cordis: nam corpus dolet, pœna affligit, quia mors appropinquat. Filios, quos patres summè dilexerunt, pro quibus etiam se damnatos existimant, teneb oso oculo aspiciunt: vxores jam lachrymantes considerant: mundus adhuc eis*

Augustinus.

fiduciam præstat : caro non deficere adhuc sperat : medici, ut lucrentur, ipsum confortant : parentes applaudunt : amici alliciunt : & sic divites moriuntur in inferno. Laurentius Iustin. libro de contemptu mundi cap. 14. *O quàm innumeri*, inquit, *quotidie decipiuntur, differentes de die in diem converti ad Dominum, arbitrantes ad libitum pœnitentiæ posse captare remedia. Ita mortis deprehensi articulo, atque angustiis afflicti, pene nihil aliud quàm de se cogitare sufficiunt : revoluentes animo sedulò quibus remediis suis valeant mederi doloribus.* Et infra : *Fit autem persæpe ut circa talia occupati interiùs, salutis propriæ minimè recordentur, & absque ulla veræ compunctionis dispositione deficiant.*

Laur. Iustin.

Pœnitentiã difficultat mortis vicinæ timor. *Gregorius. Ephrem.*

Adde his timorem vicinæ mortis, ita exhaurientem spiritus, ut pene cogat mori ante mortem. Adde timorem divini Iudicii imminentis, *dum*, ut ait Gregorius, *anima exire de corpore trepidat : & videre eum, quem contempsisse se meminit, Iudicem formidat.* Quæ de re sanctus Ephrem sermone 3. de compunctione: *Magnus*, inquit, *pavor est mortis tempore omnibus peccatoribus mei similibus. Graviter tunc dolore cordis excruciatur, qui hîc dum viveret, salutis suæ curam neglexerit ; adeo ut pœnitentiæ ejus cruciatus ipsum quoque mortis ac separationis timorem excedat.* Astiti aliquando cuidam Religioso valde probo, laboranti in extremis ; qui, cùm eum ad fiduciam hortarer, *Nescis*, inquit, *quàm horrendum sit recordari Dei vel se malè violasse præceptum.* Italicè habet emphasim, *l'haver trasgredito il commandamento d'un Dio.* Adde, ex his qui malè vixerunt, multos repentina morte sublatos, ut iis specialiter Deus comminatur, Prov. 1. & nos notavimus tract. præced. cap. 4. num. 34 Adde innumerabiles qui moriuntur in bello, sive nulla confessione prævia, sive metu extorta : postquam statim ad flagitia militiæ redeunt. Adde quamplurimos ex incendio, & terræmotu absumptos. Nam postremò Vesuviano incendio quinque circiter hominũ millia, terræmotu Calabriæ, paulò post ad triginta millia extincta traduntur. Ex his, qui semimortui euasere è ruinis, in quibus jacuerant semisepulti, acceptum est quid sperari possit de his qui post breve vitæ intervallum inter ruinas mortui sunt. Testati enim sunt iis subito casu oppressis, nihil aliud animo obversatum esse quàm præsens periculum, imminentemque mortem evadendi anxiam sollicitudinem, quà posset evadi. Ego quoque idem expertum me testor. Nam, cùm non multò ante Vesuvianum incendium terræmotus ingens Neapolim intempesta nocte concuteret, atque è somno repente excitatus cubile, cubiculum, parietes, solum, omnia contremiscere inaudissem : tam vehemens me timor invasit, ut ne ullum quidem, cùm maximè vellem, contritionis actum elicere qualitercunque potuerim. Alia etiam vice, paroxismo quodam oppressus, qui me suffocare videbatur,

postulata confessione, cùm subitò Confessarius aduolasset absolutionem petenti impertiturus, gestu hominem prohibui, cùm voce non possem; eò quòd ne attritionis quidem actum elicere potuissem. Hæc ad meam confusionem sint scripta, & instructionem aliorum, vt videatur quid sperari possit de confessionibus in extremo vitæ factis, occupante sensum præsenti morbo, imminente morte: quarum pleraſque, si minùs sacrilegas, quia fortasse bona fide fiunt, tamen informosa; & sine vllo Sacramenti effectu contingere existimo, ex defectu doloris delicti, ad talem affectum necessarii; quem tunc elicere, præsertim homini habituato in peccatis, est omnino perdifficile, difficultate orta ab intrinseco, ratione status ægritudinis præsentis & vicinæ mortis.

XXXI. Diabolus omnes adhibet conatus in extremo vitæ ad morientium perniciem. *Apocal.* 12. *Iob.* 40. *Gregorius.*

Patet denique septimò ex circumstantiis extrinsecis, ob extraordinarias tentationes quibus dæmones infestare solent morientes. Adest enim tunc: vt dicitur Apoc. 12. *Diabolus habens iram magnam sciens quia modicum tempus habet.* Ideo dicitur etiam Iob 40. *stringere quasi ceárum caudam suam*: quia, ut notat Gregorius lib. 32. Moral. cap. 16. *quos per praua initia cœperit, ad finem deteriores reddit: vt tentamenta eius quò sunt citiùs cessatura, eò valentiùs compleantur: quia enim suis pœnis eorum satagit æquare supplicium, in eos ardentius ante mortem nititur exaggerare peccatum.* Terribile est, quod narrat Platus de bono status Relig. libro 1. cap. 31. cùm quidam Cuno Malburchensis oppidi Dominus post quadraginta annos, quibus in seculo malè vixerat, Religioso habitu inter Cistercienses Monachos suscepto, ad pœnitentiam confugisset, ac triennio post ad extremum vitæ deductus esset, confertissimè ad eam quamplurima dæmonum agmina accurrerunt. Nam eodem tempore dæmon, qui energumenam obsidebat, narrauit se & alios ex suis quindecim mille (tot enim fuisse fassus est) in morientis cubiculum aduolasse, vt singuli in eo tentando conatus adhiberent extremos: sed precibus, vt dicebat, tonsatorum, ideſt Monachorum, depulsos irrito conatu abiisse. Magnam porrò injustitiam sibi à Deo querebantur illatam, eo sibi erepto è manibus, qui quadraginta annis sæculo, seruisset tribus Deo. Si quindecim millia dæmonum conspirarunt ad eum tentandum in morte, qui per triennium in sanctissima Religione pœnitentiam austerissimam egerat: certè totas pæne infernus suas vires effundet, ne, qui peccata protraxit ad mortem, in eo articulo suis manibus elabatur.

Difficultas pœnitentiæ in extremo vitæ ex diminutione diuinorum auxiliorum.

Patet octauò ex difficultate orta ex diminutione diuinorum auxiliorum. Nam cum certum sit ad donum finalis perseuerantiæ specialia requiri auxilia, quæ aut abundantiùs, aut parciùs tribuere in diuina est potestate: postulat cursus ordinarius gratiæ, iuxta quem Deus vt plurimùm operatur, vt in pœnam præcedentium delictorum dentur

ad resistendum tentationibus auxilia tenuiora his, qui vitam plerumque in peccatis duxerunt, quàm iis, quos extremus morbus reperit aut innocentes, aut pœnitentes. Si autem Deus ante omne peccatum aliquibus dat gratiam sufficientem, eam nimirum cui præuidet illos ex propria malitia non consensuros, quia non tenetur dare efficacem; quantò magis post longam seriem peccatorum, ex qua quis positiuè demeretur gratiam efficacem, eam iurè denegabit? non solùm quia non tenetur dare, sed etiam quia ex ipsomet peccatoris demerito, de lege ordinaria, in pœnam peccatorum præcedentium quasi tenetur eam non dare. Ideo protestatur Prouerb. 1. *Quia vocaui, & renuistis*, &c. *ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo.* Æquum enim est vt qui in vita Deum irriserunt, à Deo irrideantur in morte, vt notatum est supra. Ex hac autem imminutione diuinorum auxiliorum in tanto incremento diabolicarum tentationum, difficillimum omnimo sit, vt quis ad veram pœnitentiam resurgat in fine vitæ: & sic pœnitentia sera rarissimè est vera.

Proverb. 1.

XXXII. Pœnitentia in morte etsi vera est, stabilis non est.

Patet idem denique vltimò, quia si vera est, stabilis non est. Nam etiam dato casu, quod quis in extremo morbo hortatu Sacerdotum, ex formidine gehennæ attritione coniuncta cum sacramento, pertingat ad pœnitentiam veram: facillimè tamen ex ea decidet ante mortem, ex rationibus ante dictis. Tum ex habitu vitioso, per tam longum tempus contracto, recidendi si minùs opere, saltem consensu, in peccata. Tum ex imminutione diuinorum auxiliorum, quæ est pœna peccati etiam remissi. Tum denique ex Dei permissione, quia iuxta leges communes permitti solent Dæmones tentare tunc grauiùs, vt ex Gregorio, ostensum est: & sic facilè, adhibendo extremos conatus, retrahunt ad se eos, qui per modicum tempus euaserant.

Affui quondam cuidam ægroto agenti animam, cui obtulit dæmon conspiciendas quatuor puellas saltantes, & nudas: neque ille animaduertit dæmones esse sub puellarum specie, sed veras puellas censuit irridens id quod audierat, dæmones in obitu apparere: cum non dæmones videre se diceret, sed puellas. Is modò antea ritè confessus, valde tunc me reliquit ancipitem, an illa tentatione prostratus sit: cum nulla postea ediderit aut doloris, aut pietatis indicia. Affui etiam alteri ægroto, cui dæmõ speciem illius mulieris exhibuit, quam sanus deperierat: eamque, citra omne delirium, existimabat astare prope cubile, in quo iacebat. Alteri prope mortem species oblata est eius cum quo inimicitias gesserat, illi insultantis ac de eius morte exultantis. Graues has tentationes in morte Deus permittere solet iis, qui nimiùm sibi fidentes pœnitentiam protraxerunt ad finem vitæ. Affui quoque alteri, qui iam pœnitentiæ sacramento ritè suscepto, à febri ardentissima concitatus ad sitim, à siti ad aquam summo ardore concupiscendam & petendam, ab aquæ potu à se flagitato, à suis dene-

gato concitatus est ad vehementissimam iracundiam : ab hac ad horrendas blasphemias, quibus par est credere eum assueuisse in vita. Quid de illa anima actum sit, Deus nouit. Quidam reus cum, post confessa Sacerdoti peccata, crucifixum piè, vt assolent, manu gestans ad supplicium duceretur, oblato mulierum aspectu per viam, peccato, quod opere perpetrare non poterat, cogitatione consensit vt idem postea fassus est : validiore prauo anteactæ vitæ habitu ad admittendum peccatum existente, quàm ipsa mortis imminentis præsentia ad cauendum. Alius, qui mulierem inhonestè adamauerat, cum post susceptum Pœnitentiæ sacramentum laboraret in extremis, tabellam pictam petiit, quæ è proximo pariete pendebat. Qui astabant rati imaginem esse cuiuspiam sanctæ, quam ille coleret, eam ægroto attulerunt : erat autem effigies mulierculæ illius, de qua dixi. Eam mox : insciis astantibus quidnam id esset, ac pietatis sensui tribuentibus, osculari cœpit ardentissimè, atque inter illa infelicia oscula infelicissimè periit.

Concludam rem totam alio memorabili exemplo, cuius ab antiquioribus Societatis Patribus certa traditio ad nos peruenit: quò perspicuè apparebit inueteratus in malo vsus quantùm in ipso vitæ fine valeat : præsertim si, vt sæpissimè contingere solet, inter morbi vices aliqua vitæ spes affulserit : dum, iuxta illud quod diximus ex Augustino, *caro sperat, medici confortant, consanguinei applaudunt.* Quidam mulieris prauo amore per plures annos detentus, in morbum incidit. Quo inualescente, stimulis conscientiæ acriùs incitatus, Confessarium è nostris aduocat: peccata magno animi dolore aperit : impuro amoti planè renunciat. Soluuntur oculi in lachrymas : absolutionem impetrat, mulieris illius neque congressu, neque conspectu postea admisso : sacrum illi Viaticum administratur, tanto animi sensu, ac detestatione peccati, vt Confessario videretur illa vehemens contritio tam plenè satisfactura, vt is Purgatorio solutus mox liber euolaret ad cœlum. Breui moritur, exultante Confessario, ac Deo de salute illius animæ maximas agente gratias. Hic vt Sacri tempus aduenit, ad Altare accessit Missam pro defuncto celebraturus. In ipso sacrificii exordio vmbra illi quædam se obtulit; sed ita obscurè, vt dignosci satis non posset. Cùm verò ad altare ascendisset introitum inchoaturus, & *requiem æternam dona eis Domine* dicturus; clarè is qui modo defunctus fuerat, dispiciendum se dedit; atque hæc verba distinctè pronunciauit, Ne facias pro me Sacrum; damnatus enim sum. Perturbari Sacerdos, vt par erat, horrescere, contremiscere; ad Sacrum prosequendum deficiente etiam habitu ac voce. Sed à Deo suffectis viribus, & Sacro pro aliis defunctis, vtcumque potuit peracto ad arcanum locum se contulit. Ibi Deum non sine lachrymis precatus, vt quando dignatus erat, sibi detegere animæ illius infelicis

interitum, causam etiam detegere dignaretur. Sollicitabatur quippe pius Sacerdos ea cura, ne fortè miser ille ipsius negligentia periisset. Ne morer pluribus, orauit, exorauit. Namque inter has preces iterum ille conspectui se reddidit ac lamentabili voce. Ne puta, inquit, me tua culpa aut incuria periisse. Confessio, qua tibi peccata detexi, integra fuit & salutaris: detestatio peccatorum vera: votum non vlterius peccandi, firmum & efficax. Absolutio, quam mihi sæpiùs impendisti, nunquam irrita cecidit: sed ablutus omni peccati macula in gratiam cum Deo redii. Atque vtinam tunc anteuertisset me mors; nunc inter damnatos non essem. Sed cùm postea, Viatico sanctè & fructuosè suscepto, morbi vis remittere videretur, spemque vitæ conciperem, obtulit meæ menti diabolus mulieris illius simulachrum, cui me longo vsu lasciuus amor deuinxerat, quæ amoris speciem præferens, ita me alloqui videbatur: Nonne si vixeris, & conualueris, ad priores simul dilicias redibimus? Annui, miser, ex praua consuetudine, ad assentiendum procliuis & vix assensu præstito, iusto Dei iudicio reualescente repente morbo, efflaui animam infelicem. Heu ob momentaneam cogitationem æternis addictus flammis, vt tibi faciet aspectus fidem. Inter hæc verba, vestem, qua videbatur indutus, aperuit; & flammas delitescentes, quibus acerrimè inardescebat, detexit. Mox ab oculis euanuit, à dæmonibus denuò arreptus, ac retrusus ad tartara. Discant hinc alienis, vt dici solet, impensis, qui nimiùm sibi fidentes pœnitentiam prorogant ad extrema. Nimis serò initium fit bonæ vitæ, cùm finis est vitæ.

CAPVT VIII.

Soluitur argumentum ductum ab exemplo boni Latronis.

XXXIII. *Augustin.* VNicum argumentum afferri solet ductum ex bono Latrone, qui malè vixit, bene mortuus est. Quod confirmari potest ex Augustino libro de prædestinatione contra Pelagianos, vbi: *Nouimus*, inquit, *aliquos à iuuentute sua in omni scelere & damnabilitate vsque ad ætatem decrepitam perduraſſe; & repente cælitus inspirata salute raptos esse ad Regna cælorum. Nouimus etiam aliquos perfectos ex labore multorum annorum, prolapsos in vltimo vitæ suæ, & periisse.* Respondeo hæc nihil contra nos facere, qui dicimus tantũ contingere hoc in pauciſſimis. Immo argumentum hoc à bono Latrone ductum, potest contra aduersarios multipliciter retorqueri. Quod paulò fusiùs prosequar; quia in hoc exemplo fundantur, qui malè viuentes bonam mortem præsumunt. Retorqueo primò. Si bonus Latro

Latro traductus est in fine vitæ à reprobis ad electos, tunc temporis Iudas traductus est circa finem vitæ ab electis ad reprobos: &, ut egregiè Theophil. Raynaudus duplici libello adnotavit, *duplex facta est metamorphosis*, nempe *latronis in Apostolum*, & *Apostoli in latronem.* In illo *pessimæ vitæ optimus exitus*: in hoc *optimæ vitæ exitus pessimus.* Unde fit, ut si aliqui qui malè vixerint, conversi in morte augent numerum electorum; aliqui etiam, qui existimati sunt bonæ vitæ, perversi in morte auxerint numerum reproborum. *Raynaudus.*

Respondeo secundò, quia pœnitentia latronis, si comparetur ad pœnitentiam adultorum fidelium qui convertuntur in morte, non fuit pœnitentia sera. Quippe, cum versatus esset in sylvis, credibile est ad eum non hactenus perveniſſe notitiam Christi, nisi valde confusam. Et sic *latro*, vt notat Gregorius 18. moral. cap. 23. *subitare-pletus gratia fidem accepit in cruce.* Quamobrem, cum primò vocatus est ad fidem per notitiam Christi, non distulit assensum; sed illico præstitit, ac pœnitentiam egit: ac proinde pœnitentia latronis, post Christi notitiam, festina fuit, non sera. Quod adnotans Eusebius Emissenus homil. de bono latrone: *Ille*, inquit, *nec salutis tempora, nec remedia status sui in momenta ultima, infelici fraude, posuit: nec redemptionis suæ spem in desperationis novissimum recensuit: nec religionem antè, nec Christum scivit. Quod si scivisset, fuisset forsitan inter Apostolos non postremus in numero, qui prior factus est in regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad consequendam fidem non fuit extrema hora illa, sed prima.* Idem testatur Ambrosius in Luc. 23. ubi: *Citò*, inquit, *ignoscit Dominus: quia citò ille convertitur.* Non possunt igitur ex hoc latronis exemplo concipere fiduciam pœnitendi in morte adulti fideles: de quibus est præsens quæstio. Quia hi, post acceptum lumen fidei, differunt veram pœnitentiam per annos: quam bonus hic latro non distulit per horam. *Gregorius.* *Emissen.* *Ambrosius.*

Retorqueo tertiò: quia pœnitentia latronis fuit quidem parva extensivè, sed fuit maxima intensivè, cum summis actibus fidei, & charitatis: quos ratione circumstantiarum eximios, impossibile est nonnisi in pauciſſimis, immo nec in pauciſſimis inveniri.

Primò quoad actum fidei latro in Christum credidit in medio populi non credentis, & contradicentis: ac dum cæteri omnes saltem dubitarent in fide, ipse fidem ab Apostolis derelictam arripuit: ac solus in tota Ecclesia fidelis repertus est cum Deipara. Quippe, ut notat Augustinus serm. de SS. Casto & Æmilio, *tunc in Christum latro credidit, quando fides Apostolica trepidavit.* Idem serm. 140. de tempore: *Inter signa*, inquit, *atque virtutes atteſtantibus miraculis, & acclamantibus, aliquoties in discipulis mens iam robusta titubavit. Et nunc Christi suppliciis quodammodo contradicentibus in latrone fides novella convaluit.* Drogo etiam de sacram. Domin. pass. *Augustinus.* Latro in cruce fidevicit Apostolos.

dicit Petrum, & latronem permutasse vices. Petrum quidem fuisse latronem in domo Caïphæ : latronem verò fuisse Petrum in cruce. Idest, latronem evasisse Apostolum in cruce, dum Apostolus se gessit ut latro in domo Caïphæ.

Mirabilior fides, quòd non ex miraculis, sive eclipsi, sive terræmotu ; (quæ, ut notat S. Leo serm. 2. de passione, consequuta sunt post confessionem latronis) sed Christum, & Regem, & Deum agnovit in solo crucis opprobrio. Ideo Chrysostomus homil. de cruce, & latrone eum alloquens. *Dic mihi*, inquit, *regnum commemorans, quid regium vides ? clavi, & crux est, quod aspicis. Sed ipsa crux*, inquit, *regnum est. Et ideo eum regem nomino, quia crucifixum inspicio.* Ambrosius etiam serm. 45. *Illud*, inquit, *ad gratiam ejus* (latronis) *maioris est meriti, quòd Christum in Cruce credidit : & passio, quæ aliis scandalum fecit, illi ad fidem profecit.*

Chrysostom.

Ambros.

Divinitatem etiam Christi ab eodem agnitam, & creditam testatur Chrysostomus homil. cit. dum : *Videt*, inquit, *in tormentis, & tanquam in gloria adorat. Videt in cruce, & rogat quasi in cœlis sedentem.* Et infrà : *Iudæi crucifixerunt, qui noverunt legem, & prophetas. Tu verò Deum vocas condemnatum, & crucifixum adoras.* Augustinus etiam dicit à latrone cognitam esse Christi divinitatem. Nam serm. cit. de SS. Casto & Æmilio : *Credidit*, inquit, *in cruce pendentem, & consortem crucis agnovit Deum.* Idem testatur sanctus Maximus homil. 1. de Latrone : *Fidelis*, inquit, *latro non credidit moriturum, quem annunciat regnaturum: Non putavit subdendum inferis, quem dominaturum confitetur in cœlo. Cernat licet ejus hiantia vulnera, spectet eius sanguinem profluentem ; Deum tamen credit.* Et Anastasius Sinaïta lib. 5. hexa. de S. Latrone loquens, *volucris*, inquit, *cœli, magna Aquila per aërem volans in Paradisum.* Quibus verbis alludere videtur ad Ioannem Apostolum, ex celeri agnitione divinitatis in Christo, assimilatus Aquilæ volanti.

Maximus.

Clarior etiam fuit Latronis de Christi divinitate confessio, quàm Petri Apostolorum Principis, dum dixit, *Tu es Christus Filius Dei vivi:* Quippe non viderat Latro, ut viderat Petrus, Christum transfiguratum in monte, quando *resplenduit facies eius sicut Sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix*, Matth. 17. sed videbat *cui non erat aspectus*, ex Is. 53. & videbat spoliatum & nudum. Non audierat *Moysen & Eliam cum eo loquentes* ; sed audiebat Pontifices & Pharisæos eum subsannantes. Non intonuerat in ejus auribus vox Patris, *Hic est Filius meus dilectus* ; circumsonabant undique contumeliæ & opprobria prætereuntium. Prodiderat Christum Iudas : abnegaverat Petrus : dereliquerant cæteri. Silebat Magdalena : silebant Mariæ reliquæ : silebat Ioannes : silebat Deipara. Solus Latro testimonium Christo reddidit, & quod corde conceperat, statim ore

deprompsit, *Domine, memento mei*, &c. Hanc fidem animaduertens Chrysostomus hom. 2. in Psal. 50. *Quid contulit*, inquit, *Deus saluti ipsius? remissionem peccatorum. Quid contulit latro? confessionis fidem. Qualem? grandem, excelsam nimis, cælum tangentem. Iudæi viderant mortuos suscitatos, leprosos mundatos, dæmones fugatos, mare infrænatum, piscem stateram portantem, stellam rutilantem, Magos concurrentes, Herodem turbatum. Hæc omnia videntes crucifixerunt Christum. Latro verò nihil horum videns considerabat sputis repletum, crucifixum, aceto potatum & felle: cùm hæc omnia videret, non est scandalizatus; sed Regem cælorum confessus est. Vides quod non sine causa misericordiam consequutus est, quia & ipse fidem intulit ad salutem suam.* Denique, si eximiæ confessionis fidei factæ à Petro præmium fuit primatus in Ecclesia militante, eximiæ confessionis fidei factæ à Latrone præmium fuit quidam primatus in Ecclesia triumphante. Ideo sanctus Paulinus epist. 11. ad Seuerum, *Latro*, inquit, *longas Sanctorum vias de momento fidei & confessionis anticipans, meritò ante ipsos Apostolos & Martyres Regnum priùs inuasit, & primus cæli prædo diripuit.* Hæc de eximia fide Latronis.

Chrysostom.

Latro per eximiam fidem primatum habuit in Ecclesia triumphante.

Secundò, intulit Latro actum etiam eximium spei, sperans salutem ab eo qui, vt exprobrant *Principes Sacerdotum, & seniores, alios saluos fecerat: seipsum non poterat saluum facere*, Matth. 27. Et, vt notat Bernardus tract. de Passione Domin. cap. 9. *ab eo fiducialiter petit auxilium, qui indigere videbatur auxilio.* Sperauit æternam vitam ab eo, quem tanquam socium criminum videbat socium supplicii. Sperauit veniam ab eo consequuturum etiam blasphemiarum & conuiciorum, quæ paulò antè in eum ipse iactauerat: *cum duo latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, Matth. 27. quod de vtroque latrone, quidquid aliqui aliter sentiant, Patres intelligunt. Ideo Augustinus serm. 6. de diuersis, spem Latronis spei Discipulorum longè antepositi. Arnoldus Carnotensis tract. de secundo Christi verbo, eum appellat *spei exemplum: qui dum ingemit, subitò quod quærit, inuenit: quod petit, accipit: & illico audit, Hodie mecum eris in Paradiso.* Denique sperauit, vt idem notat, *illo temporis articulo, quo fere ab ipsis Apostolis salus desperabatur.*

Bernard.

Arn. Carn.

Tertiò, edidit Latro actum eximium charitatis proximi, inter angores mortis, quasi magis de socii spirituali salute sollicitus, quàm de sua, priùs peccatum illius reprehendit, quàm precatur pro suo: *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es?* &c. Præceptum charitatis de correctione proximi, quod pauci inter Christianos seruant in vita, ipse seruauit in morte, inter extremos Crucis, cui ipse quoque clauis affixus erat, dolores: &, vt notat Chrysostomus homilia 1. de Cruce & Latrone, *clauorum confixione constrictus suas necessitates prætermittens, aliorum vtilitatem cogitabat; & sanis*

Charitatis actus erga proximum à S. Latrone exhibitus.

Chrysost.

persuasionibus alium inuitabat ad vitam. Idem animaduertens Gregorius lib. 18. Moral. cap. 23. *Charitatem*, inquit, *Latro in morte sua viuaciter tenuit, qui fratrem, & collatronem pro simili scelere morientem, & de iniquitate sua arguit; & ei vitam, quam non cognouerat, prædicauit.* Certè eximia fuit sancti Latronis charitas erga proximos, quod Christi redemptionem & regnũ, in ipso mortis agone, Iudæis ac Gentibus annunciauit primus, Christi morientis preco, sicut Baptista nascentis. Ideo ab Arnoldo tract. de septem verbis: dicitur Latro *collateralis Christi, & præcursor eius victoriæ.*

Gregorius.

Charitatis actus erga Christum à S. Latrone exhibitus.

XXXIV. Quartò, edidit Latro actum eximium charitatis erga Christum, in quibusdam maiorem charitate Apostolica. Nam Apostoli Christum sequuti sunt ab eo exteriùs vocati: Latro non vocatus à Christo, ei se vltro exhibuit in discipulum. Apostoli Christum sequuti sunt in prospera, vt ita dicam, fortuna; cùm coruscaret miraculis, atque vt Messias & Rex acclamaretur à turbis: Latro Christi se professus est assecla (quod proprium amoris est) inter aduersa; cùm ille penderet è trabe, morti proximus, despectus à turbis, desertus à suis. In hoc statu eius suscepit patrocinium, quem non nouerat, contra sodalem, cum quo vixerat. Crescit hæc charitas ex circumstantia status ipsiusmet Latronis. Quippe, vt notat Arnoldus de secundo Christi verbo, *Hora mortis erat iamque confitentis anima faucibus hærebat, iamque linguam eius alligabat angustia*; cum, vt notat sanctus Leo ser. 4. de Passione, *inter luctantis animæ dura tormenta hærens patibulo transiuit ad Christum.* Tunc inter mortis angustias immemor sui, memor Christi, eum conuiciis à collega proscindi non tulit: & respondens (vtique non pro se, sed pro Christo) non requisitus pro illo Apologiam suscepit: atque extremum halitum, qui vix liberè meabat ad vitam, totum in Christi defensionem effudit. Quod expendens Gregorius lib. 18. Moral. cap. 23. *In cruce*, inquit, *claui manus eius pedesque ligauerunt, nihilque in eo à pœnis liberum, nisi cor & lingua, remanserant.* [*Inspirante Deo, totum illi dedit quod in se liberum inuenit; vt iuxta id, quod scriptum est, corde crederet ad iustitiam, ore confiteretur ad salutem.*

Arnold.

S. Leo.

Gregor.

Elucet magis hæc charitas ex eo quod non solùm contra collegam, sed etiam contra Principes Sacerdotum, contra Scribas & Pharisæos, & contra vniuersum populum Iudæorum Christi causam suscepit: tum quia tacitè Iudæos reliquos reprehendit, dum dixit, *Neque tu times Deum?* Nam, vt benè aduertit Raynaudus in libello de sancto Latrone, cap. 8. particula (*neque*) est conjunctiua, & reddit hunc sensum: Etiam tu cum his non times Deum? & sic indirectè reprehendit Iudæos omnes, tanquam in Christi improperiis ostenderent non timere se Deum: Tum quia, silentibus Deipara & Ioanne, contradicentibus qui astabant cæteris, ipse zelo honoris Christi inardes-

cens, eius innocentiam declarauit: & quem paulò antè in concilio Pontifices & Sacerdotes clamauerant reum mortis, audet ipse coram iisdem in cruce pendens, tanquam in tribunali sedens, pronunciare innocentem: *Hic verò nihil mali fecit*: &, vt notat Chrysostomus in oratione de cœco, *qui fuerat in iudicio reus, egit in cruce iudicem & magistrum.* Fortitudinem in hoc Martyrum anteuertens; qui coram Christi persequutoribus vltro se Christi asseclam, idest Christianum esse, professus est. Neque iudicium astantium veritus, qui eum habituri erant vt insanum; neque cruciatuum accessiones, quas à Iudæorum & carnificum turba meritò poterat formidare.

Ideo Patres eum tanquam martyrem prædicant, vt mox subiiciam. Et Arnoldus Abbas tract. de septem verbis, propter hanc eximiam charitatem dicit, *ibi latronem locatum, vnde Lucifer corruit.* Nec desunt qui dicant sancto Latroni datum esse in cœlo singularem quemdam, & diuersi ordinis locum, tanquam Christi aduocato. Quippe multos Christus Apostolos habuit, plures Discipulos, plurimos Martyres, ac sui nominis testes: cùm verò reus apud Iudæos causam dixit, aduocatum non habuit nisi vnicum, nempe sanctum Latronem, qui vnus Christum in cruce contra omnes omnium aduersariorum insultus ausus defendere, meritò à sancto Chrysostomo homilia de cœco nato, dicitur *Christi aduocatus.* Hæc de charitate erga Christum.

Latroni peculiarem in cœlo locum datum esse, opinio aliquorum.

Quintò, attulit Latro iuxta mensuram charitatis, qua ardebat, actum contritionis eximium. Ideo dicitur ab Arnoldo tract. de septem verbis; *pœnitentiæ regula, confessionis forma.* Et magis de peccato dolens quàm de morte, non petit à Christo vitam, sed peccatorum remissionem. Quod aduertens sanctus Maximus hom. 1. de Latrone: *Tam repente*, inquit, *mutatus est, vt præsentem pœnam despiceret, ac de futura tantùm veniam deprecaretur. Reminiscens enim scelerum suorum, & pœnitudinem gerens, plus incipit dolere quod sperat, quàm sentire quod patitur.* Tum etiam, quia doluit plus de culpa quàm de pœna: petens pœnas luere vsque ad diem iudicii, & ad secundum Christi aduentum. Quod significasse videntur iis verbis, *memento mei dum veneris in regnum tuum.* Quæ est animaduersio Augustini ser. 27. ex 40. nouiss. qui, *Crucifixum*, inquit, *videbat, & regnaturum sperabat. Memento, dixit, mei non modò, sed dum veneris in regnum tuum. Multa, inquit, mala feci: sufficiunt tormenta mea, vsque ad aduentum tuum modò torqueor: tunc mihi parce, cùm veneris.* Idem serm. 120. de tempore respondens ex persona Christi, *Quid me*, inquit, *exorandum putas, vt in die iudicii meminerim tui? Quid me ad præsentem retributionem paratum, in tempora tam longa dissimulas?*

Contritionis actus à S. Latrone exhibitus. *Maximus.* *Augustin.*

Hunc dolorem comitata est confessio peccatorum publica: *Nos*

S.Latronis in cruce publica confessio. *Chrysostom. Arnold.*

quidem iustè, nam digna factis recipimus. Quæ verba expendens Chrysostomus hom. 1. de cruce, & latr. *Vidisti*, inquit, *plenam confessionem : vidisti latronem in cruce suis renunciasse peccatis ? Nullus impulit : nullus necessitate constrinxit : sed ipse sponte sua peccata publicabat dicens : Nos quidem iustè, &c.* Arnoldus etiam loco cit. *Sibi*, inquit, *non parcit : accusator est sui : se ipsum, contra se sententia prolata, persequitur.*

S.Latronis pro peccatis satisfactio.

Sequuta etiam est satisfactio, primo quia sodalem, quem antea verbo, exemplo, incitauerat ad peccandum, tunè verbo & exemplo inuitauit ad pœnitentiam. Secundò, quia cum ipse paulò antè vnà cum socio improperasset Christo ; quippe *latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, Matth. 27. postea coram omnibus cecinit palinodiam, & publicè priùs dicta retractauit, testans Christi innocentiam, potentiam, & regnum. Tertiò, quia patienter pertulit cruciatus, & mortem pro peccatis : quod expressit dicens, *& nos quidem iustè*, &c. Ex quo ad summum colligitur eos qui, rei criminum illatam manu carnificis mortem perferunt patienter, etiamsi malè vixerunt : plerumque bene mori : præsertim Neapoli aliisque in vrbibus, vbi pii doctique homines, quos confortatores appellant, egregiam in hoc nauant operam aliquot diebus ante supplicium. Cedit his mors violenta perlata patienter in pœnam. Sed hi respectiuè ad alios compertum est, quàm sint pauci. Nam vt notat Chrysostomus hom. 2. in Psalm. 50. *Vides quod latro non sine causa misericordiam consequutus est : quia fidem intulit ad salutem*, immo simul cum fide actus eximios, charitatis, contritionis. Et, vt notat Arnoldus loco cit. multa simul officia pietatis complectitur, *Orat, adorat, credit, timet, compungitur, confitetur, prædicat, amat, confidit:* idque cum iis extraordinariis circumstantiis, quas impossibile est moraliter in aliis reperiri. Et sic ab eo non potest trahi argumentum ad alios, qui, malè vixerint: immo potest trahi argumentum oppositum, cum vnus, qui malè vixit, non reperiatur saluatus nisi per excessiuos actus fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ.

Chrysost.

S.Latro verè, & rigorosè martyr.

Retorqueo tertiò, quia multò minùs potest argumentum trahi à latrone si verum est quod plures affirmant, sanctum Latronem non solùm martyrium subiisse patientiæ, sed etiam propriè, & rigorosè acceptum ; quod bonum obtingit pauciſſimis. Certum autem in hoc est, quia ex parte ipsius fuerit præparatio animi ad subeundos maiores cruciatus pro Christo, quando coram Iudæis Christi asseclam se esse professus est. Quæ voluntas moriendi pro Christo, & præterea causa mortis illatæ aliquo modo propter Christum requiritur ad martyrium. Aliqui dicunt, posita ex parte ipsius hac voluntate, Deum ex priuilegio suppleuisse defectum causæ : sicut è conuerso in martyrio Sanctorum Innocentium, posita causa occidendi eos propter Chri-

ſtum, Deus ex privilegio ſupplevit defectum voluntatis. Carthagena verò lib. 11. de Chriſto hom. 3. Fernandus in cap 40. verſ. 10. & alii, volunt fuiſſe martyrem propter mortem illatam ex novo titulo, & motivo, nempe propter odium in eum ex confeſſione Chriſti. Nam cum Iudæi Chriſtum vituperarent, & titulum Regis è cruce optarent expungi; contra verò latro Chriſtum publicè declararet innocentem, adoraret ut regem: certum omnino videtur Principes Sacerdotum cœteroſque, qui aſtabant, Chriſti hoſtes contra ſanctum Latronem concepiſſe odium non vulgare, ac ex hoc odio crura fregiſſe.

Denique probabile omnino eſt, non ſolùm adversùs eum deſæviſſe conviciis, ſed etiam demandata in utroque latrone crurium fractione, carnifices inſtigaſſe, ut in eum ſpecialiter deſævirent: cui ex recentiſſima cauſa ſpecialiter erant infenſi. Certum planè videtur priùs bono latroni crura facta eſſe, quàm malo, ut colligitur ex iis verbis Ioan. *Et primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo.* Primus non poteſt intelligi niſi is, qui erat à dextris: cum Chriſtus eſſet medius. Locus autem dexter etiam tunc erat honoratior, ut patet ex Pſalm. 109. *Sede à dextris meis.*

Bonum autem Latronem crucifixum eſſe à dextris tum habetur ex vetuſta traditione, tum ratio ſuadet: quia Chriſto Iudice medio inter utroſque, ipſe figura erat prædeſtinatorum, qui locandi ſunt à dextris; ſicut malus latro reproborum, qui locandi ſunt à ſiniſtris, ex Matth. 25. *Numquid igitur*, ut in conſimili materia dixit Gregorius hom. 22. in Evang. *tam ſubtilis Evangeliſtæ deſcripto myſterio vacare credenda eſt?* dum Scriptura ſignanter dicit priùs facta eſſe crura ſancti Latronis, quàm alterius. Certè hoc otiosè non dicitur. Aliud autem in hoc myſterio latere non poteſt, quàm anticipationem illam vulneris, ut res ipſa declarat, ortam fuiſſe ex rabie Iudæorum priùs in eum deſævientium, qui in confeſſione Chriſti crucifixi fuerat primus, ut affirmant innominati apud Cornelium in Luc. 23. verſ. 42. & expreſsè Bonacina diſp. 2. de Sacr. q. 1. p. 2.

Quod ſi differentia temporis refunditur in ſubſtantiam actus, ut in materia de Incarnatione communiter docent Theologi; utique anticipatio mortis refunditur in ſubſtantiam mortis: ac proinde mors ipſa illata eſt latroni in odium confeſſionis fidei, quam paulò ante Chriſto exhibuerat: & ſic, fuit verè & propriè martyr, ut mirum non ſit paſſim à Patribus Martyrem prædicari. Cyprianus ſerm. de Paſſione Chriſti: *In cruce*, inquit, *Latro confitens non tantùm indulgentiam meruit; ſed Chriſti familiaris effectus, præmiſſus in Paradiſum, & factus eſt particeps regni per confeſſionem factus collega martyrii.* Illud *(per)* denotat cauſalitatem, & omnino ſignificat confeſſionem Chriſti fuiſſe illi cauſam martyrii. Idem Cyprianus, ſive Lucius Papa, aut alius Author, ſerm. de oper. Chriſti Card. ſerm. de cœna Domini

Cyprianus. XXXV.

Latrocinium, inquit, *damnationem meruerat & supplicium: sed cor contritum pœnam mutauit in martyrium, & sanguinem in baptismum.* Apertè testatur habuisse baptismum sanguinis, quod non est nisi martyrium. Ideo idem Cyprianus epist. 73. *sanguine*, inquit, *sic baptizatos, & passione sanctificatos consummari declarat idem Dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem, & confitentem, loquitur & pollicetur quod secum futurus sit in Paradiso.* Hieronymus epist. 13. ad Paulinum, *Latro*, inquit, *crucem mutat Paradiso; & facit homicidii pœnam martyrium.* Quod optimè quadrat in ea quæ diximus; quia ipsamet fractio crurium, quæ fuit *pœna homicidii*; dum in ea facta est quædam anticipatio in odium fidei, *facta est homicidii pœna martyrium.* Augustinus sermone 12. de tempore: *Latro*, inquit, *nondum vocatus, & iam electus: nondum famulus, & iam amicus, nondum discipulus, & iam magister. Ex latrone confessor: quia etsi pœna cœperat in latrone, nouo genere consummatur à martyre.* Nihil clarius. Idem libro de anima, & eius origine, cap. 6. *Latro*, inquit, *tantùm valuit confessus Dominum crucifixum, quantùm si fuisset pro Domino crucifixus.* Hoc verificari non posset, nisi in illo confessio Christi causa fuisset, vt pateretur in cruce pro Christo. Hilarius lib. 10. de Trinitate, de Latrone loquens: *Martyri*, inquit, *suo Paradisum promittens.* Denique Basilius Seluc. orat. 24. *Martyrium*, inquit, *perferenti regnum concedit: Hodie mecum eris*, &c. Eucherius hom. de Latrone, *Quem*, inquit, *culpa perdiderat, cruciatus absoluit, damnatio consecrauit.* Et infra vsurpat verba suprà citata ex Augustino, *& si pœna cœperat in latrone, nouo genere consummatur in martyre.* Drogo de Passione Dom. sacr. *O beatissimum*, inquit, *latronem, iam non latronem, sed martyrem.* Alcimus lib. de sent. Dei, de Latrone loquens ait, *Martyrium de morte rapit.* Anselmus alloquio cœlesti 30. de eodem agens ait: *Venerabilis ille confessor, & gloriosus martyr.* Gaufridus Vindoc. serm. 10. *Latro confessor ex latrone efficitur, & martyr ex confessione.*

Hieronym. *Augustinus.* *Hilarius.* *Eucherius.* *Drogo.* *Alcimus.* *Anselmus.* *Gaufridus.*

Hi Patres, non est vt explicentur de martyrio impropriè accepto, cùm è supradictis possint explicari propriè iuxta regulã traditam ab Augustino de explicatione Scripturæ lib. 3. de doctrina Christi c. 10. Idcirco Binettus libro de bono Latrone, eum appellat *Archangelum Paradisi, Christi primogenitum, mundi totius Prædicatorem, Apostolum, & Martyrem.* Quamuis in hoc de martyrio propriè dicto contradicat Theophilus Raynaudus loco citato cap. 12. Vterque tamen Raynaudus & Binettus in libellis de sãcto Latrone editis doctissimos calamos summis eiusdem præconiis decorarunt. Si igitur sanctus Latro verè martyr Christi fuit, ii, qui malè vixerunt, in fine euadant martyres, & eos adnumerabit inter electos. Sed quia hoc vix, aut ne vix quidem reperitur in paucis; ideo ab exemplo Latronis nullum

potest

potest sumi argumentum de bona morte eorum, qui malè vixerint, immo potiùs potest ab eo sumi argumentum contrarium, non contingere eos, qui malè vixerint, salvari nisi culpas diluant martyrio.

Retorqueo denique ultimò hoc argumentum, quia ut notat Arnoldus loc.cit. considerare necesse est quem locum, quem modum, quod tempus hæc causa habuerit: quia factum est hoc privilegium ex præsentiali assistentia Deiparæ & Christi: Deiparæ, quæ astabat media inter sanctum Latronem & Christum, de quo tractat. præced. num. 266. Christi verò mundum in eo temporis articulo redimentis. Dum, ut notat Bernardus tract. in illud Ego sum vitis vera cap. 9. *in cruce tanquam in sede sponsali, die nuptiali sederet,* Quod si, quando Christus in cruce pendebat, & ex eo largissimè rivi sanguinis defluebant, quando opus redemptionis fervebat, quando Crucifixus per tot ora quot vulnera è crucis cathedra pœnitentiam prædicabat, è duobus latronibus consortibus non utrumque convertit, sed unum; quid sperandum est de iis, qui postquam malè vixerint, moriuntur non cum Christo in cruce, sed inter amicos decumbentes in culcitra? Certè potuit Christus latronem utrumque convertere: sed voluit in hoc summam difficultatem ostendere conversionis eorum, qui malè vixerunt. Et ideo, juxta evulgatum axioma: *Vnum convertit, ne desperares: alterum reliquit, ne præsumeres.*

CAPVT VLTIMVM.

Diluuntur argumenta pro maiore numero electorum.

EX dictis facile est eruere responsiones ad fundamenta contrariæ sententiæ. XXXVI.

Ad primum è scripturis, in quibus magnificatur multitudo electorum, respondeo cum Augustino lib. 3. contra Cresconium cap. 66. vbi: *Solue*, inquit, *quæstionem. Cum Christus dicat, quàm arcta est via, quæ ducit ad vitam, pauci sunt qui inueniunt eam. Et idem ipse alibi dicat, multi ab Oriente, &c. recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Quomodo in Apocalypsi demonstratur eorum multitudo, quam numerare nemo poterat ex omni gente, & tribu, & lingua habentium stolas albas palmasque ferentium? quomodo iidem sunt pauci, qui multi? neque enim vnum horum verum est, alterum falsum: cum sit vtrumque diuina veritate prolatum. Nisi quia iidem ipsi boni, verique Christiani, qui per se ipsos multi sunt; in comparatione malorum: falsorumque, iidem pauci sunt.* Ex Augustino igitur prædestinati absolutè multi sunt, respectiuè ad reprobos pauci sunt. Hæc de beatissima illa turba, sine turba: in qua quilibet è turba est *electus ex millibus.*

Respondetur ad scripturas Pro numero prædestinatorum allatas.

Ad locum allatum è Psal. 138. respondeo ibi non loqui Prophetam de solis electis, sed de quibuscumque fidelibus. Cum enim dicit, *nimis honorati sunt amici tui Deus : nimis confortatus est principatus eorum*, loquitur de Apostolis. Quamobrem Augustinus, *nimis*, inquit, *confortatus est principatus eorum : facti sunt Apostoli : facti duces Ecclesiæ : facti arietes ducentes greges.* Ac proinde id quod sequitur *dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*, non potest de iis intelligi, qui non excesserunt numerum duodenarium ; sed de iis qui conuersi ad fidem per ipsos ad eorum principatū pertinent. Ideo ea verba explicans idem Augustinus, *Per illos*, inquit, *nata est tanta multitudo, quæ iam sicut arena numerari non potest.* Hic ergo locus non est ad rem : cum ibi non sit sermo de solis electis, sed de quibuscumque fidelibus.

Augustinus. Ad locum allatum è Psal. 39. respondeo ex eo loco colligi oppositum, iuxta glossam Augustini : Qui ea verba explicans, *multiplicati sunt super numerum* : vult multiplicatos esse reprobos super numerum electorum. *Est*, inquit, *numerus : sunt super numerum. Numerus certus est pertinens ad illam cœlestem Hierusalem. Nouit Dominus, qui sunt eius, Christianos fideles, præcepta seruantes, &c. ipsi ad numerum pertinent : sed numquid soli sunt ? (alii) & super numerum. Nam etsi modo, pauci sunt, pauci in comparatione multitudinis malarum frequentiarum. Quantis turbis implentur Ecclesiæ, pressius se vrgent, prope se suffocant multitudine. Rursus ab iis ipsis, si mimus est, curritur ad amphitheatrum : isti sunt super numerum.* Ex Augustino igitur reprobi multiplicantur super numerum electorum, quos dicit esse paucos respectu multitudinis turbarum, quæ implent Ecclesias. Vnde patet apertè loqui de paucitate respectiuè ad multitudinem fidelium. Obseruandum est etiam dici ab Augustino electos pertinere ad certum numerum, reprobos autem multiplicari super numerum : quia illa multiplicatio esset numerus sine numero. Ideo dicitur Eccles. 1. *Stultorum infinitus est numerus.* Stulti autem dicuntur reprobi : cum nulla excogitari possit maior stultitia, quàm æterna pro temporalibus perdere. Horum infinitus est numerus : cum contrà de electis dicitur Sap. 5. *computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* Computatio fit intra certum numerum, & sors inter multos obtingit paucis.

Ad primam confirmationem è Scripturis, ad locum ex Matth. 25. vbi vnus tantùm repertus est non habens vestem nuptialem, respondeo cum Augustino in Psal. 61. vbi mouens eandem difficultatem, *Impletæ*, inquit, *sunt nuptiæ discumbentium, proiectus est inde solus vnus : & dicis, Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Cur non potiùs, Omnes vocati, multi electi, vnus proiectus ? Si diceret, Multi sunt vocati, & plures electi : pauci verò reprobi ; in paucis fortè verisi-*

milius intelligeremus unum illum. Nunc verò dicit, quod unus projectus est : & subdit, Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Qui sunt electi, nisi qui remanserunt? Projecto uno, electi remanserunt. Quomodo projecto uno de multis, pauci electi ; nisi quia in illo uno multi? Ex contextu igitur, & ex consequentia quam Christus infert, apparet in illo uno includi multos, ut notatum est etiam supra. Plus igitur reperti sunt ibi non habentes vestem nuptialem, quam habentes. Sed illi plures figurati sunt in uno illo, ut ibidem notat Augustinus, tanquam in suo corpore (reproborum) quod constat ex multis, respectu quorum Christus ibi pronunciat paucos esse electos. Et sic, ille locus nostræ sententiæ favet, non oppositæ. Idem dicendum de parabola decem virginum, de qua suprà num. 7. Ad secundam confirmationem ex collecta Ecclesiæ, respondeo Ecclesiam conformari divino affectui, secundùm quem *Deus vult omnes homines salvos fieri*, 1. ad Tim. 1. quantùm de se est. Et sic, Ecclesia petit quantùm de se fideles omnes prædestinari. Ex hoc autem affectu Ecclesiæ non bene infertur ad effectum.

Respondetur ad Patrum auctoritates pro numero prædestinatorum,

Ad secundum argumentum principale petitum ex Patribus, & primò ad testimonium Damasceni, respondeo ex eo non probari intentum, quia dicit tantùm *eos salvari, qui non habuerunt virtutes perfectas ob desidiam, negligentiam, fragilitatem*, &c. hosque post mortem juvari suffragiis fidelium. Quod non solùm non est contra nos, sed pro nobis : quia non dicit salvari eos qui vitiis indulserunt, sed eos qui virtutes perfectas non habuerunt : addendo quod voluerint, sed ob desidiam nequiverint. Qui vivendi modus restringitur ad eos qui ad perfectionem aspirant, sed negligenter. Addi potest eum sermonem à Bellarmino in libro de Script. Eccl. recenseri inter suspectos, tanquam suppositicium : utpote in quo fiat mentio de anima Trajani precibus Gregorii ab inferis revocati.

XXXVII. Respondetur ad eos, qui dicunt prædestinatorũ numerum æquari Angelis reprobis.

Ad testimonium eorum, qui videntur docere tot esse prædestinatos ex omnibus, quot ex Angelis ceciderunt? respondeo primò, hoc argumento probari plusquam intenditur. Nam si Angelorum multitudo, juxta id quod dicitur à sancto Thoma, incomparabiliter superat numerum non solùm omnium hominum, sed etiam omnium entium materialium ; utique tertia pars Angelorum excedet numerum omnium hominum : & sic, ad supplendam hanc tertiam partem non sufficeret universitas hominum. Respondeo secundò in eo argumento supponi aliquid falsum, aliquid dubium. Falsum est dici à Bernardo tantum esse numerum electorum, quot ex Angelis ceciderunt. Hæc enim sunt ejus verba loco citato, *Tolle hanc (Ecclesiam) & ipsa sanctorum Angelorum pro imperfectione sui numeri gloria claudicabit : nec Dei Civitas de sui integritate gaudebit.* Hæc Bernardus. Neque aliquid plus reperio in Autore de diligendo Deo. Dicitur autem de-

fectus Angelorum qui ceciderunt, suppleri per homines: ad quod non requiritur, vt adamussim totidem homines subrogentur, quot Angeli perierunt. Sicut nemo dixit id asseri in eo loco Pauli 1. ad Ephesios, *instaurare quæ in cælis*, &c. quod ponitur genericè, & indefinite asserendo tantùm ruinam Angelorum damnatorum instaurandam erectione hominum beatorum: ex quo potiùs colligi debet paucitas electorum ex hominibus. Quippe insistendo eidem Bernardo serm. 2. de verbis Isaiæ, *Qualem necesse est hominem inueniri, qui repudiati locum Angeli sortiatur?* Præterea dubium est, an tertia Angelorum pars ceciderit: tum quia tertia pars, iuxta multos Interpretes, non accipitur præcisè, sed pro magna parte: tum quia illud Apoc. 12. de tertia parte stellarum tracta per caudam Draconis, explicatur à plerisque de sanctis viris tempore Antichristi trahendis ad peccatum, vt volunt Ribera, Viegas, Cornelius, & alii cum Gregorio lib. 32. Moral. cap. 14. & sic non sumus in casu. Eodem modo respondeo ad testimonia eorum, qui videntur docere plures homines esse beandos, quàm sint Angeli qui ceciderunt. Nã hi Authores supponunt nesciri numerum Angelorum qui ceciderunt: & sic non loquuntur assertivè, sed dubitatiuè de numero hominum beandorum supra numerum Angelorum damnatorum. Ita Augustinus loco citato in Enchir. *Ciuitas*, inquit, *Dei nulla ciuium suorum numero fraudabitur: sed vberiore copia fortasse regnabit. Neque enim numero, aut sanctorum hominum, aut immundorum dæmonum nouimus.* Expresse igitur dubitat de numero dæmonum: & sic dubitat excedatur necne à numero hominum beandorum.

Bernard.

Respondetur ad S. Gregorium, qui prædestinatos Angelis æquales fore dicit.

Ad testimonium Gregorii docentis totidem homines prædestinandos esse, quot Angeli remanserunt; Respondeo primò, vel Gregorium non sentire de multitudine Angelorum id quod postea sensit D. Thomas, nimirum excedi ab ea incomparabiliter numerum omnium entium materialium. Vel si hoc sensit, ex testimonio Gregorii colligi oppositum, nempe multò maiorem partem Angelorum esse damnatam quàm saluatam: & sic illis qui remanserunt posse coæquari numerum hominum saluandorum. Cæterùm, hoc dici non posse patet ex Matth. 18. vbi dicit Christus quæsisse ouem quæ perierat, relictis nonaginta nouem in deserto: per quas intelliguntur, iuxta communem sensum Patrum, Angeli: sicut per vnam ouem homines. Et sic, similem proportionem habent homines cum Angelis, quam habet vna ouis ad nonaginta nouem: ita vt omnes homines sint pars cèteſima totius numeri collecti ex Angelis & hominibus. Tum etiam id patet ex eo quod singulis hominibus assignantur singuli Angeli postremi chori: iique, ex communi assertione, ita dantur singuli singulis vt idem Angelus non detur pluribus. Vnde fit vt Angeli beati postremi chori, saltem adæquent omnes homines qui fuerunt, qui

sunt, qui erunt. Non possunt igitur tot esse homines beandi, quot sunt Angeli qui remanserunt: quandoquidem neque omnes homines beandi, neque soli Angeli postremi chori sunt ii, qui remanserunt; sed præter eos octo alii chori: quorum vnusquisque vt perfectione, ita & numero excedit postremum. Meliùs igitur alii præter nouem choros Angelorum, decimum chorum faciunt ex communi ordine prædestinatorum, vt insinuat Bonauentura in 2.d.9.qu.7.id illustrans antiquo Solis miraculo descendentis per decem lineas, 4. Reg.20.& parabola decem drachmarum, Luc.15. In quo ordo contrarius electorum ex hominibus videtur poni decuplo minor numero Angelorum sanctorum. Et hæc ad secundum argumentum principale petitum ex Patribus.

Ad tertium ex ratione respondeo, ex eo potiùs colligi contrarium: cùm per totam vitam recidiui magna ex parte damnentur, vt ostensum est cap.6. Ad confirmationem respondeo, negando maiorem fœminarum adultarum partem saluari. Nam, suppositâ doctrina de maiore parte adultorum reproba, quantùm hæc reprobatio decresceret in fœminis, tantùm accresceret in maribus: & sic horum non solùm maior, sed etiam maxima pars damnaretur. Quod videtur inconueniens; præsertim cùm argumenta pro fœminis non probent intentum. Nam quod in iis demitur de occasionibus extrinsecis peccandi, augetur ex intrinsecis: scilicet ex ignorantia maiore rerum diuinarum, ex mutabilitate & inconstantia animi, ex fragilitate & debilitate maiori. Aduertendum præterea est, in magnis vrbibus magnum etiam esse numerum fœminarum; quæ aut meretricium profitentur, aut lenocinium, aut incantationes & maleficia. Ex his saluatur fere nulla. In aliis verò multis peccata, non quidem maiora, sed occultiora sunt quàm in maribus; cùm iis multa peccata sint probro: in quibus mares se iactant. Sicut autem bonæ fœminæ sunt ad quendam deuotionis sensum propensiores; ita malæ sunt in suis affectibus impotentiores, effrenes ad libidinem, pertinaces in odio, perditæ in amore, fraudibus denique diaboli magis obnoxiæ hæredes illius Euæ, in quam ab illo deceptam priùs peccatum intrauit, quàm in virum. Quare sicut Eua fœmina fuit causa peccati Adæ: ac proinde radix reprobationis omnium reproborum, dependentis ab eodem peccato: ita fœminæ etiam sunt quotidie suis ornatibus, & quæsito fucis decore causa reprobationis maribus, & instrumenta diaboli. De quo plura Chrysostomus. Quare peccata multa, & illæ etiam quæ videntur piæ; negligunt. Denique si homicidia ipsæ, & furta non perpetrant; causæ sunt omnium fere rixarum, & sæpe homicidiorum inter amasios: causæ etiam furtorum, aut injustarum detentionum ad ipsarum donaria. Ex hoc autem non solùm colligitur maiorem partem fœminarum damnari comparatiuè ad eas quæ saluantur; sed etiam comparatiuè ad mares, non maiorem partem ea-

Respõdetur ad rationes pro numero prædestinatorum allatas.

XXXVIII. An fœminarum plures, saluentur, quam mares.

rum saluari, quàm marium. Et quidem Marsilius in 2.q. 13. dub. 3. affirmat parem numerum saluandorum ex viris & fœminis. Quippe iidem prædestinati post peccatum, qui fuerant antè in statu innocentiæ: in quo fuit numerus par fœminarum & marium, vt alibi dictum est. Sed hoc nititur falso fundamento, nempe eosdem prædestinari post peccatum, qui fuerant antè. Quod falsum esse ostendimus tomo 2. Theol. lib. 3 q. 15. num. 30. Ruiz verò tomo de prædestinatione, disp. 54. sect. 6. num. 4. affirmat plures fœminas prædestinatas esse, quàm mares. Alensis verò 2 p. q. 95. membr. 4 videtur in hoc propendere, vt plures prædestinati sint mares quàm fœminæ: quia sunt constantiores in bono. Quod videtur probabilius tum ex maiori similitudine sexus virilis ad Christum, tum ex maiori perfectione eiusdem sexus. Nihil autem in hoc decerni potest certi. Quod insinuat Scotus in 2. d. 20. q. 2. dum mouens hoc quæsitum, nihil in hoc decernit. Ad argumenti autem solutionem parum interest an plures fœminæ saluentur quàm viri, an è contra: modò comparatiuè ad damnandos dicatur è fidelibus minorem adultorum partem saluari. Et hæc occasione confirmationis ad tertium principale.

Respõdetur ad rationem sumptam è morientibus cum sacramentis.

Ad quartum respondeo eos, qui malè vixerint, bene mori, accidere vt in paucissimis, quemadmodum ostensum est cap. 7. Neque obstat, quod multi ex his decidant cum sacramentis: quia sæpe contingit, vt vel sacramenta suscipiantur tantùm ex quadam consuetudine, & respectu humano, ne quid patiatur existimatio. Quamobrem Politicus quidam ad extremam vnctionem accipiendam sollicitatus dixisse traditur, *vrgite me, modò id conducat familiæ.* Vel suscipiantur bona fide & ex timore gehennæ, non tamen cum dolore & proposito sufficienti. Quæ quidem bona fides sæpe excusat à nouo peccato, non tamen pertingit ad effectum sacramenti, ex defectu veri doloris: qui cũ suis requisitis difficilè habetur ab homine habituato in peccatis, vt ostensum est loco cit. Quamobrem talis confessio moribundorum sæpe neque est deformis, quia per bonam fidem excusatur à sacrilegio: neque formosa per gratiam, ex defectu materiæ primæ, quæ est supernaturalis dolor; sed erit informis, ideſt sine deformitate sacrilegii, & sine forma gratiæ: ac proinde non est sufficiens ad salutem.

XXXIX. Dæmones ad fictam pœnitentiam in morte cur concurrant.

Quod si multi ex his videntur post malam vitam bene mori; ideſt quia videntur aliqua signa doloris externi extorta à timore: latet autem defectus doloris interni non pertingentis ad dolorẽ super omnia saltem temporalia, sed stantis cum aliqua implicita voluntate; quod si abesset maius periculum, rediretur ad præteritas voluptates. Hoc est ferìò aduertendum, vt discrimen fieri possit inter mortem bonam veram, & mortem bonam putatam: quæ nihil ad salutem confert. Immo timendum potiùs, ne ad hæc signa dæmones, in iis qui malè vixerunt, concurrant. Tum vt sub illa spe salutis decipiant morien-

tem: & sic non progrediatur vlteriùs ad verum dolorem. Tum vt decipiant superstites: qui putantes multos ex iis, qui malè vixerunt, bene mori, per similem vitam sibi promittant exitum similem: & sic à sceleribus non deterreantur. Hinc etiam ortum habent multæ revelationes fictæ, quæ vulgari solent à mulierculis: quod scilicet animæ talium, vel talium, qui flagitiosè vixerunt, visæ sint in purgatorio, & interdum etiam in Paradiso. Adnituntur in hoc maximè dæmones, vt alii præsumant saltem post scelera. Et hæc pro responsione ad quartum.

Ad primam confirmationem respondeo primò, argumentum si quid probat, probare plusquam intendit. Quippe ex eo, quod bonitas Dei sit sine mensura, debet mouere efficaciter voluntatem ad communicandam se per gratiam & gloriam, non certis hominibus, sed omnibus quod est falsum. Respondeo secundò directè, hoc argumentum non militare in nostra sententia, qui ponimus in Deo voluntatem efficacem, sed conditionatam, saluandi omnes, per quos non steterit, positis mediis conuenientibus ex parte Dei, vt ostensum est tomo 2. Theol. lib. 3. vnde intulimus, quod omnes prædestinarentur à Deo, si videret omnes ex parte sua ita cooperaturos auxiliis, vt forent perducendi ad finem per media conuenientia cursui ordinario gratiæ: quibus pauci præuidentur cooperaturi. Ita vt si alii prædestinarentur, oporteret eos perduci ad finem per media, quæ intellectus diuinus iudicat in talibus circumstantiis non conuenientia. Quod est alienum ab ipsamet bonitate diuina, vt explicatum est fusè.

Ad secundam confirmationem respondeo, amplitudinem empyrei congruam esse præmio electorum, & angustias infernalis carceris pœnæ reproborum: nam ciuitas tam ampla decebat ciues tam dignos. Neque inuerisimile est id quod aliquando à viris piis audiui, vnicuique beatorum tantum spatii attribuendum esse quasi propriam sedem, ac domicilium, quantum totius terræ spatium exæquat: ita vt tantum ibi loci possideat, quantum omnia orbis Regna concluderēt. Ad hoc autem & apta est, & sufficiens empyrei immensitas: cùm in firmamento, quod est cælum empyreo inferius, quælibet stella, quæ minima eius pars videtur, longè terræ magnitudinem superet. Contrà verò carceris inferni angustiæ aptæ sunt ad pœnam. Cæterùm inferni spatium sufficiens esse ad capienda corpora damnatorum sine penetratione, patet ex iis quæ dicuntur Apoc. 14. de lacu excurrente per mille sexcenta, idest ducenta milliaria Italica: quem locum de spatio inferni explicant Ribera, Cornelius, & alii. Quod si accedat proportionaliter latitudo & profunditas, iuxta id quod dicitur Isaiæ 30. *gehenna præparata, profunda, & dilatata*; continere potest hic locus sine vlla penetratione corporum; milliones hominum innumeros. Et hæc pro responsione ad tertium.

Beatis locus in cælo tori terræ spatio æqualis assignatur.

Ad quartum principale respondeo, primò hoc argumentum, vt

XI. Respondetur ad rationem sumptam ex efficacia sanguinis Christi.

loquitur Scotus, esse *in plus*; quia efficacia sanguinis Christi adæquari debet per actum secundum, oporteret, saluari omnes: sicut sanguis ille est efficax ad salutem omnium. Sicut igitur non præiudicat illius interminatæ efficaciæ, quod non saluentur omnes in actu secundo, sed aliqui: ita neque; quod non saluentur plures, sed pauci.

Ad primam confirmationem respondeo primò nesciri numerum Angelorum beatorum: cum numerus reproborum non habeatur ex loco allato Apocal. 12. vt ostensum est supra. Respondeo secundò, dato quod plures sint Angeli electi quàm reprobi: quod videtur valde verisimile, & iuxta sensum communem Scholasticorum, adhuc non currit paritas de hominibus: tum quia breuissima fuit Angelorum via, & nullis peccatorum occasionibus obnoxia: contrà hominum diuturna sit via, & innumerabilibus siue carnis illicebris, siue dæmonum insidiis exposita. Tum quia Angeli electi sunt è statu innocentiæ, & gratiæ originalis: contrà verò homines è massa infecta peccato. Et sic mirum non est, quod cùm omnes ex vi originalis peccati excluſi à gloria, pauciores aliqui ad eam deligerentur, pluribus in massa infecta permanentibus. Quod si Adam non peccasset, non homines aliqui, sed omnes prædestinati fuissent, vt ostensum est tom. 2. Theol. lib. 3. q. 15 num. 31. & sic, in eo casu par fuisset ratio, immo maior hominum, quàm Angelorum conditio.

Ad secundam confirmationem respondeo, concessa tanta multitudine Martyrum, nihil ex ea concludi respectiue ad multitudinem reproborum; præsertim cùm non sint prædestinati extra eos, *qui* vt notat Beda, *coronas ferunt aut de virginitate candidas, aut de passione purpuratas.* Et ideo antiquitus sanctorum Martyrum festa celebrabantur in Ecclesia, dubia plerumque aliorum salute.

Ad tertiam confirmationem respondeo, ex eo quod prædestinati sint Christi Aulici, colligi potiùs contrarium: quia magis cedit in gloriam Principis excellentia Aulicorum, quàm turba. Facit autem ad maiorem excellentiam Sanctorum illa paucitas & singularitas, vt unusquisque eorum sit *electus ex millibus.* Quippe, vt notat Hieronymus in Is. 13 *pretiosum dicitur omne quod rarum est.* Prædestinati igitur, qui Christi familiæ sunt, & Aulici, eò pretiosiores sunt, quò pauciores. Quæ paucitas non deterrere debet à bene operando, sed ad id maxime incitare. *Non te terreant*, vt inquit Hieronymus epist. 34. *descendentes, sed prouocent ascendentes. Nusquam exemplum à malis sumitur. Etiam in sæculi rebus à meliori parte incitamenta virtutum sunt.* Idcirco potiùs cum paucis arcta via ingredienda, cuius terminus augustissimus; quàm cum multis lata, cuius terminus angustiæ, & finis mors sine fine. Ideo vnumquemque admonet Climacus, *Viue cum paucis, si vis regnare cum paucis.*

FINIS.

INDEX

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ,
Quæ in hoc opere explicantur.

Prior numerus Tractatum, secundus verò paginam demonstrat.

Ex lib. Geneſis.

FACTUM eſt veſpere, & mane dies unus, *Tractat.* 1. *pag.* 105

3. Vocem tuam audivi, & timui. 1. 165

Ibid. Inimicitias ponam inter te, & mulierem: inter ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum. 1.342

Ibid. Emiſit eum Deus è Paradiſo voluptatis. 1. 202

Ibid. Eò quòd eſſet mater cunctorum viventium, 1.351

4. Egreſſus Caïn à facie Domini, habitavit profugus in terra. 1.168

Ibid. Poſuit ſignum in Caïn, ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet eum. 1.173

5. Sponſus ſanguinum tu mihi es. 1.123

8. Frigus, & æſtus, æſtus & hiems: nox & dies non requieſcent. 1.142

9. Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram. 1.364

19. Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de cœlo. 1. 202. & 266

22. Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam quæ eſt in littore maris. 2.6. & 26

35. Benjamin filius dexteræ. 1.354

39. Relicto in manu ejus pallio fugit. 1.7

49. Aſer pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus. 1.278. & 316

Ex lib. Exodi.

12. Edent carnes nocte illa aſſas igni. 1.279

Ibid. Calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus comedetis feſtinanter. 1. 298

13. Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis. 1.280. & 368

14. Reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum. 1.326

16. Comedetis panem veſtrum in ſaturitate. 1. 313

32. Dele me de libro vitæ. 2.2

Ex lib. Numer.

6. Si polluatur caput conſecrationis ejus, radat illico eadem die. 1.21

12. Non eſt motus populus de loco ſuo, donec revocata eſt Maria. 1.355

21. Fecit ſerpentem æneum: quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur. 1.395

Ex lib. Deuter.

32. Venenum aſpidis inſanabile. 1.39

Ex lib. Iudic.

7. Subcineritius panis in caſtra Madian deſcendit, *&c.* Non eſt hoc aliud niſi gladius Gedeonis. 1.281

Ex lib. Regum.

1.15. Projecit te Dominus ne ſis Rex, *&c.* Peccavit. 1.93

Ibid. Cum parvulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es. 1.218

1.24. Percuſſit cor ſuum David, eò quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saul. 1.205

1.25. Erit anima Domini mei cuſtodita quaſi in faſciculo viventium, Inimicorum autem ejus anima rotabitur. 2.22

2.1. Sta ſuper me, & interfice me: quoniam tenent me anguſtiæ. 1.165

2.12. Peccavi Domino, *&c.* Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum. 1.93

2.18. Caput adhæſit quercui, illo ſuſpenſo inter cœlum, & terram. 1.26

3.5. Præcepit Rex, ut tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum templi. 1. 370

3.8. Nebula implevit domum Domini. 1.130

Ibid. Dominus dixit, ut habitaret in nebula. 1. 290

3.19. Comedit, & bibit: & ambulavit in fortitudine cibi illius, *&c.* 1.290

INDEX LOCORVM

Ex lib. Paralipom.

2. 34. Furor Domini ſtillavit ſuper nos. 1.199

Ex lib. Tobiæ.

12. Eleemoſyna eſt quæ à morte liberat: & ipſa quæ purgat peccata: & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam. 1.224

Ex lib. Iob.

1. Nunquid fruſtra Iob timet Deum? nonne tu vallaſti eum, *&c.* 1.117
2. Percuſſus ulcere peſſimo, ſedens in ſterquilinio. 1.205
4. Conſumentur velut à tinea. 1.18
15. Bibunt quaſi aquam iniquitatem. 1.12
17. Noctem verterunt in diem, & rurſus poſt tenebras ſpero lucem. 1.142.& 201
19. In carne mea videbo Deum Salvatorem meum, repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. 1.151
Ibid. Delicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos. 1.147.
20. Implebuntur oſſa vitiis adoleſcentiæ: & cum eo in pulvere dormient. 1.44
21. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. 1.48
25. Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius. 2.35
29. Manus Domini tetigit me. 1.144
31. Ignis eradicans genimina. 1.264
34. Quaſi de induſtria receſſerunt ab eo. 1.14
36. Concidit me vulnere ſuper vulnus: irruit in me quaſi gigas. 1.34.& 37
37. Frumentum deſiderat nubes: & nubes ſpargunt lumen ſuum. 1.308.& 316
38. Nunquid ingreſſus es theſauros nivis, & venti? 1.126
40. Abſorbebit fluvium, & non mirabitur: & habet fiduciam quod Iordanis influat in os eius. 1.138
42. Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te. 1.102

Ex lib. Pſal.

1. Lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. 1.77
4. Dediſti lætitiam in corde meo à fructu frumenti, vini, & olei. 1.282
5. Sepulcrum patens eſt guttur eorum. 1.174
6. Lavabo per ſingulas noctes lectum meum. 1.66
7. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. 1.169
11. Argentum igne examinatum, probatum terræ. 1.118
13. Non eſt qui bonum faciat, non eſt uſque ad unum. 2.41
14. Quis habitabit in tabernaculo tuo? *&c.* qui loquitur veritatem in corde ſuo. 2.45
Ibid. Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat. 1.335
Ibid. Deſcendant in Infernum viventes. 1.10
17. Dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis. 1.176.& 179
21. Reminiſcentur, & convertentur ad Dominum omnes fines terræ. 1.267
Ibid. Edent pauperes, & ſaturabuntur, *&c.* 1.283
Ibid. Vota mea Domino reddam in conſpectu timentium eum. Edent pauperes, & ſaturabuntur. 1.288
22. Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. 1.373
Ibid. Paraſti in conſpectu meo menſam adversùs eos, qui tribulant me. 1.309.& 284
28. Vox Domini præparantis cervos. 1.10
30. Oblivioni datus ſum tanquam mortuus à corde. 1.277
31. Multa flagella peccatoris. 1.170
32. Confitemini Domino in cithara, in ſpalterio decem chordarum. 1.143
33. Mors peccatorum peſſima. 2.51
Ibid. Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum. 1.339
Ibid. Timorem Domini docebo vos. 1.10
35. Homines, & jumenta ſalvaſti, Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam, Deus. 2.7
37. Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. 1.17
Ibid. Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. 1.33
40. Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem. 1.221
41. Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus. 1.22
Ibid. Abyſſus abyſſum invocat. 1.24
44. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. 1.345
45. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. 1.199
48. Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me. 1.50
50. Amplius lava me ab iniquitate mea. 1.58
Ibid. Peccatum meum contra me eſt ſemper. 1.59
Ibid. Cor mundum crea in me Deus. 1.61
54. Quoniam inter multos erant mecum. 2.11
55. Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo. 1.81
Ibid. Pro nihilo ſalvos facies illos: in ira populos confringes. 1.195
57. Injuſtitias manus veſtræ concinnant. 1.14. & 26

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

65. Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium, 1.122.& 143
68. Deleantur de libro viventium, 2.2
Ibid. Non absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum, 1.36
71. Et erit firmamentum in terra, in summis montium, 1.291
72. Si dicebam narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi, 1.97
Ibid. In labore hominum non sunt: & cum hominibus non flagellabuntur, 1.170. & 182. & 202
Ibid. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, 1. 14.& 203
77. Panem Angelorum manducavit homo, 1. 284.291.& 308
80. Dimisit eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis, 1.182
83. Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, 1.215
85. Salvum fac filium ancillæ tuæ, fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur, 1.344
86. Memor ero Rahab, 1.355
Ibid. Sicut lætantium omnium habitatio est in te, 1.374
90. Cum ipso sum in tribulatione. 1.120
91. Donec fodiatur peccatori fovea, 1.103
Ibid. Exaltabitur sicut unicornis cornu meum, 1.261
93. Et dixerunt non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob, 1.17
94. Quadraginta annis proximus fui generationi huic. 1.121
98. Propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum, 1.104
101. Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum, 1.314
102. Misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum, 1.7
106. Omnem escam abominata est anima eorum: appropinquaverunt usque ad portas mortis, 1.319
109. De torrente in via bibet. 1.199
110. Initium sapientiæ timor Domini. 1.4
Ibid. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se, 1.286.304
111. Iucundus homo, qui miseretur, & commodat: disponet sermones suos in judicio, 1.222
Ibid. Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi, 1.244
115. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, 2.51
Ibid. O Domine, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ, 1.344
118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, 1.87
125. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent, 1.82.& 189
135. Virum injustum mala capient in interitu, 2.51
138. Forsitan tenebræ conculcabunt me, 1.17
Ibid. Confige timore tuo carnes meas, 1.5
147. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te, 1.313

Ex lib. Proverbiorum.

5. Iniquitates suæ capiunt impium: & funibus peccatorum suorum constringitur, 1.25
8. Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilaverit ad me inveniet me, 1.344
Ibid. Qui me invenerit, inveniet vitam: & hauriet salutem à Domino, 1.346
14. Oculi Domini super timentes eum, 1.8
Ibid. Risus dolore miscebitur: & extrema gaudij luctus occupat, 1.183
15. Secura mens juge convivium, 1.162.& 177
16. Melior est patiens viro forti, 1.108
19. Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur. 1.8
21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur, 1. 239
22. Adolescens juxta viam suam, & cum senuerit non recedet ab ea, 1.44
23. Quando sederis, ut comedas cum Principe, 1.287
29. Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus, 2.52
31. Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus, 1.347

Ex Ecclesiaste.

6. Vir, cui tribuit Deus honorem, & substantiam: nec tribuit ei potestatem, ut comedat ex eo, &c. 1.155

Ex lib. Canticorum.

1. Osculetur me osculo oris sui, &c. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi, 1.140.& 305
Ibid. Meliora sunt ubera tua vino, 1.310
Ibid. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, 112. & 268
Ibid. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea, 1.318
Ibid. Murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. 109.& 110
2. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum, 1.31
Ibid. Tempus putationis advenit: flores apparuerunt in terra nostra, 111.& 112

Ibid. Sicut lilium inter spinas, ita amica mea inter mulieres, 2.23.&28
Ibid. Columba mea in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ, 1.269.& 338
Ibid. Qui pascitur inter lilia. 1.265.
3. Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis, in die lætitiæ cordis sui, 1.123
Ibid. Ferculum, quod sibi fecit Rex Salomon media charitate constratum, 1.314
4. Hortus conclusus soror mea sponsa, 1.260
5. Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa: lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos, 1.55
Ibid. Manus meæ stillaverunt myrrham: & digiti mei pleni myrrha probatissima, 1.152
Ibid. Comedi favum cum melle meo: bibi vinum cum lacte meo, 1.302
Ibid. Manus ejus tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis, 1.144
7. Venter tuus acervus triticis vallatus liliis, 1. 259.& 390
Ibid. Umbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis, 1.391
Ibid. Iunctura femorum tuorum sicut monilia, 1.392
Ibid. Quid videbitis in Sunamite nisi choros castrorum, 1.392
8. Fuge dilecte mi: similis esto capreæ hinnuloque cervorum, 1.121
Ibid. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, 1.140

Ex lib. Sapientiæ.

3. Deus tentavit eos, *&c.* tanquam aurum in fornace probavit eos. 1.139.& 147
Ibid. Felix est sterilis, & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum, *&c.* 1. 256. Et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, *&c.* 256
4. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius, *&c.* 1.256
16. Dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deserviens uniuscujusque voluntati, 1.320

Ex Ecclesiastico.

2. In igne probatur aurum: homines verò receptibiles in camino humiliationis, 1.110 & seq.
3. Ignem ardentem extinguit aqua: & eleemosina resistit peccatis, 1.228
5. Ne tardes converti ad Dominum, *&c.* subitò enim superveniet ira illius, 1.38
Ibid. De propitiato peccato noli esse sine metu, 1.56
Ibid. Peccavi, & quid accidit mihi triste? 1.206
10. Initium omnis peccati est superbia, 1.210
21. Quasi à facie colubri, fuge à peccato, 1.7
24. Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo: & dixit mihi, in Iacob inhabita, in Israël hæreditare, in electis meis mitte radices, 1. 347
Ibid. Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt, 1.348
Ibid. In me omnis gratia viæ, & veritatis: in me omnis spes vitæ, & virtutis, 1.349
Ibid. Quasi cedrus exaltata sum in Libano. 1.375. Quasi cypressus in monte Sion, 1.375. Quasi palma exaltata sum in cades, 1.376. Quasi plantatio rosæ in Iericho, 1.377. Quasi oliva speciosa in campis, 1.378. Quasi platanus exaltata sum juxta aquas, in plateis. 379. Et sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi, 1.380. & 381. Quasi myrrha electa odorem dedi suavitatis, 382
27. Vasa figuli probat fornax: & homines justos tribulatio, 1.148
29. Conclude eleemosinam in sinu pauperis: & hæc pro te exorabit ab omni malo, 1.229
33 Timentibus Dominum non occurrent mala, 1.6
34. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus? 2.46
Ibid. Qui timet Dominum nihil trepidabit, *&c.* 1.6
35. Oratio humiliantis se penetrat nubes. 1.208

Ex Isaia.

3. Auferet Dominus omne robur panis, & virum bellatorem, 1.324
9. Factus est principatus super humerum ejus, 1. 126. & 133
10. Reliquiæ ligni saltus ejus præ paucitate numerabuntur, 2.11
11. Delectatur ab ubere super foramine aspidis; & in caverna reguli manum suam mittit, 1.316
12. Hauritis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, 1.272
14. De radice colubri egredietur regulus, 1.30
19. Quod confortum est erumpet in regulum 1.30
21. Pone mensam, & contemplate in specula comedentes, & bibentes, surgite Principes, 1. 279
25. Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, *&c.* & præcipitabit faciem vinculi colligati, *&c.* & præcipitabit mortem in sempiternum, 1.291. & 311
26. In terra Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini, 1.16

28. Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraïm, & flori decidenti gloriæ exultationis ejus, 1.184
Ibid. Dixistis, percussimus fœdus cum morte, & cùm inferno fecimus pactum, 1.185
30. In bellis præcipuis expugnabit eos, 1.285
35. Adducet Dominus ultionem retributionis, ipse veniet, & salvabit nos, 1.249
43. Cum ambulaveris in igne non combureris, &c. noli timere, ego tecum sum, 1.120
54. In momento indignationis abscondi faciem meam, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, 1.105
56. Hæc dicit Deus Eunuchis, qui custodierint sabbata mea, dabo eis in domo mea & in muris locum, & nomen filiis, & filiabus, &c. 1.256
57. Non est pax iniquis dicit Dominus, 1.157
Ibid. Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, 1.158
58. Sustollam te super altitudinem terræ, 1.160
59. Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum, 1.4
Ibid. Iundabo super eam quasi fluvium pacis, 1.159
62. Super muros tuos, Hierusalem, constitui custodes, 1.339
65. Puer centum annorum morietur: & peccator centum annorum maledictus erit, 1.26.& 45
66. Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritus, & trementem sermones meos? 1.7
Ibid. Vermis eorum non morietur, 1.175
Ibid. Erit Sabbatum ex Sabbato, 1.181

Ex Ieremia.

1. Virgam Vigilantem ego video, 1.101
3. Assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione: & introducam vos in Sion, 2.30
8. Ecce ego mittam vobis serpentes, & regulos, quibus non est incantatio, 1.30
11. Venite mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium: & nomen ejus non memoretur ampliùs, 1.329
12. Quare via impiorum prosperatur? &c. 1.185
13. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut varietates suas, 1.31
25. A facie iræ columbæ, à facie iræ furoris Domini, 1.250
31. Novum fecit Dominus super terram. Fœmina circumdabit virum, 1.198

Ex Ezechiele.

9. Signa Tau super frontes virorum gementium, & dolentium, &c. 1.99.& 2.10
16. Auferetur zelus meus à te: quiescam, nec irascar amplius, 1.185.& 186
22. Versa est mihi domus Israël in scoriam. Omnes isti æs, stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis, &c. 1.147
28. In deliciis Paradisi fuisti, &, tu Cherub extensus, & protegens, &c. ejeci te de monte Dei, & perdidi ô Cherub, &c. 1.216

Ex Daniele.

4. Somnium vidi, quod perterruit me: & visiones capitis mei conturbaverunt me, 1.168
7. Thronus ejus flamma ignis: rotæ ejus ignis accensus: fluvius igneus rapiduſque egrediebatur à facie ejus, 1.10
10. Accinctus ad renes auro obrizo, 1.300

Ex Osea.

2. Ecce ego lactabo eam: ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus, 1.301
4. Non visitabo super filias vestras cum adulteraverint, 1.186
9. Profundè peccaverunt, 1.15

Ex Amos.

9. Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, & fasciculum suum in terris fundavit, 2.23

Ex Iona.

3. Vestiti sunt sacco à majori usque ad minorē, 1.86
Ibid. Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus, 1.52

Ex Michæa.

7. Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, præcoquas sicut desideravit anima mea, 2.9

Ex Habacuc.

1. Cibus ejus electus, 1.138
3. In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ, 1.326

Ex Zacharia.

1. Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum: & post eum equi rufi, varij, & albi, 1.338
9. Quid bonum ejus, & quid pulcrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? 1.292
12. Effundam super domum David, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ, & precum: & aspicient in quem confixerunt: & plāgent eum planctu quasi super unigenitum, 1.270

Ex lib. Machab.

1.1. Venundati sunt, ut facerent malum, 1.167
2.6. Non enim sicut in aliis rationibus Dominus patienter expectat, ut eas cum judicii dies advenerit in plenitudine peccatorum puniat, 1.186

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matth.

3. PErmundabit Deus aream suam, & congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet, &c. 2.14

14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, 1.191
5. Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos, &c. ut sitis filij patris vestri, 1. 248.& 255
Ibid. Beati pauperes spiritu, 1.209
Ibid. Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram, 1.251
Ibid. Si diligitis qui vos diligunt, nonne, & publicani hoc faciunt? 1.251
6. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, 1.245
Ibid. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, 1.251.& 253
7. Intrate per angustam portam, &c. 1. 192. & 2.12
8. Mitte nos in gregem porcorum, 1.265
10. Qui non accipit crucem suam, & venit post me, non est me dignus, 1.187
11. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, 1.235.& 2.32
12. Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat, 2.47
13. Exiit qui seminat, &c. Quædam ceciderunt secus viam, &c. 2.24
Ibid. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, 1.312
15. Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt, 1.257
17. Nubes lucida obumbravit eos: & vox de nube dicens: Hic est filius, &c. 1.194
18. Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, &c. nonne ergo oportuit te misereri conservi tui? 1.253
Ibid. Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum, 2.38
19. Dives difficilè intrabit in regnũ cœlorum, 2.13
21. Plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, 1.338
22. Multi sunt vocati, pauci verò electi, 210.
Ibid. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. 2.41
23. Similes estis sepulchris dealbatis, 1.174
24. Si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, &c. & vos estote parati, 1.38
25. Simile est regnum cœlorum decem Virginibus, &c. 1.350.& 2.14
Ibid. Statuet oves à dextris. 1.214.& 251
Ibid. Venite benedicti. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c. 1.225
Ibid. Ite maledicti. Esurivi enim, & non dedistis, &c. 1.239
26. Egressus foras flevit amarè, 1.54.68.70.& 85
27. Angariaverunt, ut tollerent crucem, 1.152
Ibid. Tenebræ factæ sunt super universam terram, 1.194

Ex Luca.

1. Abiit in montana cum festinatione, 1.357
3. Facite fructus dignos pœnitentiæ, 1.89
6. Væ vobis divitibus, qui habetis consolationes vestras, &c. 1.189. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, ibid.
7. Lacrymis cœpit rigare pedes ejus, 1.67.& 88
11. Date eleemosinam, & ecce omnia munda sunt vobis, 1.229
12. Destruam horrea mea, &c. Stulte, hac nocte animam tuam repetent, 1.41
Ibid. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur? 1.125.& 126
15. In alieno fidelis non fuisti, 1.243
16. Homo quidam erat dives, & induebatur purpura & bysso, 1.189.& 240
Ibid. Recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala: nunc hic cõsolatur, tu verò cruciaris, 1.201
18. A longè stans nolebat nec oculos ad cœlum levare, 1.62
21. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, 1.321
Ibid. In patientia vestra possidebitis animas vestras, 1.149
23. Domine memento mei dum veneris in regnum tuum, 2.64.& seq.
Ibid. Omnis turba eorum qui simul aderant, revertebantur percutientes pectora sua, 1.270

Ex Ioanne.

2. Implete hydrias aqua, 1.9
5. Piscina quinque porticus habens. In his jacebat multitudo, &c. 2.25
Ibid. Ille erat lucerna ardens, & lucens, 1.217
6. Cum cognovisset quia venturi essent ut facerent eum Regem, fugit in montem, 1.104
Ibid. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Habet vitam æternam. Ego resuscitabo eum in novissimo die, 1.293.& 309
10. Oves meæ vocem meam audiunt, 1.214
11. Voce magna clamavit, Lazare veni foras, 1.35.& 36
13. Post buccellam introivit in eũ Satanas. 1.330
19. Erat in loco, ubi crucifixus est, hortus, 1.126
Ibid. Exivit sanguis, & aqua, 1.197
20. Insufflavit, & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. 1.31
22. Dixit eis pax vobis: & cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. 1.160

Ex Actibus Apost.

8. Eleemosinæ tuæ, & orationes tuæ ascenderunt in cœlum, 1.230
9. Durum est tibi contra stimulũ calcitrare, 1.171
13. Inveni David virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. 1.250

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

20. Beatius est magis dare, quàm accipere, 1.231
Ibid. Ad ea, quæ mihi opus erant & his qui mecum sunt ministraverunt manus istæ, 1.232

Ex Epistolis Pauli. Ad Romanos.

2. Secundùm duritiam tuã, & cor impœnitens, 1.37
Ibid. Thesaurizas tibi iram in die iræ, 1.13
5. Tribulatio patientiam operatur, 1.108. & 111. & 146
Ibid. Gloriamur in tribulationibus, 1.115
6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, 1.29
Ibid. Mortui sumus peccato. 1.55
12. Spe gaudentes, in tribulatione patientes, 1.150

Ad Corinthios.

1.6. Neque molles, neque fornicarij, neque adulteri possidebunt regnum Dei, 1.262
1.9. Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium, 2.16. & 17
Ibid. Castigo corpus meum, *&c.* 17
1.10. Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt: sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, 2.15
1.11. In qua nocte tradebatur, *&c.* 1.297
1.13. Si distribuero omnes substantias meas in cibos pauperum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest, 1.237
1.15. Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, 1.64
2.1. Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis: qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, 1.114. & 227

Ad Galatas.

6. Nolite errare, Deus non irridetur: quæ enim seminaverit homo, hæc & meter. 2.54

Ad Ephesios.

4. Desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, 1.263
5. Scitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in Regno Christi, 1.241
6. Non est nobis colluctatio adversùs carnem, & sanguinem, 2.33

Ad Colossenses.

3. Induite vos sicut electi Dei, sancti, & electi viscera misericordiæ, 1.227

Ad Thessalonicenses.

5.1. Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet, 1.38
1.3. Nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus, 1.199. & 200

Ad Timotheum.

1.1. Quidam repellentes bonam conscientiam, circa fidem naufragaverunt, 1.264
1,6. Qui volunt divites fieri incidũt in tentationẽ. Radix enim omniũ malorũ est cupiditas, 1.242
2.2. Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit. 1.106

Ad Hebræos.

6. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, *&c.* & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiã, 2.47
11. Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur, 1.109
12. Quem diligit Dominus corripit: flagellat autem omnem filium, quem recipit, 1.193

Ex Epist. Iacobi.

1. Nemo cum tentatur dicat quoniam à Deo tentatur: Deus enim neminem tentat, 1.139
5. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, *&c.* Patientes estote & vos, 1.150

Ex Epist. Petri.

1.3. Cum fabricaretur arca, in qua pauci, idest octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod & vos similis formæ salvos facit baptisma, 2.17
1.4. Tempus est, ut judicium accipiat à Domo Dei, 1.15
Ibid. Si justus vix salvabitur: impius, & peccator ubi parebunt? 2.35
2.1. Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis, 1.3

Ex Apocalypsi.

1. Facies sicut sol lucet in virtute sua, *&c.* Pedes ejus similes aurichalco, 1.130
Ibid. Præcinctus ad mammillas zona aurea, 1.301
2. Vincenti dabo manna absconditum, & calculum candidum, 1.294
3. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam, 2.3
Ibid. Qui habet clavem David, *&c.* Ecce dedi coram te ostium apertum, 1.83
4. Similis aspectu lapidis jaspidis, 1.127
7. Nolite nocere terræ & mari, quousque signemus servos Dei nostri, 1.100
11. Apertum est templum in cœlo, & visa est arca testamenti in templo, 1.317
12. Mulier amicta Sole, *&c.* 1.362
14. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt, *&c.* Et in ore eorum non est inventum mendacium, 1.8. & 257
20. Et alius liber apertus est, quia est vitæ, 2.20
21. Civitas in quadro posita, *&c.* 2.7
Ibid. Duodecim portæ duodecim margaritæ, 1.83. & 97
Ibid. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis ipsorum, 1.84
22. In medio plateæ ejus lignum vitæ, 1.312

Finis Indicis locorum Sacræ Scripturæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Prior numerus Tractatum, secundus verò paginam demonstrat.

A

Abraham.

ABraham à Deo tentatus decies, 1.142
Abrahæ sinus in Mariæ sinum permutatus, 1.501

Adam.

Adam victus in paradiso: Iob victor in stercore, 1.205
Adam cur vocatus à Deo timuerit, 1.165

Adolescentia.

Adolescentiæ vitia in senecta, 1.43
Adolescens dilata ad mortem pœnitentia repente interiit, 1.48

Vide Iuuentus.

Agnus.

Agnus Paschalis figura Christi, 1.280
Crucis speciem præferebat, 1.100
† B. Aloysius Dei recessum à se precabatur, 1. 121
Ambitiosi excludi videntur etiam à numero fidelium, 1.216

Amor.

Amor dulcis tyrannus, 1.80
Inter amorem Dei, & amorem sui discrimina, 2.42
Amor erga Deum efficax dignoscitur ex effectu, 1.117
Amor sui reprobationis signum, amor Dei prædestinationis, 2.37
Amor Dei, & amor sæculi discernit electos, & reprobos, 2.42
Amor Dei causat timorem peccati, 1.5
† Andreas properat ad tormenta sicut ad ornamenta, 1.124
Angariare vox Persica, 1.152
Crucis angaria salutaris, 153

Angelus.

Angeli sepes, & muri Ecclesiæ, 1.338
Oculi, & aures Dei, 1.339
Castra ponunt ad tuendos electos, 1.178
In prædestinatorum præsidium à Deo sunt specialiter dati, 1.338
Angeli Custodis affectus prædestinationis signum, 1.337
Defectus in Angelorum obsequio reprobationis signum, 1.340
Angeli variis similitudinibus adumbrati, 1.338
Eorundem varii tituli, 1.340
Angelorum prædestinatorum numerus major est numero reprobatorum, 2.4
Angelus descendens in piscinam figura Christi, 2.21
Angeli custodes procul se à peccatoribus amovent, 1.58
† In Antiocho Rege pœnitentiæ factæ exemplar ostenditur, 2.56
Antiochiæ priscæ magnitudo, 2.26
Antonij facies semper hilaris, 1.122
Christus illi affuit in pœnis, 1.122
Apes mel conficiunt è guttis maris, & rore cœli, 1.112
Apostoli cerui, 1.31
Aqua, & ignis auspicia nuptiarum, 1.123
Aqua prosperitatis symbolum, 1.143
Arsenij metus in morte, 1.11
Arca Noë figura salvandorum, 2.17. Ejus pars superior arcta, inferior lata paucitatem salvandorum designat, 18
Aspidum venenum insanabile, 1.39

Astrologi.

Astrologorum præsagia damnant plurimos, 1.41
Iis sese dæmon immiscet, ibid.
Astrorum observationes viam præbent ad inferos, 1.42
Astrologiæ judiciis dediti characterem habent damnationis, 1.42

Avaritia, Avarus.

Avaritia reprobationis signum, 1.239
Avaritia Iudæ reprobationis initium. 1.24
Avarorum viæ difficiles, 1.155. Parcunt sibi, ut pareant marsupio, ibid. Mercantur gemmas pretio capitis, ibid.

B

Baptismus.

IN Baptismo conscribimur Christi milites, 2.39
† Basiliscus macula coronatus figura Diaboli, & peccati, 1.30
Afflatu, & aspectu necans, symbolum habitus vitiosi, ibid.

Beati.

Beatis si quod inest desiderium, inest patiendi pro Christo, 1.125
Memoriâ tribulationum fruuntur, 1.127. & 128
Crucis signo in cœlo insigniti, 1.100
Beneficii quædam solutio est ipsa confessio, 1.64
† Beneficii præteriti memoria gradum facit ad nova, 1.65
Bellarmini de se testimonium, 1.8

Blasphemia.

Blasphemia.

Blasphemia reprobationis signum maximum, 1.14

Blasphemos nihil aliud delectat præter peccare. ibid.

C

Cœlum.

Via ad cœlum sanguinea. 1.101
Cœlestis patria tota sanguinea. 1 97

Cœlum hastis argenteis per eleemosinam expugnatur. 1.235

Cœlum firmamenti quot milliaria efficiat. 2.7

Cain.

Cain cur desperarit post peccatum. 1.164
Cur non statim punitus. 1.168.& 173
Ejus timor perpetuus post peccatum. 1.173
Vita est ei indulta ad pœnam. ibid.

† Canticorum liber totus Virginem præmonstrat. 1.393

Caprea.

Capreæ, cum dormit, uno oculo vigilat. 1.121
Cur sponsus assimiletur capreæ, *&c.* ibid.

Castitas, Casti.

Castitas superbiæ adjuncta interdum amittitur citra finem. 1.220

Castitatis certamina in hac vita sunt duriora. 1.256

Castitas nos reddit Angelis similes, 1.257. æquales, & majores. 258

Castis adest speciale patrocinium Mariæ. ibid.

Castitatem com tantur omnes virtutes cum Deo unitivæ. 1.260

Castitati lumen, luxuriæ conjunguntur tenebræ. 1.263

Cervi.

Cervi velocitas. 1.22
Cervi pariunt ex timore tonitrus. 1.10
Cervi parientes peccatores pœnitentes, ibid.
Afflatu extrahunt serpentes. 1.31
Dum fugiunt post se respiciunt. 1.121

Charitas.

Charitas per tribulationem argentum purgatum septuplum. 1.118
Vinculum animæ cum Deo. 1.119
Charitate Christi infusa lapidibus, lignis, & cratibus, cuncta dulcescunt. 1.127
Charitatis virtus in Virginitate non minùs, quàm in martyrio splendet. 1.260
Charitatis augmentum per Eucharistiam. 1.300

CHRISTVS.

Christi nativitas prædestinationis medium. 2 10
Christus pastor ovem imponens suis humeris. 1.20
Cur cervo assimilatus. 1.31
Tres mortuos suscitavit, unum domi, alterum foris, tertium in sepulcro. 1.34
Cur bis dicatur clamasse, bis lacrymasse. 1.35
Cur pedes suos cum discipulis non laverit. 1.68
Lavacrum pœnitentiæ non refugit. 1.92
Borrus est Cypri inter afflictiones. 1.112
Sudor sanguinis, & ascensio in cœlum cur in oliveto. 1.100
Cur tentari voluerit post baptismum. 1.137
Electis est in tentatione prototypus. 1.139
Cum eo congressus est Lucifer in deserto. ibid.
Venit fabricare ex hominibus novos Seraphim. 1.218
Eleemosinas erogabat. 1.232
Ejus nomen proprium *misericordia.* 1.233

Christi passio, etusque memoria.

Christi tota vita crux, & martyrium. 1.126. & 197

Christi passio balneus, 1.125. Christi gaudium in passione, ibid. Mare passionis calix fuit illi exiguus, 126. Vulnera punctiones levissimæ, Calvarii dolores horti deliciæ. ibid.

Christi gaudium in passione, 1.125. Desiderium patiendi, 124. Bibit è torrente, nos de calice. 1.199

Christus in cruce Rex sex titulis insignitus. 1.128

Admirabilior in passione, quàm in creatione. 1.130

Christus flevit sæpe, risit nunquam. 1.189
Regnum fugit, crucem appetiit. 1.204

Assidua passionis Christi memoria peccatum ab anima arcet. 1.268

Vulnera manuum, & pedum sunt petræ foramina: lateris, caverna maceriæ, 1.269. Physicè in nobis gratiam causant, 1.272. Per ea ad cognitionem Divinitatis ascenditur, 1.269. In e s domicilium est statuendum. 1.275

Vulnus in latere aquam in lacrymarum fontem profudit; 1.81. & 197. Est electorum ostium ad vitam. 1.278

Meditatio passionis Christi plus valet, quàm alia externa opera. 1.276

Exhibendum aliquid memoriæ passionis Christi. 1.276.& 277

Oblivio passionis Christi reprobationis signum. 1.277

Clavi annuli ad desponsandum. ibid.

Concionatores.

Concionatores figurati per canes. 1.19

Eorum vox incantatio non valens contra habituatos in peccatis. 1.30

† Confessarii mali electio reprobationis medium. 1.94

Conjugii copula dolorum officina. 1.154

Conscientia.

Conscientia bona perpetuum convivium, 1.162
Arx bonæ conscientiæ in tribulationibus asylum, 1.157
Conscientia accusatrix omnium acerbissima, 1. 164. Carcer est, 167. Mortuos excitat, ut accusent, 165. Iudex incorruptus, 167. Muta ante peccatum, post peccatum clamitat, 1.164. Ei neque somnus suavis est, neque cibus, 162
Conscientiæ malæ divinæ justitiæ gladius imminet, 1.162
Conscientiæ stimuli de peccatis, 1. 60. Satellites rationis, 157. Pungunt acerrimè, 171
Tredecim tribulationes improborum, quas iis offert conscientia, 1.163

Consuetudo.

Consuetudo mala tyrannis, 1. 31. Tumulus, 35. Puteus interitus, 36. Vltimus gradus præcipitii, 37. Difficilè eraditur, 44. Superat naturam, ibid. Parit quasi necessitatem, 50

Crux.

Crux Christi, clavis est Paradisi, 1.98. Tessera salvandorum, 100. Signum vitæ, ibid. Principatus, 128. Aratrum ut fides germinet, 151
Crucis signo Beati in cœlo insigniti, 1.100
Crucis angaria salutaris, 1.153
Crux mentis in reprobis ex conscientia mala, 1. 157
Crucis nomine tribulationes, 1.187
Ejus speciem præferebat Agnus paschalis, 1.100
In crucis ligno, & stella Mariæ viatorum spes posita, 1.487
Crucis encomia, 1.336

D

David.

David peccata sua semper coram se cernebat, 1.60
Davidis humilitas post peccatum, 1. 62. Mœror, 86
Ejus pœnitentia lacrymosa, 1.66
Davidis lacrymæ Christum ex ejus progenie meruere, 1.67
Davidis vulnus medicina aliorum, ibid.
David punivit in oculo quod peccaverat per oculos, 1.87
Davidis, & Saulis pœnitentiæ discrimen, 1.93
Davidi prosperitas, & otium peperere adulterium, 1.205
David mitis in adversa fortuna, sævus in prospera, ibid.
Ob humilitatem ad utrumque regnum evectus est, 1.218
Secundùm cor Dei dictus ob injuriarũ oblivionẽ, 1.250

DEVS.

Dei thronus est flammeus, 1.10
Dei oculi flamma ignis, tegmen ardoris, 1.7
Deus fidelis debitor, misericordissimus promissor, 1.116
Deus in carcere detentus cum detentis, 1.120
Adest in fornace cum pueris Babylonicis, ibid.
Deus tunc proximus cum videtur insensus, 1.121
Ira Dei maxima non irasci, 1.186. Si in hac vita irascatur, effectus est misericordiæ, ibid. Ejus diuturnior patientia majus est reprobationis indicium, 1.206
Dei fere tota occupatio in exaltatione humilium, depressione excelsorum, 1.210
Cur dicatur pater misericordiarum, 1.227
Peccata contra proximos ulciscitur magis, quàm peccata contra se, 1.254
Deus adest tribulatis, *Vide Tribulatio.*
Dei Amor, *Vide Amor.*
Dei timor, *Vide Timor.*
† Desperatio prope mortem peccatores invadit, 1.48

Diabolus.

Diaboli regnum, 1.29
Eos acriùs oppugnat, à quibus victum se agnoscit, 1.137
Sicut pirata naves ditiores invadit, ibid.
Diaboli fortitudo, calliditas, 1. 138. cur dictus myrmicoleon, ibid. Malignitas, 139. Ejus in homines odium, & acumen, 2.33
Fraudes, stratagemata, 34
Dæmones singuli singulis assignati, ibid. Eorum persecutio gravior quàm tyrannorum, 34
Omnes adhibent conatus in extremo vitæ, 2.49
Ab eo oppugnari, & non expugnari, maximum prædestinationis signum, ibid.
Ejus cibus electus, ibid.
Propter peccata aliquando homines rapit corporaliter, 1.178
Excruciare incipit reprobos in hac vita, ibid. Peccatores quoslibet obsidet, ibid. castra ponit ad retinendos reprobos, 177
† Dilatio pœnitentiæ, *Vide Pœnitentia.*
Diluvium universale figura extremi judicii, 2.18

Divitiæ.

Divitiæ spinæ, 1.155
Divitiæ reprobationis causa: salutis, mendicitas, 1.190
Divitibus difficultas salutis, 2.13

E

Electi.

Electis motus in fine velocior, reprobis tardior, 1.45
In morte electi prægustant cœli gaudia: reprobi tartari pœnas, 1.49
Electorum dies incipit à vespere, 1.105. Reproborum à mane prosperitatis, ibid.
Tres electorum status, inchoatio, profectus,

perfectio, 1.140
Electi Deo gratias agunt in utraque fortuna, 1.144
Plerique semper tribulantur, 1.145
Electi sunt digiti Ecclesiæ, 1.152
Electis tempestas deforis, interiùs tranquillitas: è contra in reprobis, 1.159
Electorum mens suavissimè epulatur, 1.176
Electi hic cruce signantur, 1.187. Vt in die judicii sub vexillo crucis recipiantur, 276
Electorum peccata puniri solent in hac vita, 1.200
Electi de se humiliter, reprobi magnificè sentiunt, 1.218
Dicuntur pauci de terra, 2.11
Designantur per eos qui sunt signati Tau, 2.20
Idē fasciculo exprimūtur, reprobi fasciculis, 2.23
Electi triticum, reprobi paleæ, 2.24. Illi vasa aurea, & argentea, hi lignea, & fictilia, 25

Eleemosina.

Eleemosinæ encomia, 1.236
Eleemosinæ bona omnia promittuntur, 1.222
Eleemosina est contractus commodati, 222. contractus depositi, 233. mutui, 234. emptionis, 235. Eripit à foribus ipsis gehennæ, 224. Est patroni loco, 223. Purgatorij vices supplet, 224. Primatum obtinet inter virtutes, 225. Novus baptismus, 228. Immo præfertur, 229. Quomodo tollat peccata, 227. Scutum est, & lancea, 230. Efficaciam præstat orationi, 229. Christi solio assistit ut regina, 230. Pennata est, & alas habet aureas, ibid. Deo reddit similes, immò evehit ad Deitatem, 230. & 231. Christo reddit similes, 231. Ejus ars plusquam regia, ibid. Ejus amor verbum ad incarnationem traxit, 232. Clauditur in sinu pauperis tanquam in arca, 234. Est thesaurus repositus in sacculo, ibid. Cœlum hastis argenteis expugnat, 235. Etsi sit exigua, prodest non exiguè, 237. Vestis est in alia vita, 246. Erogari potest desiderio, & compassione, 238
Per eleemosinas rationes omnes bene supputantur, 1.223
Iis Christus subornatur, ibid.
Eleemosinæ effectus quatuor, 1.224
Ejus vi damnatos etiam salvari error aliquorum, ibid.
In quo sensu soli eleemosinæ promittatur prædestinatio, soli immisericordiæ reprobatio, 1.226
Eleemosinarum largitio est Dei occupatio, 1.231
Eleemosinas Christus erogabat, ibid.
Eleemosinæ Pauli. 232
Eleemosina non debet fieri de alienis, 1.236. Non ex motivo vanæ gloriæ, ibid. Non ad captandam fiduciam peccandi, 237
Eleemosinarum cultor felix vivit, securus moritur, 1.236
Eleemosinæ denegatio omnibus criminibus antefertur, 1.239
Ob id dives epulo damnatus. 1.240

Epulo.

Epulonem sublimitas detulit ad ruinam. 1.191
Purpura Epuloni flammæ prænuncia, ibid.
Superbia illi extitit causa damnationis. 1.219
Epulonis, & Lazari discrimen descriptum graphycè, 1.189
Epulonis reprobatio ex prosperitate, Lazari prædestinatio ex adversitate. 1.ibid.
Lazarum paupertas extulit ad sinum Abrahæ. 1, 191
Lazarus portatus ab Angelis, cur non epulo portatus à Dæmonibus. 1.ibid.
Lazarum cur non unus, sed plures Angeli portavere. ibid.
† Esaü non invenit pœnitentiæ locum. 1.48
Essenorum mores, & austeritas. 1.91

Eucharistia.

Eucharistiæ præsentia efficaciam majorem confert lacrymis, 1.71
Ejus devotus, & frequens usus prædestinationis signum esse probatur è scripturis, 1.278. Viam tutam ostendit ad gloriam, 281. Cur cœna dicatur apud Lucam, 283. Spiritualis lætitia, & gloriæ omen cum ea conjunctum. 282
Ejus fructus est sancta mors, 282. Prognosticon est æternæ vitæ iis, qui eam comedunt, 283. Bellatores eos reddit, & fortes, 285. Panis est confortans in hoc vitæ tempore. 291
Panis vivus respectu Christi: vitæ respectu sumentium. 293
Convivium præstantissimum omnium conviviorum, 292. Maximè conducit ad puritatem, 293. Liberat à peccatis, & præservat, 296. Copiam auxiliorum per totam vitam meretur, 285. In ea exercetur fides, 297. Spes incrementum capit, 298. Charitas augetur, 300. Per modum viatici accepta maximum est pignus gloriæ, 299. Lac est infantibus in vita spirituali: adultis verò vinum, 302. Vim habet unitivam cum Christo, 304. Connubium in ea fit inter Christum, & suscipientem, 305. Spiritualis est insitio, per quam Christo inserimur, 306. Ex ejus frequenti usu in anima sensim beatitudo introducitur, ibid. In ea primordia gloriæ habentur, 307. Eam qui comedunt candidati sunt æternitatis, 312. Ejus suaviratem soli experiuntur justi: qui eam nauseant, mortis habent prognosticon, 320. Eam qui sumunt, peregrinos se hujus vitæ debent existimare. 280
Eucharistiæ calix inebriat. 285
In Eucharistiâ nova creatio, 286. In ea Christus

ſuam oſtendit omnipotentiam. 287
In Euchariſtia nova quædam incarnatio, 288. Novum quoddam compendium paſſionis, 289. In ea majus prædeſtinationis ſignum, quàm in cæteris Sacramentis. 309
Euchariſtia indignè ſuſcepta in Iuda ſcelus ipſa proditione majus. 1.330
Euchariſtiæ ſacrilegus abuſus maximè Chriſto adverſatur, 1.331. Reprobationis eſt ſignum, 1.326. Qui eam indignè ſumunt, eandem cum Iuda ſortem incurrunt, 1.328. In pejus ſemper labuntur. 339
Datur impiis ut manna, ſed cum calculo nigro. 329
Diabolus intrat in cor eam indignè ſuſcipientis, 330 Retrahi à ſuſceptione Euchariſtiæ laqueus eſt Diaboli. 322
Euchariſtiæ figura columna nubis in deſerto. 1.280
Tranſmutatio panis in corpus Chriſti probatur ex tranſmutatione veteris hominis in novum. 1.287
Chriſtus in Euchariſtia filios ſuos lactat, 300. Non minorem in paſſione quàm in Euchariſtia exhibuit charitatem, 303. In ea ſol illuſtrior eſt quàm in Paradiſo. 308
Euchariſtiæ eædem proprietates tribuuntur, quæ Paradiſo. 309
Euchariſtia infantibus poſt baptiſmum dari ſolebat. 323
Cur panis & vinum, & non medicina dicatur à Chriſto. ibid.
Ex Euchariſtiæ infrequentia ſpiritualis macies. 324
Patrum encomia de Euchariſtia. 1.295
Exemplum malum fœtor eſt vulnerum. 1.33

F

Felicitas.

FElicitas futura fluvio comparatur fluenti perenniter. 1.199
Felicitas fovea doloſè obtecta. 1.203
Felicitas hujus ſæculi bracteata. 1.207
Ficulnea infructuoſa quid ſignificet. 1.96
Fides in Euchariſtia maximè exercetur. 1.297
Fœtus in utero, formicæ magnitudine. 1.193
Fortunæ rota dejectos allevat, ſublimes dejicit. 1.203
Franciſco humili ſedes altiſſima. 1.209
Franciſci Xaverii inter ærumnas conſolatio. 1.123
Ejuſdem patiendi ardor. 1.124
Franciſci Borgiæ humilis de ſe æſtimatio. 1.63

G

Gloria.

GLoria Chriſti in Thabor figura humanæ felicitatis. 1.195
Ad gloriam aſcenditur per deſcenſum. 1.214
Gloriæ humanæ ſplendor, pernicioſus cometa. 1.217
Gloria eſt corona non miſericordiæ, ſed juſtitiæ. 2.38

Gratia.

Gratia cur animæ vita. 1.34
Creſcit ſecundùm menſuram humilitatis. 1.209
Eſt aqua confluens ad valles. ibid.
Gratitudo memoriæ quam Deus beneficiis exigit. 1.64
Gygæus annulus non effugit oculos conſcientiæ. 1.166
Gedeon Chriſti typus: ejus gladius Chriſti eſt humanitas. 1.281. & 2.19
Ejus milites trecenti electorum figura. 2.19

H

Habitus.

HAbitus facilitans ad unum, difficultat ad oppoſitum. 1.25
Habituatus in peccato debiliſſimè reſiſtit Diabolo. 1.26
Habitus peccandi regulus eſt è colubro natus. 1.30
Habitus vitioſus ſemel depoſitus, iterum non eſt reſumendus. 1.55
Habitus vitioſi difficultant ſalutem. 2.32
† Hæretici non paleæ ſed zizania. 2.24
Hæreticorum infructuoſa, & falſa pœnitentia. 1.165
Henrici Octavi in morte deſperatio. ibid.
Homo à brutis didicit medicinas. 1.22

Humilitas.

Humilitas quid ſit. 1.210
Humiliatio ad humilitatem eſt via. 1.108
Humilitas prædeſtinationis ſignum. 1.207. & ſeq.
Orationi eſt pro vehiculo. 1.208
Ob eam ſolam edocendam Chriſtus eſt incarnatus. 1.209. & 214
Sine ea nec Mariæ Virginitas Deo placuiſſet. 1.210
Eradicat omne peccatum, 1.211. Totius ſpiritualis ædificii eſt fundamentum. ibid.
Nihil ea eſt excelſius. 1.212
Maximè nos Chriſto conformat. 213
Humilitati aſcribitur ipſamet Chriſti exaltatio. 214
Ob eam Saül evectus ad regnum, ob ſuperbiam dejectus è regno terreno, & cœleſti. 1.218
Humilitas cauſa ſalvationis Lazaro: ſuperbia damnationis diviti. 1.219
Sola humilitas evadit è laqueis Diaboli. 1.220
Humilitatis exemplar in Chriſto, ſuperbiæ in Diabolo. ibid.
Humilibus promittitur ſpecialis Dei providentia, 1.207. Dei cuſtodia, 208. Liberatio à tentationibus, Exauditio in precibus, ibid.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Humiles in quo sensu Deo similes. 1.215

I

IAspis tribulationes designat, 1.127
S. Ignatij patiendi ardor, 1.124
Igne tribulatio designatur, 1.143
Iericho quid significet, 2.19. Civitas culpæ, ibid.

Improbi, iniqui, impii.

Improbis proprii appetitus sunt pro dæmonibus, 1.138
Patiuntur crucem mentis, 1.157
Cor impii quasi Euripus, 1.159
Ejus tranquillitas tempestas est, 1.172
Improbis conscientia mors, ibid.
Improbus velut capitis damnatus in carcere, 1.177
Improbi non sunt Iesu, sed Diaboli, 178
Furiæ in eorum animis morantur, 179
† Impunitas in peccatis reprobationis indicium, 1.187
In incarnatione apparuit sola misericordia, 1.233
Inconstans in bono opere ineptus est regno Dei, 2.38.
Indulgentiarū usus prædestinationis signum, 1.90

Infernus, gehenna.

Ad infernum descendunt viventes, ut non descendant morientes, 1.10
Gehenna dignus est, qui plus timet gehennam quàm Deum, 1.9
Gehennæ timor lacrymas elicit, 1.11
Primo die mundi est creata, ibid.
Eam Deus minatur, ut ab illa nos liberet, ibid.
Fletus gehennæ, fletu repellitur, 1.78
Inferni magnitudo, 2.31

Inimici, inimicorum dilectio.

Inimicorum dilectio prædestinationis signum, 1. 248. & seq.
Ex inimicorum dilectione Christus, ut Filius Dei à S. Latrone cognitus, 1.249
Per eam in nobis exprimitur Christi similitudo, ib.
Qui inimicis injurias condonat, non tam illis, quàm sibi beneficia impendit, 1.251. & 253
Dilectio inimicorum pœne martyrio præponitur, 1.252
In Christo fuit miraculorum operativa, 1. ibid.
Injurias non dimittere crimen est neque martyrio exorabile, 1.254. Aditum ad veniam peccatorum claudit, ibid.
Dimissionis injuriarum voluit Christus quotidie nos recordari, 1.253
Per inimicorum odium amittitur filiatio Dei, 1. 255
† Innocentia baptismalis servata prædestinationis signum, 1.8

Ioannes Baptista.

Ioannes Baptista cur dictus lucerna ardens, & lucens, 1.217
In Ioanne splendor ex fervore: in ambitiosis fervor ex splendore, ibid.
Ioannes Christi Lucifer, directè Lucifero oppositus, ibid.

Ioannes Evangelista.

Ioannes propter Mariæ filiationem pignus habuit gloriæ in monte Thabor, 1.410

Iob.

Iob cur summos dolores pertulerit, 1.111
Iob feretrum Diaboli, vexillum Dei, 1.131
Ex tribulatione clarior, 132
Ob patientiam æquiparatur martyribus, 1.135
Per adversa ductus est, & prospera, 1.142
Cur ei derelicta sint labia tantummodo, 1.147
Iob in infelicitate felicior, 1.151
Fortitudinis, & patientiæ exemplar, ibid.
In patientibus Iob reviviscit, 1. ibid.
Iob, & Adami in tentatione collatio, 1.205
Iob ex flagellis peccator esse ab amicis arguitur, sed stultè, 1.206
† Iordanis electorum symbolum, 1.138
Ioseph cur pallium reliquerit in manu fœminæ, 1.7
Iosuë, & Caleb soli terram promissionis ingressi, paucitatem salvandorum designant, 2.15
Irriguum inferius, & irriguum superius quid, 1.78
Israëlitæ in deserto fidelium Christianorum figura, 2.15

Iudas.

Iudæ avaritia reprobationis initium, 1.24
Ejus pœnitentia cur infructuosa, 1.94
Post proditionem vita ei fuit morte acerbior, 1. 172
† Iudicii particularis in morte severitas, 2.36

Iusti.

Iusti cur palmæ assimilentur, 1.45
Iustus arbor secus decursus lacrymarum, 1.77
Iustorum pax cur fluvio comparetur, 1.159
Iusti mens olympo monti similis, 1. 160. Supra lunam, 160
Iusti nomen in Scripturis vix tribuitur viris sanctissimis, 2.35

Iuventus.

Iuventus in electis sæpe senilis: senectus in reprobis puerilis, 1.45
Iuventus pietati aptior, quàm senectus, 1.46
Iuventæ flos devovendus Deo, non fœx senectæ, 1.47

L

Lacryma.

LAcrymarum origo, 1.76. Earum dulcedo, 1.82
Lacrymarum, & compunctionis duo genera, 1.78
Lacryma passionis Christi vicaria, 1.75
Lacryma Angeli custodis munere fungitur, 1.76

Lacrymarum argento peccatorum debita persolvuntur, 1.67
Lacrymandum quot die pro peccatis. 1.65
Lacrymæ margaritæ, 1.67. & 81. Iis beatitudo promittitur, 1.69. Deum orant, & exorant, 70. Legationem apud Deum suscipiunt, 71. Magis efficaces sunt quàm oratio, ibid. Vincunt invincibilem, ligant omnipotentem, 72. Vel una earum vocula satis est ad impetrandum, 71. Peccata delent, 72. Mundi sunt piamentum, medicina vulnerum, ibid. Vna earum multa potest abolere peccata, ibid. Cæcitatem oculis tribuunt, cordi adimunt, Mortuos resuscitant, incendia peccatorum restingunt, Vitiorum sunt naufragium, naufragantium portus, 1.73. & 80. Efficiunt, ut peccatum sit non factum, 74. Vulneris neque cicatricem relinquunt, ibid. Iis peccata deaurantur, ibid. Supremi judicis avertunt iram, 1.75. Dum accusant, excusant, Tentationes propulsant, ad pugnam armant, Victoriam adpromittunt, exhibent triumphum, 1.75. & 76. Pœnitentiam reddunt fructuosam, animam fœcundant virtutibus, 76. Gehennæ ignem extingunt, 77. Purgatorij vices supplent, 78. Æquiparantur baptismo, immò baptismo potentiores, 1.79. Per eas martyres palmam acquisierunt, 80. Sanguis sunt animi, ibid. Deliciæ sunt Angelorum, & Dei, 81. Mel sunt cordi, thymiama Deo, ibid. Deum ad nos trahunt, ibid. Dum in terram cadunt, in cœlum advolant, ibid. Præferuntur terrestri paradiso, 82. Sunt Paradisus in semine, Semen gloriæ, Alæ quibus ascenditur ad gloriam, 82. & 83. Cœlum aperiunt ut claves, ad gloriam introducunt ut portæ, 84. Divino assistunt throno, ibid. Eas Dei manus abstergit, ibid. Aut invenisunt Paradisum, aut efficiunt. ibid.
Lacrymæ recidivorum fictæ. 2.45
SS. Pœnitentium lacrymæ. 1.69. & seq.
Insignis Chrysostomi locus de efficacia lacrymarum. 1.74
Item Augustini. ibid.

S. Latro.

S. Latro Christum Dei Filium ex inimicorum dilectione cognovit, 1.249. A Mariæ umbra, dum penderet in cruce, prædestinationis habuit auspicium. 1.380
In cruce fide vicit Apostolos, 2.63. Ob eam primatum habuit in Ecclesia triumphante. 65
Actus spei à S. Latrone in cruce exhibiti, 65. Charitatis erga proximum, & erga Christum, 66. Contritionis, 67. Ejus in cruce publica peccatorum confessio, 68. Et pro eis satisfactio, ibid.
Verè, & rigorosè martyr. 1.135. & 2.68. Ei peculiarem in cœlo locum assignatum esse opinio aliquorum. 67
† Lazarus, & Epulo. *Vide Epulo.*
Lazarus symbolum peccatoris habituati in peccatis. 1.34
Cur ei dictum sit, veni foras. 1.36

Lucifer.

Luciferi nomen proprium Sathael, 1.215
Lucifer de supremo ordine Seraphico. 216
Cur appelletur Cherub. ibid.
Lucifer lucere magis voluit, quàm ardere. 1.216
Ioanni Baptistæ oppositus. 1.217

Luxuria.

Luxuries in senibus. 1.44
Luxuria reprobationis signum, 1.261. Ignis est devorans usque ad damnationem, ibid. Maximè deviat ab ultimo fine, 263. Fert secum omnia alia vitia, 264. Ad amissionem fidei aliquando perducit, ibid. Ejus vilitas expenditur, 266. & 267. Eam Deus per se vult puniri. ibid.
Libidinosorum viæ difficiles, 1.154. Eorum pœnæ in hac vita, 155. Eorum cura ventrem explere, 264. Difformantur à Christo, 265. A dæmoniaco non differunt. 267

M

Magdalena.

MAgdalenæ pœnitentia lacrymosa exequatur martyrio. 1.67
Post acceptam peccatorum remissionem semper flevit. 1.68
Magistra est pœnitentium. ibid.
Christum lacrymis baptizavit æmulata Baptistam. 1.79
Instrumenta peccandi convertit in instrumenta pœnitentiæ. 1.87
Magdalenæ pœnitentia post ascensum Christi. 1.ibid.
Septem dæmonia ab ipsa ejecta, fuere universa vitia. 1.264

Margaritæ.

Margaritæ lacrymarum symbola. 1.83
Margaritarum partus ex rore. ibid.

MARIA.

Mariæ tituli, figuræ, similitudines.

Maria Virginum vexillifera, virginitatis planta, 1.258. Ipsa caput serpentis contritura promittitur, 342. In ea invenitur omne bonum, 346. Radix est electorum, 348. Maria idem, ac illuminatrix, 356. Tota suavis, 382. Expectatio præmiorum, 394. Paradisi appellationes illi attribuuntur, 397. Mediatrix est Dei, & hominum, 401. Vt mater Iesu semper in Evangelio cognominata. 408. & 409

Maria figurata per Evam, 1.351. per Saram, 352. per Rebeccam, 353. per Rachel, ibid. per Mariam prophetiſſam, 354. per Rahab, 355. per Deboram, 356. per Ruth, 157. per Iudith, 358. per Eſther, 360. per mulierem à Ioanne viſam in Apoc. 362

Maria figurata per arcum cœleſtem, 1.364. per arcam Noë, 366. per ſcalam Iacob, ibid. per rubum Moyſis, 367. per columnam nubis in deſerto, 368. per ſerpentem æneum, 395. per vellus Gedonis, 369. per terram promiſſionis, 397. per templum Salomonis, 369. per arcam fœderis, 371. per virgam Moyſis, 372. per virgas Aaronis, & Aſſueri; per civitates refugii. 472. & 473

Mariæ ſimilitudo Cedrus, 375. Cupreſſus, ibid. Palma, 376. Roſa, 377. Oliva, 378. Platanus, 379. Cinnamomum, & balſamum, 380. & 381. Aſpalathus; Myrrha. 382

Mariæ patrocinium.

Devotio erga Mariam prædeſtinationis eſſe ſignum, probatur primò ex oraculis Scripturæ, 1.342. Secundò è figuris à Scriptura petitis, 351. Tertiò è ſimilitudinibus ex eadem Scriptura acceptis, 378. Quartò è membris, quæ ſponſus laudat in ſponſa in Canticis; quæ Mariæ applicantur, 384. Quintò idem probatur ex Patribus, 393. Sextò, idem oſtenditur rationibus, 398. Septimò probatur à poſteriori. 408

Maria diligentes ſe diligit, 1.344. Sui ſtudioſorum theſauros replet omni bono, 346. Suos domeſticos induit duplicibus, 347. Quanta præſtiterit ſuarum laudum præconibus, 349. In ea ſpes æternæ vitæ, 349. & 371. Precantium voces antevertit, 357. Vel nomen ipſum Mariæ ſine utilitate nequit invocari, ibid. Pro ſuis devotis pugnat, 360. In ea Deus totam miſericordiæ partem repoſuit, 361. Pro ſuis devotis ante filium proſternitur, 362. Nullus ab ea peccator excluditur. 374 & 397

E Mariæ membris pignus gloriæ deducitur, 384. & ſeq. Ejus ubera turres, quæ lactant, & muniunt, 388. Nunquam ſiccantur, 389. Quos ſpiritualiter generat, ornat, 391. In ea tota ratio noſtræ ſpei, 394. Mariæ ſtudioſos dæmones tentare non audent, 400. Neque voluntas ei deeſt ad ſalvandum neque poteſtas. 407

Mariæ devotio ad hoc ut ſit prædeſtinationis ſignum, requiritur primò ut ſit conſtans, 412. Secundò, ut ſit affectuoſa, 413. Tertiò, ut ſit vitæ emendativa. 414

Propter Mariæ filiationem Ioannes in Monte Thabor in pignus habuit gloriæ. 410

Mariæ ſtudioſos, an impoſſibile ſit damnari. 1.396

Mariæ oratio.

Mariæ oratio in alio jure fundatur, 403. Semper eſt efficax, ibid. Quin efficacior eſt quàm oratio totius curiæ cœleſtis ſimul, 404. Nunquam paſſa eſt repulſam. 408

Varia de Maria.

Mariæ cultus ab exordio naſcentis Eccleſiæ exhibitus. 1.344

Tria ſunt erga Mariam præſtanda. 348

Quantum à Chriſto ſit dilecta. 360

Nemo à Chriſto niſi per Mariam. 351

Mariæ partus univerſi orbis gaudium. 352

Quos in partu Maria non ſenſit dolores, ſenſit dum cum Chriſto in cruce pariebat electos. 354

Mariæ pulchritudo, 358. Ab ejus conſpectu nullus ad concupiſcentiam inflammabatur. 359

Maria plurimos habuit Angelos ad cuſtodiam. ibid.

Lucifer domui confuſionem attulit. 360

In Adam non peccavit. 361

Eâ majorem Deus facere non poteſt. 371

Mariam fugiunt dæmones, 375. Singularis ejus contra iſtos potentia, 399. In Chriſto etiam Mariam exhorrebant, ibid. Qui ex ea ad pugnandum cum diabolo arma ſuſcepit. 388

Myrrha mortificationis in Mariâ perfectiſſima. 383

In ſuo gremio Chriſtum Magis dedit adorandum. 389

Mariæ carnem, & ſanguinem cum Chriſto haurimus in Euchariſtia. 391

Mariam aſſiduè in ore habere prædeſtinationis ſignum, 393. Quin inter ejus, & Ieſu nomina ſpiritus ſemper eſt ducendus, ac extremus emittendus. 394

In Mariæ ſtella, & crucis ligno viatorum ſpes poſita. 395

Privilegium ei ab Æterno Patre conceſſum. 397

In Mariæ amore Dei amor includitur. 401

Ad Mariam eſt immediatè recurrendum: idque confirmatur exemplo. 402

Eam in oratione Dominica tacitè agnoſcimus ut Matrem. 406

In ejus ſinum ſinus Abrahæ eſt permutatus. ibid.

†Martyrum multitudo innumerabilis, 2.8. Triginta millium ſingulis diebus memoria. 2. ibid.

Mendacii nomine omne peccatum. 1.8

Miſericors, Vide Eleemoſina.

Miſericordibus Dei ſpecialis aſſiſtentia in morbis. 1.222

Miſericors in die judicii judici bene reſpondebit. 1.223

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S.Michaël librat lancibus omnium opera. 2.36
Morbi dolores in massas aureas commutantur. 1.114

Mors.

Mors acceleratur ob peccata. 1.41
Mors equo vecta celeri insequitur improbos. 1.180
Mors eorum, qui malè vixerunt, pessima 2.51
Incertitudo horæ mortis, 1.39. Cur sit ejus dies occultus. 1.40
† Mulierum superfluus cultus reprehenditur. 1.86
Mulier scala diaboli ad cor viri. 1.147
Cur plures fœminæ quàm mares virginitatem colant. 1.258
An plures ex iis, quàm ex maribus salventur. 2.75
Myrrhæ duplex genus sponte stillantis, & ferro expressæ. 1.152

N

NEbula, tribulationis est symbolum. 1. 130
Ninivitarum pœnitentia. 1.88

O

Obduratio.

OBdurationis gradus ultimus delectatio in peccatis. 1.37
Obduratio cordis quæ mala ferat, ibid. Oritur ex impœnitentia. 1.ibid.
Occupationes dilativæ pœnitentiam detestandæ. 1.40

P

Palma.

PAlmæ cur in manibus electorum. 1.106
Palma latior versùs cœlum, ibid. Non cedit ponderi. ibid.
Trecenta sexaginta emolumenta præbet. 1.376

Paradisus.

Paradisi portæ cur margaritæ. 1.97
Paradisum non ingreditur, nisi martyr effectu, vel affectu. 98
Paradisi clavis crux Christi. 1.ibid.
Paradisi via spinea, inferni florida. 1.192
Civitas est ampliſſima, 2. 7. Ejus magnitudo. ibid.

Patiens, Patientia.

Patiens melior viro forti. 1.108
Patientiæ encomia. 1.ibid.
Vbi patientia, ibi Deus. 1.121
Patientia in tribulationibus facit martyres. 1. 135
Patientiæ spes explicatur exemplo agricolæ. 1.150
In patientibus Iob reviviscit. 1.151
Patientia necessaria ad salutem. 1.192
Ipsa sola reddit fructum in terra bona. 2.25
Quid sit animas possideri patientia. 1.149

Paulus.

Pauli gloriatio de cruce. 1.129
Clarior ex vinculis, quàm ex Apostolatu, 1.133. Quam ex raptu ad cœlum. 134
Timens reprobari difficultatem summam ostendit salutis. 2.17

Pauperes, paupertas.

Pauperes salvantur per patientiam, divites per eleemosinam. 1.225
Pauperes offerunt se in die judicii patronos. 226
Paupertas tolerata facit martyrem. 1.107
Evexit Lazarum ad sinum Abrahæ. 1.191

Pax.

Pax distinguitur à gaudio. 1.161
Non nisi in Christi cruce, & vulneribus reperitur. ibid.

Peccatum.

Peccatum mors animæ, 1.34. Infernus. 1.176
Peccati regnum. 1.29
Peccati dura servitus. 1.27
Peccata murus divisorius inter nos, & Deum. 1.4
Inferni funes, ibid. Catenæ, ibid. Serpentes, 7. Vermes exedentes viscera, 175. Voluntarius dæmon. 177
Eorum multiplicatio maximum reprobationis indicium, 1.13. Incendii similitudine illustratur, 1.25. Item naufragii. ibid.
Peccatum sanguinis nomine significatur. 1.13
Peccatum aliud ex adipe, aliud ex macie. 1.14
Citò est abjiciendum, 1.21. in reprobis regnat: in prædestinatis interdum est, sed non regnat. 29
Peccata consuetudine firmata, vulnera sunt putrescentia. 1.33
Peccatorum codex defertur legendus morienti. 1.49
Mori peccato quid sit. 1.55
Detestatio perpetua peccatorum præteritorum, prædestinationis signum. 56
Pœna peccati auxiliorum specialium denegatio. 1.58
Memoria peccatorum ad placandam iram divinam, 58. Ad emendationem vitæ, 61. Ad humilitatem. 62
A peccato ampliùs lavari quid sit. 1.58
Deflenda peccata etiam certò remissa, 1.66. & 2.49
Peccatum nullum potest remanere impunitum. 1.96
Cur ex eo oriatur tristitia in ratione. 1.161

Ejus

Ejus deformitas ante factum latet, post factum apparet. 1.164
In se pœnam continet. 1.168.& 176
Peccata venialia advertenter cum plena deliberatione patranda vitare, maximum prædestinationis signum, 1.8
Peccandi tria genera. 1.14
Peccare de industria pessimum. ibid.
Securitas in peccando reproborum propria. 1.16
Insensibilitas in peccando reprobationis signum pessimum. 1.18
Peccandi diuturnitas obdurat ob diminutionem auxiliorum. 1.36

Peccator.

Peccatores se gratis diabolo non tàm vendunt, quàm donant, 1.15. Deo visum, & intelligentiam adimunt, 1.15. Sepulcra sunt dealbata, 174. A dæmone obsidentur. 178
Peccator naufragus, 1.23. Puer centum annorum. 36
Peccator habituatus excoriari debet, ut corrigatur. 1.32
Peccatorem convertere, mortuum suscitare. 1.34
Peccatoris somnus signum damnationis. 1.39
Peccator, qui in vita oblitus est Dei, in morte obliviscitur sui. 1.48
Peccator, unus spiritus cum diabolo, 1.51. Immò eo deterior. 2.41
Creaturæ universæ quomodo in peccatorem insurgant. 1.63
Quomodo ei non sit pax, 1.157. cur fugiat nemine persequente, 158. Ejus conscientia mare fervens, infernus, ibid. Ab ea flagellatur. 170
Ejus status explicatur facto Dionysij Tyranni cum Democle. 1.162
Impunitas ejus est maxima pœna. 1.186
Peccatores subitò in sanctos transformati. 2.6
Peccatores fideles sunt spinæ, & sunt filiæ. 2.23
Peccator nec fidelis agnosci potest, nec fidelis, numerandus inter feras, 2.40

Petrus.

Petri pœnitentia illico post peccatum, 1.21. Cœpit à fuga occasionis, 54. Fuit lacrymosa. 68
Petri lacrymis primatus Ecclesiæ traditus, 68. Fuerunt partus oculorum Christi. 69
Galli cantus Petro lacrymas excitabat. ibid.
Petri pœnitentia post trinam negationem. 1.88

Pœnitentia.

Pœnitentiæ nomen à pœna. 1.85
Pœnitentia tabula post naufragium, 1.23. Transformat in virum alterum, 52. & 62. Est resurrectio à morte, 53. Debet esse lacrymosa, 65. Punitiva, 85. Est compensatio pro peccatis, 89. Dolentis vindicta, 90. In prædestinatis debet esse meliorativa vitæ. 91
Pœnitentiæ encomia. 1.ibid.
Celeris pœnitentiæ præmium, celeritas veniæ, 1.20
Tertulliani locus insignis de acceleranda pœnitentia. 1.22
Pœnitentiæ tempus illud opportunum, quod præsentius. 1.41
Pœnitententia ficta Regis Antiochi exemplo ostenditur. 2.56
Pœnitentia vera difficilior, quàm innocentia, 2.27. Quid ad eam requiratur, ibid.& 2.54. Est cessatio à peccato. 2.44
Fructus pœnitentiæ qui sint. 1.51. & 89. & 95
Pœnitentia Ninivitarum Deo placuit ob mutationem vitæ. 52
Pœnitentia Zacchæi à restitutione bonorum cœpit. 54
Pœnitentiæ dilatio reprobationis signum, 1.23. & 50
Non minuit difficultatem, sed auget. 1.29
Fortis est laqueus, 1.29. Auget vires diaboli, 37. Subitaneam mortem meretur. 38.& 47
Pœnitentiæ dilatio potest fieri tripliciter. 1.38
Dilatio per momentum etiam periculosa, 1.40. Sub spe misericordiæ facta, Deum irritat. 1.42
Pœnitentiæ spatium tollitur iis, qui hac spe abutuntur. 1.43
Exemplum memorabile de spatio pœnitentiæ cuidam negato. 1.48
Pœnitentia in morte plerumque ficta, 1.50.& 2.55. Et si vera est, stabilis non est, 2.60. Cur ad eam dæmones concurrant. 2.76
Pœnitentia ficta injuriam irrogat Deo. 1.93
Quæ spes requiratur ad pœnitentiam. 1.94
Pœnitens cicada noctium. 1.66
Pœnitentium carcer. 2.57
Pœnitentes veri nunquam recidivi, 1.55. Moriuntur peccato. ibid.
Pœnitentis lacrymæ incendium Satanæ. 1.82
Pœnitentium forma. 1.86

Prædestinatio.

Prædestinationis, & reprobationis series sæpe à re minima texitur. 1.24
In prædestinatione an subrogetur unus loco alterius. 2.3
Incertitudo prædestinationis. 1.3

Prædestinati.

Prædestinati collegæ sunt passionum Christi, 2. 38. Dum peccant stimulis acribus urgentur. 1.17

Errant ut oves, Reprobi ut lupi. 1.19

Neque inter ipsa peccata Dei obliviscuntur. 1.11

Peccata iis cooperantur in bonum. 1. 91. & 2. 48

Sunt signati Tau id est cruce. 1.99

Eorum materialis numerus certus est, 2.1. Item formalis, 2.2. Inter fideles major est numerus prædestinatorum parvulis computatis, 2.4. Eorum paucitas videtur divinæ bonitati præjudicare. 7

Prædestinatos subrogari loco Angelorum, qui ceciderint, doctrina aliquorum. 2.6

Prædestinati velut racemi finita vindemia, 2. 9. Residuum populi Dei, 10. Eorum paucitas per unitatem designatur, 21. Fasciculo comparantur, 22. Sunt unus ex millibus. 26

Christi responsum de paucitate salvandorum. 2.18

Permultos salvari cavendum ne sit serpentina suggestio. 2.29

De paucitate salvandorum testimonium terribile. 2.26

Ex decem millibus vix unum salvari doctrina videtur communis Patrum Græcorum. 2.29

E triginta millibus eodem momento exspirantibus salvari quinque, 30. E sexaginta millibus tres. ibid.

Ostenditur electorum paucitas ex requisitis ad salutem. 2.37

Prosperitas.

Prosperitas à Christo difformat, tribulatio conformat. 1.99. & 197

Dies reproborum à mane prosperitatem incipit, 1.105

Prosperitas, & adversitas pariter placent è manu Domini. 1.144

Prosperitates excipit fere certa damnatio. 1. 182

Prosperari secundùm affectiones cordis maxima improborum pœna. 1.182

Prosperitas temporalis in die palmarum Christo passionem mox peperit. 1.183

Prosperitas impiorum describitur, 1.182. Est fovea inter flores, 184. & 185. Saginatio ad necem, 185. Filios indicat spurios, non legitimos, 194. Nix est ad solem. 195

Ejus amatores inimici sunt crucis Christi. 1.188

Prosperitates in hoc sæculo sunt extra cœli viam. 1.192

Cur in prosperitate dolendum, in tribulatione gaudendum. 194

Prosperitates metuendæ, 1.201. In iis dolendum. 207

Statuta est à Deo alterna mutatio prosperitatum in pœnas, & è contra. 201

Peccati venenum sub prosperitatum dulcedine sorbetur faciliùs. 1.204

Prosperè agentes excluduntur à regno Dei. 1. 207

Purgatorium.

Affectus erga animas in purgatorio detentas prædestinationis signum. 1.340

Omnia misericordiæ opera adunantur in suffragiis erga illas. 341

Animæ, quæ in purgatorio detinentur, etiam ibi à Deo exaudiuntur. ibid.

R

REcidivus similis cani vomitum resorbenti. 2.44

Recidivorum pœnitentia hypocrisis, 2.45. Est inutilis. 46

Recidivi peccatum ex ingratitudine gravius. 2 ibid.

Injuriam gravissimam Deo infert, 47. Gaudium præbet diabolo, mœrorem Angelis, 47. & 48. Eum pœnitet pœnitentiæ. 48

Recidivis comminatio damnationis. 2.50

Reprobi.

Reprobi instabilitas. 1.33

Reprobi dum ætate crescunt, virtute decrescunt. 1.40

Reprobi in morte præsentiunt tartari pœnas. 1.49

Reprobus imago est diaboli, 1.50. Ejus cor in terra inaquosa, 77. Mancipium est diaboli, 1. 167. Suomet judicio sese inter damnatos numerat, ibid. Vita est ei supplicio, mors remedio. 1.173

Reprobi cur dæmonibus sint subjecti in pœna. 1.178

Pactum ineunt cum morte, & inferno. 1.185

Certus est eorum numerus materialis. 2.1. Item formalis. 2.2

Reproborum hominum major est pars, infidelibus computatis, 2.4. Quin inter fideles adultos reproborum major numerus, quam prædestinatorum, 2.8. Reprobi omnes illo uno significati non vestito veste nuptiali. 2.11

Reprobi, & multi idem sonant. 2. ibid.

Reprobi arenæ, prædestinati stellæ. 2.12

Reprobi paleæ sunt ad aream Ecclesiæ pertinentes, non ad horreum gloriæ. 2.24

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S

Sancti.

ERga Sanctos religio prædestinationis signum. 1.334
Sanctorum in cœlo exercitium est Deum laudare, & venerari. 1.ibid.
Sancti à nobis invocari volunt, ut patrocinium in nos exhibeant, 1.335. Eorum in nos patrocinium. 336

Sacerdotes.

Sacerdotes cervi, qui afflatu solo serpentes extrahunt. 1.31
Inter Sacerdotes boni pauciſſimi, 2.43. Plures ex iis pereunt quàm salvantur. ibid.

Senectus.

Senectus addit pœnitentiæ impedimenta, non adimit. 1.45
Senem corrigere idem est, ac mortuo mederi. 1.47
Parabola vineæ non est intelligenda de senibus. ibid.

Superbia.

Superbia in quo sensu initium omnis peccati. 1.210
Virtutibus omnibus adversatur, 211. Causa est luxuriæ. 212
Ad eam ab electis eradicandam, permittit eos Deus in luxuriam prolabi. 1.213
Superbis Deus hostis, dæmon socius. 1.209
In superbis spes prædestinationis fere nulla. 1.212

T

Tentatio.

TEntatio materia triumphorum. 1.107
Tentationis triplex genus. 1.136
Tentatio à dæmone persecutionis est genus. 1. 137
Tentatio esse potest etiam à Deo. 1.139
Deus in quo sensu tentet. ibid.

Timor.

Timor Dei triplex. 1.12
Timor Dei clavus carnis, 1.5. Nauclerus, 6. Timorem tollit. ibid.
Timore quasi fræno anima à peccatorum concupiscentia cohibetur. 1.10
Timor pœnæ à Deo immittitur. ibid.
Timor duplex, filialis & servilis. 1.9
Timor transit in amorem. ibid.
Timentibus Deum promittitur specialis Dei protectio, 1.6. Speciale auxilium. ibid.

Tribulatio, Tribulati.

Tribulatio Christo conformat, 1.99. Est pugna, 106. Mater patientiæ, 108. Perlata patienter in thronis electorum insculpitur, 107. Mater est fortitudinis, 108. Omnium virtutum, 202. Flos fructum promittens, 111. Fornax aurea, 114. Animæ paradisus, 114. Omne gaudium, 113. Immò paradisi gaudiis anteponitur, 127. & 134. Est glorificatio Dei multipliciter, 129. Virtutis cacumen, 131. Paradisi arrha, 135. & 115. Christi manibus aurea, & gemmea, 144. Est ipsa beatitudo. 151
Tribulationes cur fasciculus, 1.112
Tribulatio in Scripturis inferni nomine, 1. 115. Emundat à vitiis omnibus, 118. Confugere nos cogit ad Deum. 1.119
Deus adest specialiter tribulatis. 1.120
Sponsalia inter Deum, & tribulatos. 1.122
In tribulationibus triplex charitatis actus. 1. 124
Tribulationum in sanctis viris cupiditas. 1.124
Electi in tribulationibus gloriantur, 1.128. Idque ex duplici capite, 129. Electi omnes tribulati. 129
Quinque Chrysostomi rationes cur Deus electis tribulationes immittat. 129
Tribulari pro Christo illustrius est quàm mortuos suscitare. 1.133
Tribulatio ex motibus passionum persecutioni æquivalet. 1.136
Tribulationes in electis quandoque prosperitatibus admiscentur. 1.142
Tribulationi succedit prosperitas. ibid.
Tribulationes etiam diabolicæ sunt à manu Domini. 1.144
Tribulati sustinent orbem terrarum. 1.145
Tres gradus in tribulatis. 1.146
In tribulatione blasphemantes crucem habent mali Latronis. 146
In tribulationibus gratias agere virtus est propria Christiani. 147
In tribulatione reprobi vertuntur in scoriam, 147. fiunt pejores. 149
Tribulationibus non emendari lethale. ibid.
Qui sint in tribulatione patientes. 1.153
Tribulationes culpabiles excluduntur à prædestinationis signo. ibid.
Tribulationes improborum, 1.156. Iustorum sunt aureæ, & pretiosæ, 159. Discrimen inter utrasque. 158
Tredecim tribulationes reproborum, quas iis offert conscientia. 1.163
Tribulationes Dei visitationes. 1.186
Tribulationum necessitas ad salutem. 1.191
Tribulatio filiationis Dei argumentum, sed non semper. 1.193
Tribulari, & Deo placere idem est in Scripturis. 1.195
Tribulationis expertes adnumerantur inter belluas. 196

Tribulatio virga virorum. 197
Torrentis nomine tribulationes hujus vitæ. 199

V

VErbum Dei libenter audire prædestinationis signum. 1.335

Virgines, Virginitas.

Virgines, illustrior portio gregis Christi. 1.256
Specialis gloriæ nota eis promittitur. 1.257
Cur virginitatem fœminæ plures quàm mares colant. 1.258
Maria est virginitatis planta. 1.259
Virginitatem colentes Christi sorores, & sponsæ. 1.260
Virginitas Christo similes reddit quoad humanitatem, & divinitatem. 1.261
Virginis constellatio benignos habet influxus. 1.363

Vita.

Vitæ tempus est cursus ad mortem. 1.40
Vita humana ex prosperis, & adversis contexitur. 1.143

X

XErses amore platani captus. 1.380

Z

ZOroastris risus dum nascitur. 1.189

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN